DE IVSTA HENRICI TERTII ABDICATIONE E FRANcorum regno,

LIBRI QVATVOR.

Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias & contumelias & diuersos dolos.
In manu Dei potestas terræ: & execrabilis omnis iniquitas gentium: & vtilem rectorem suscitabit in tempore super illam. Ecclesiastici 10.



PARISIIS,
Apud Nicolaum Niuellium, via Iacobæa, ad insigne columnarum.
clɔ. Iɔ. xxcix.
CVM PRIVILEGIO.

EXTRAICT DV PRIVILEGE.

CHarles de Lorraine Duc de Mayenne, Pair & Lieutenant General de l'Eſtat & Couronne de France, & le Conſeil General de l'Vnion des Catholiques eſtably à Paris, A Meſſieurs de la Court de Parlement de Paris & à tous baillifs, Seneſchaux, Iuges, Preuoſts & autres officiers de ce Royaume qu'il appartiendra Salut. Sur ce que Nicolas Niuelle marchant libraire Iuré en l'Vniuerſité de Paris, nous a fait dire & remõſtrer qu'il a depuis n'a gueres recouuert certain liure intitulé, *De Iuſta Henrici tertij abdicatione è Francorum Regno &c.* Lequel comme treſ-vtile au public il deſireroit volontiers faire imprimer, mais il craint qu'apres y auoir employé beaucoup de deſpenſe, autres ne vouluſſent encores imprimer ledit liure, s'il n'auoit priuilege ſpecial à ceſt effect. Nous à ces cauſes, apres que ledit liure a eſté veu & leu par aucuns à ce deputez, & qu'il a eſté trouué & certifié ne contenir aucune choſe, qui ſoit contraire aux preceptes & enſeignemens de l'Egliſe Catholicque, Apoſtolique & Romaine, Auõs audit Niuelle permis & octroyé, permettõs & octroyons par ces preſentes d'imprimer ou faire imprimer ledit liure tãt en latin qu'en françois, vne ou pluſieurs fois, en tels caracteres & en telle forme & volume que bõ luy ſemblera, ſans que aucũs autres Imprimeurs ou Libraires le puiſſent imprimer ou faire imprimer vendre ni debiter ſans expres conſentement dudit Niuelle, pendant le temps & eſpace de Neuf ans, ſur peine de confiſcation des exemplaires, & de deux cens eſcus d'amende, applicables moitié aux affaires de l'Vnion, & l'autre moitié audit Niuelle. Si vous prions Meſsieurs dudit Parlement & mandõs auſdits Baillifs, Seneſchaux, Iuges & officiers que de nos preſente permiſſiõ, priuilege & octroy, enſemble de tout le contenu cy deſſus vous faciez, ſouffriez & laiſſiez ioyr & vſer plainement & paiſiblement ledit Niuelle, ſans luy faire mettre ou donner, ne ſouffrir eſtre fait, mis ou donné aucun trouble ou empeſchement au contraire. Lequel ſi fait, mis ou donné luy eſtoit, reparez & faites reparer incontinent & ſans delay au premier eſtat & deu. Car ainſi a il eſté trouué iuſte & raiſonnable. Donné à Paris le xvij. Iour d'Aouſt l'an de grace. 1589.

PAR MONSEIGNEVR ET LE Conſeil general.

SENAVLT.

14027

VNIVERSIS TOTO ORBE CHRISTIANIS ATQVE Catholicis, S.

QVod iniecto ædibus incendio, ac iam vel summa tecta vel infima seruitia occupãte, facere solẽt qui prope sunt, (Christiani toto orbe viri) vt opẽ ferant primi, excitẽtque clamore vniuersos, vt quam quisque potest operam sedulo adhibeãt, id nos in magna domo, quæ Ecclesia est, deflagrante eius non vili aliqua parte, sed delicatissimo spõsi thalamo, in quo totis mille ac ducentis annis & placidissimè ipse quieuit, & primogenitos spõsæ suæ constituit, quod regnum Galliæ est,

ambusti ipsi, & vix è medio igne erepti, tã to magis præstare, opẽmque à cæteris impetrare debuimus, quanto & certior inde totius ædificij ruina, & peius in nos propheticum illud, Esa.6. *Vę mihi quia tacui, ruiturũ videbatur. Nulla vt vnquam Aty illi Crœsi filio, imminẽte, sicuti in historijs est, patris iugulo hoste, tanta causa extiterit, quæ vocalẽ ex muto efficeret, &* ô homo, *ne Crœsum occidas, inclamare adigeret, quanta in hoc tanto multo melioris parentis, quæ Ecclesia, imo etiam & patria est, vnius ob Henrici tyrannidẽ ac furias discrimine atque periculo fuit, per quã sonori & clamosi vndique redderemur. Ne si id non faceremus, parũ probè quod Gallorum est, qui cæteros excitare solent, feciisse videremur: qui nos potius ab anseribus illis, qui Capitolium olim clangore suo seruauerũt, vinci pateremur. Cuius rei cùm hæc via optima visa esset, primùm vt communibus studiis abdicaretur funestus hostis, deinde*

ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Herod. lib. 1.

quod factū foret, verbo cuiuis atque scripto publicè probaretur, completo vtroque id reliquū videbatur, vt quod Galli inter ipsos multis tractassent sermonibus, id scriptū exactius, cōmunique idiomate exteris etiā vulgaretur. Quod inceptū atque expectatum dudum, ac pro negotiorum, quæ occurrūt, varietate tardius absolutum, vt maturari prius, edique viuo vt spes erat, Hērico optādū fuit, ita si quis eo inopinè ac mirabiliter sublato exoletū atque antiquatum propterea dicat, hūc considerare æquū erit, primùm vt absurdū est pia officia accessu gratiæ deteriora fieri vel minui, ita nimis anguste de iis quæ cuduntur operibus sentientis esse, si quis ad præsens tēpus tantùm, non etiā ad posteros credat pertinere. Quinetiā quod nunc agimus tanto prodire commodiùs, quanto manifestius Dei quod gestum in eo est approbantis ac mirabiliter terminantis iudicium fuit. Vt cum qualis Henricus fuerit omnibus compertū sit, in

vtroque qui legerint proficiãt, vt & vindicem Deum in eos qui talia agũt, & qui agentibus consentiunt, suspiciant, & quod factũ à nobis in eiciẽdo Henrico est, si quid tale occurrerit, optimi quique æmulentur. Adde & petulãtes Henriconũ ac necdum quiescẽtes linguas, quæ dum factum id improbare non desinunt, imo vltionẽ mutire non verentur, cũ alia eos via puniri æquissimum est, tum nec istam omitti oportuit, vt cũ de re tota ac causæ merito libello hoc compertum sit, confusi & elingues, si quid frontis habent, tacere compellantur.

Ac ne quis in eo saltem fructum periisse dicat, quòd ab eo suadetur discessio, quẽ humanis rebus ereptũ nec iam videre liceat, nec timere, hoc sanè respõsi esto, primùm vt gratias agimus immortali Deo, qui operis huius fructũ tam beatè anteuertit, ita hoc qualecũque est tãto magis adhuc vsui fore, quãto plus à postrema illa, quã quærimus, salute nos abesse, rerum qui nũc est indicat

ſtatus: Non prius vtique futura, quàm ſublato altero Henrico, contriti penitus Eccleſiæ hoſtes, ſicque reſtituta Gallorũ monarchia ſit, vt vallatã vndique, ne hæreſi, ne tyrannidi pateat, ac primis illis pietatis ac iuſtitiæ fundamentis ſtabilitam videamus.

Non enim id agimus tãtum, vt Henricum abdicemus, quod factũ nuper & probatum diuinitus etiã gratulamur; ſed omnino vt impios ac tyrannos à nobis excludamus, vt Gallorũ, imo omniũ animos ad peſtem hanc excutiendam excitemus, vt in prototypo nequitiæ Henrico, quid in principe execrari, quid fugere oporteat doceamus. Prorſus vt cum hæc cõmunis alterius Henrici pariter impij, hæretici, relapſi, tyrãni, ſacrilegi, impuri, inceſti, homicidæ atque adeo excõmunicati, & vt nunc audimus, etiam hypocritæ cauſa ſit, propterea fiat, vt cũ de priore iuſtè abdicato dixerimus, de hoc quoque excludendo imo con-

terendo ac perdendo dixisse videri cupiamus.

Nam hic operis huius fructus erit, qui vtinam non tantus esset, atque in eo statu res foret, vt extincto etiam posteriore Hẽrico hoc, confectum negotium laudare tantùm, non etiam futurum suadere oporteret. Sed quia id nobis ab omnipotẽte Deo postulandum est, vt qui nobis priora otia fecit, miseratus aliquando, ab altero quoque nec minus impuro eripiat, interim dum gratiam hanc expectamus, admonere certè non cessemus, vt quia Deus facientes iuuat, omnes omnium vires in execrãdum istud caput, eiusque assertores colligantur. Denique omni ratione fiat, vt anathemata ista è medio nostri, imo Ecclesiæ vniuersæ abigantur. Quod si miserante Deo factum aliquando erit, tum nos præclarũ nõ operis huius tantùm, sed vitæ etiam ac mortis fructum videbimur consecuti.

CAPITA QVATVOR LIBRORVM HOC ORDINE SEQVVNTVR.

LIBRI PRIMI.

Præfatio pag. 1. fol. 1

Tripartita dicendorum distributio. Cap. 1. pag. 1. fol. 4

De iure abdicandi Reges. Ac primùm quid Regis nomine hic intelligi oporteat. Cap. 2. pag. 2. fol. 7

Obiectionum solutio. Cap. 3 pag. 1. fol. 5

Probatur ius abdicandi Reges. Cap. 4. pag. 1. fol. 4

Ius Ecclesiæ Reges abdicandi. Ac primum quodnam illud sit. Cap. 5. pag. 2. fol. 7

Iuris Ecclesiæ in Reges, veteris legis exempla. Cap. 6. pag. 1. fol. 8

Iuris Ecclesiæ in Reges in Euangelica lege testimonia. Cap. 7. pag. 1. fol. 9

Exempla ad id Ecclesiastica. Cap. 8. pag. 1. fol. 10

Ius Reip. ac populi Reges abdicandi. Ac primùm quid populi nomine intelligatur, & in quo ius illud consistat. Cap. 9. pag. 2. fol. 11

Reges à populo esse constitutos. Cap. 10. pag. 2. fol. 12

Populus sinè Rege, non autem Rex sine populo seu Rep. esse potest. Cap. 11. pag. 2. fol. 12

Ere populi fuit, vt Reges sibi constitueret. Ratio posterior. Cap. 12. pag. 2. fol. 13

Obiectionis solutio. Cap.13.pag.2. *fol.* 14
Quòd Reges à populis constituantur, exempla sacra. Cap. 14.*pag.*2. *fol.*15
*Obiectioni occurritur.Cap.*15.*pag.* 2. *fol.*16
*Exempla profana.Cap.*16.*pag.*1. *fol.*17
*Exempla Christiana, & maximè Gallica.Cap.*17.*pag.*2. *fol.* 17
*Quòd Rege constituto suum Reip. supra eum ius remaneat, scripturæ testimonia. Cap.*18.*pag.*1. *fol.* 19
*Iuris populi in Regem, ex ciuili iure seu legibus inductio. Cap.*19.*pag.*2. *fol.*22
Iuris populi supra Regem exempla sacra.Cap. 20.*pag.*2. *fol.*23
Eiusdem exempla profana, ac primùm externa. Cap. 21. *pag.*2. *fol.* 24
Mos ad id patrius, & Reip. Gallicanæ institutio. Cap. 22.*pag.*1. *fol.*27
*Iuris populi in Regem exempla domestica.Cap.*23. *pag.*1. *fol.*28
Externa rursus ad idem aliquot exempla.Cap. 24.*pag.*1. *fol.*30
*Quòd iustè Reges ob ea quæ dicta sunt, si se munierint, armis liceat adoriri.Cap.*25.*pag.*2. *fol.*30
*Belli aduersus Reges ac Principes religionis causa iustè gerendi, exempla sacra Cap.*26.*pag.*1. *fol.*33
Belli iusti exempla, etiã in proprios Reges.Cap. 27.*pag.*1. *fol.*34
*Ad idem exempla Ecclesiastica.Cap.*28.*pag.* 2. *fol.*36
*Obiectionum, quæ hic fiunt, solutio.Cap.*29.*pag.*2. *fol.*39
*Pro secura in armis pro fide sumptis conscientia, D. Bernardi testimonium. Cap.*30.*pag.*2. *fol.* 41

CAPITVM.

LIBRI SECVNDI.

De causis legitimis, quæ ius Ecclesiæ spectant, Henricum ij abdicandi. Criminum Henrici, in canone contentorum, distributio. Cap. 1. pag. 1. fol. 43
Quòd Henricus periurus sit, crimen primum. Ac primum periurij quanta sit grauitas. Cap. 2. pag. 2. fol. 44
Periurus vt Regno indignus sit. Cap 3 pag 1. fol. 45
Henrici periuria. Cap. 4. pag. 2. fol. 46
Henrici periuriorum exaggeratio. Cap 5. pag 1. fol. 48
Quòd assassinus & parricida, crimen secundum. Crimen hoc vt regno indignum pronuntiet, cap 6. pag 1. fol. 50
Henricus homicida. Cap 7 pag 1. fol. 52
Henricus parricida. Cap. 8 pag. 1. fol. 56
Henricus assassinus. Cap 9 pag. 2. fol. 56
Quòd percussor Card. Archiep. Rhem. & patris sui, &c. crimen tertium. Vt priuari dignitate debeant qui crimen hoc commiserint. Cap. 10 pag 1. fol. 61
Principes ob percussos clericos depositi. Cap. 11. pag. 1. fol. 62
Henrici in Sacerdotes & Cardinalem iniuriæ. Cap. 12. pag. 2. fol. 62
Fautores hæreticorum omni in Christianos dominatu excludendi. Cap. 15. pag. 2. fol. 65
Fautores hæreticorum in Gallia præcipuè non ferendi. Cap. 16. pag. 1. fol. 68
Henricus vt hæreticorum fautor sit. Cap. 17. pag. 1. fol. 69
Quòd sit schismaticus. Crimen quintum. Excutiendi regno schismatici. Cap. 18. pag. 2. fol. 79
Henricus vt schismatis reus. Cap. 19. pag. 2. fol. 80
Quòd sit hæreticus. Crimen 6. hæretici vt sceptro amouendi. Cap. 18. pag. 1. fol. 82

Principatu ob hæresim eiectorum exempla. cap.19 pag.1. fol.84
Henricus vt sit hæreticus. cap.20 pag.1. fol.85
Ad obiectionem, quæ ex ficta Henrici deuotione fit, respõsio. Cap.21. pag. 1. fol. 84
Quòd Simoniacus. Crimen septimum. Simonia labes vt reos, vel ipsos etiam Reges efficiat. cap.21. pag.2. fol.96
Quòd sit sacrilegus. Crimen octauum. Sacrilegij rerum pœnæ diuinæ. cap.23.pag.1. fol.101
Sacrilegij rerum pœnæ humanæ. Cap. 24.pag.2. fol. 101
Sacrilegium personarum quale crimen. cap. 25. pag. 1. fol.104
Henrici vtriusque generis sacrilegia. cap 26 pag.1.fol.105
Quòd Magicæ impietati ac superstitioni deditus. Crimen nonum. Magicæ impietatis execratio quanta. cap.27. pag.2. fol.107
Mali huius expurgandi in Gallia quanta sit necessitas. Dap.28 pag.2. fol. 110
Theoria in prædicta signa seu ostẽta. cap.30.pag.1.fol. 114
Superstitionis magicæ in Henrico manifestæ indicia. cap. 31.pag. 1. fol.117
Quòd Henricus planè impius sit. Crimen 10. Atheismi impietas vnde. Cap. 32. pag. 1. fol. 120
Henricum quæ impium esse probent. Cap. 32. pag. 2. folr 122.
Quòd anathema propter superiora & fuerit Henricus, & adhuc sit. Cap. 34. pag. 2. fol.126.
Henricus multis nominibus anathema. Cap. 35. pag. 2. fol. 127.
Reges Franciæ ab anathematis censura non eximi. Cap. 36. pag. 1. fol. 131.

Regum Franciæ excommunicatorum exempla. Cap. 38. pag. 2. *fol. 132.*
Henricus non fuit absolutus. Cap. 38. pag. 1. *fol. 134*
Qui cum Henrico stant & præliantur, omnes quoque excommunicati. Cap. 39. pag. 1. *fol. 126*

LIBRI TERTII.

DE causis legitimis, quæ Rempub. spectãt, Henricum III. abdicandi. Cap. 1. pag. 1. *fol. 139*
Quòd Henricus fidem publicam violarit. Crimen primũ. Fidem publicam violare quale crimen sit. Cap. 2. pag. 2. *fol. 140*
Violatores publicæ fidei cur Regno indigni. Cap. 3. pag. 1. *fol. 144*
Henricus vt publicam fidem violarit. Cap. 4. pag. *fol. 144*
Henricianæ perfidiæ exaggeratio. Cap 5. pag. 2. *fol. 147*
Ad obiectionem, pro futura Henrici fide, Responsio. Cap. 6. pag. 1. *fol. 149*
Quòd Henricus maiestatem Reip. ac Regni læserit. Cap. 7. pag. 1. *fol. 150*
Maiestatem Reip. penes ordines & comitia præcipuè esse. Cap. 8. pag. 1. *fol. 153*
Comitiorum seu ordinum in Gallia olim quæ auctoritas. Cap. 9. pag. 1. *fol. 154*
Henricus quàm atrociter ordinum seu comitiorũ maiestatem læserit. Cap. 10. pag. 1. *fol. 155*
Quòd regni dissipator, & ærarij decoctor fuerit. Crimẽ ciuile tertium. Regnum distrahere & ærarium expilare, quale crimen. Cap. 11. pag. 1. *fol. 157*
Quòd Henricus sit tyrannus, & patriæ hostis. Crimen ciuile quartum. Tyrannis quale malum. Cap. 13. pag. 1. *fol. 162*

Tyrannum à Rep. iustè eijci. Cap. 13. pag. 2. fol. 163
An Tyrannum liceat occidere, profana testimonia. Cap. 15. pag. 2. fol. 164
Theologica de ea re iudicia & effata. Cap. 16. pag. 1. fol. 167
Ecclesiastica & sacra de ea re testimonia & exempla. Cap. 17. pag. 2. fol. 170
Obiectionum pro tyrannis solutio. Cap. 18. pag. 2. fol. 173
Henricus vt tyrannus sit generalis descriptio. Cap. 19. pag. 2. fol. 177
Quòd sit regno inutilis. Crimen quintum. Principes duri & inutiles principatu cur arcendi. Cap. 20. pag. 1. fol. 187
Henricus vt sit regno inutilis. Cap. 21. pag. 2. fol. 188
Quòd Henricus hypocrita: Crimen ciuile sextum. Tyrannidi ferè coniuncta est hypocrisis. Cap. 22. pag. 1. fol. 193.
Hypocrisis etiam in hæreticis ac cæteris impiis. Cap. 23. pag. 1. fol. 195
Hypocritarum, præcipuè verò Regum, quàm acerba persecutio. Cap. 24. pag. 1. fol. 197
Henricus quàm insignis sit hypocrita. Cap. 25. pag. 1. fol. 199
Hypocrisis in re militari. Cap. 26. pag. 1. fol. 201
Hypocrisis in iustitia. Cap. 27. pag. 1. fol. 204
Quod vitiis vndique infamis. Crimen 7. Henrici superbia. Cap. 28. pag. 1. fol. 206
Henrici inuidia. Cap. 29. pag. 2. fol. 206
Eius ingratitudo. Cap. 30. pag. 2. fol 207
Inhumanitas in suos. Cap. 31. pag. 1. fol. 208

Eius libido. Cap. 33. pag. 2. *fol. 210*
Ignauia. Cap 34. pag. 1. *fol. 211*
Iactantia & vanitas. Cap. 35. pag. 2. *fol. 211*
Henrici stupor multiplex Cap 36. pag. 1. *fol. 212*
Henrici studia. Cap 215. pag. 1. *fol. 215.*
Publicum eius odium. Cap. 38. pag. 2. *fol. 215.*
Hëricus proprio ore damnatus. Crimen octauum. Cap. 39. pag. 1. *fol. 217*

LIBRI QVARTI.

QVo tota huius abdicationis series ac progressus explicatur. Ac primum an expectari iudiciorum formula debuerit. Cap. 1. pag. 2. *fol. 219*
Præueniri iudicium vrgente negotio posse. Cap. 2. pag. 2. *fol. 220*
Præueniri iudicium Ecclesiæ posse specialis probatio. Cap. 3. pag. 1. *fol. 222*
Secularis iudicij iustam quoque præuentionem esse posse. Cap. 4. pag. 2. *fol. 224*
Expectandi iudicij causas omnes in Henrico præclusas esse Cap. 5. pag 1. *fol. 226*
Præuentionis formã legitimam fuisse. Ac primum quod Theologorum fuerit ea de re sensum suum aperire. Cap. 6. pag. 2 *fol. 228*
Theologos nihil in ea temerè fecisse. Cap. 7. pag. 2. fol. 231.
Responsum quo ad subsiantiam contra Blæsensem censuram defenditur. Cap. 8. pag. 1. *fol. 233*
Arma in Henricum defensiua, non offensiua fuisse. Cap. 9. pag. 1. *fol. 236*
Eradendum de Missæ canone Henricum, rectè concluſum esse. Cap. 10. pag. 2. *fol. 237*

Henrico regnũ, nec si pœniteat, restitui posse. Cap. 11 *pag.* 2. *fol.* 240

Nihil quoque in eo neque à Principibus, neque à Senatu, neque à Populo perperam factum esse. Cap. 12. *pag.* 1. *fol.* 244

Literarum quæ ad Pontificem à Parisiensibus transmissæ sunt, exemplar. pag. 2. *fol.* 246

Sixti V. summi Pontificis in Henricum tertium censura. Cap. 13 *pag.* 2. *fol.* 250

Bulla S. D. N. Sixti Papæ V. contra Henricum III. pag. 1 *fol.* 252

Ad S. D. N. Sixtum Papam V. gratulatio pag. 1. *fol.* 260. *a*

Ad Henricum excommunicatum, anathematis contemptorem, Apostrophe. Cap. 14 *pag.* 1. *fol.* 262

Ad Henricianos, seu Henrici in genere fautores, vt excommunicationem horreant. Cap. 15. *pag.* 1. *fol.* 265

Frustra ab Henricianis ad concilium futurum prouocari. Cap. 16. *pag.* 2. *fol.* 249

Ad Catholicos, vt ab excommunicatis secedant. Cap. 17. *pag.* 2. *fol.* 270

Ad Ecclesiasticos Henricianæ factionis. Cap. 18. *pag.* 2. *fol.* 274

Ad nobilitatem ab Henrico stantem. Cap. 19. *pag.* 1. *fol.* 276

Ad Henricianos Senatorij ordinis. Cap. 20. *pag.* 1. *fol.* 278

Ad plebeij ordinis homines. Cap. 21 *pag.* 1. *fol.* 280. *a*

Mors Henrici inopina, ac cædes mirabilis. Cap. 22. *pag.* 1. *fol.* 281

Ad vniuersos tota Gallia Catholicos, vt pro restituenda Ecclesiæ & Reipub. pace laborent. Cap. 23. *pag.* 2. *f.* 285

FINIS.

AD LECTOREM.

ANimus erat (studiose lector) non mortuo Henrico (quis enim diuinaret?) sed viuo & furente adhuc, imo iugulis nostris imminente, opus hoc euulgare. Quod nisi ita esset, non cõminatorius ad eum hîc toties sermo, non præsaga futuri oratio esset. Ne id quidem foret, quod iuratissimi testes affirmare possũt, duobus minimùm, antequam ille caderet, mẽsibus excudi hoc cœptum esse: Vsque eò, vt ad eum libri huius codices perlatos extitisse, nouóque in nos furore exarsisse grauissimorum hominum indiciis ad nos etiã

ã

eo viuo pridem delatũ sit. Quæ vt nobis, non pauẽdi (nouit Deus) sed maturãdi causa fuit, metuentibus nõ tam quid in nos ille, si vinceret, crudeliter ageret, quàm ne suppresso hoc opere aliquam notitiæ totius huius causæ partẽ publico eriperet, ita perfectiõ id multo ante foret, nisi quæ assidua negotiorũ varietas, & otij penuria erat, sæpius interruptas operas esse coëgisset. Id vnum ægrè ferentibus nobis, si in eo mora esset, quòd importuno conuitio ac panè quotidiano flagitatum esset: quòdque spes aliqua erat fore vt omnes omnis generis homines de toto causæ huius statu ac merito plenius informaret, ac vel de eo differentibus syluam porrigeret, vel saltem aditũ aperiens, plura & meliora dicturis, veluti πρό-

δρομος quidã fœtus anteiret. Quod si putas factum à nobis audentius, erit vnde discere debeas, quale id sit Domini verbum, Dico autem vo- Luc. 12.
bis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc nõ habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquã occiderit, habet potestatẽ mittere in gehennam. Et quod ait Apostolus. Quis est qui, 1 Pet. 3.
vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autẽ eorum ne timueritis, vt non conturbemini. Certè ne quid te in eo legẽdo fatigaret, præter rerum varietatem, etiam eam quæ per capita fit distinctionem vsui tibi fore persuasum habentes, consilium id secuti simus, vt isto modo quicquid id est partiremur. Vnũ est quod nau-

seam parit, supinus videlicet operarum error, & proiecta in mendis expurgandis negligentia: molestior futura longe, nisi quæ interim occurrēt, talia esse crederemus, quæ à mediocriter doctis suppleri facile atque restitui possint. Ab ijs certè qui scribendi labore aliquando defuncti sunt, tanto excusabuntur facilius, quanto difficilius superari ista molestia ac durius solet. Postremum est, vt si quid minus exactè aut luculentè tractatū reperies, vt monitis iuues, vt suggeras obsecremus: atque vt in sequenti editione, si res ita feret, & placere compertum sit, futurū vt acquiescas sperare iubeamus.

VALE.



DE IVSTA HENRICI TERTII E FRANCORVM regno abdicatione.

PRÆFATIO.

DVrum & acerbum genti nostræ, & à desiderio nostro alienum, sed necessarium & ineuitabile negotium inuiti proferimus, vt quem Regem nuper coluimus, ac gemino insignem sceptro conspeximus, de hoc abdicando vel potius iam abdicato, quod prius minori in re in Polonia, nunc in longè grauiori in Gallia verba faciamus: & qui fortes olim Ecclesiæ pugiles, iustitiæ ac pietatis vindices Reges habuimus, hisque adeo gloriati sumus, nunc in infensissimum Religionis, patriæ, iuris omnis atque æquitatis hostem incidisse conqueramur. *Quis talia fando*

Populi gallicani inuitũ, sed necessarium consilium.

Gallorum iustus dolor.

Temperet à lacrymis? Sed si iustus dolor qui communis, nec reprehendi querimonia potest, quam publica pernicies affert, tantò æquius est & audiri quod loquimur, & probari quod agimus, quantò verius est non ad vnum quemuis dolorem hunc, sed ad omnes omnium ordinum homines pertinere. Læsa hic Ecclesia est, quæ facta prope exanimis, suis se hostibus prostitutam, vindicibus orbatam & priuatam luget, læsus ordo nobilium, qui comtempta virtute cædi se ac reijci, cynædos, fures, omnibusque insignes notis turpitudinis homines honorari dolet. Læsus ordo plebeius, quo nihil fœdius conculcatum atque laceratum omni ex parte est. Læsum ius & æquitas, cui bellum nefarium indictum est. Læsa patria, quæ se è florentissima quondam in fœdissimum latrocinium commutatam esse cernit. Læsa denique Respub. vniuersa, quę iugum sibi imponi vidit durissimæ seruitutis. Et miramur quorum offensio communis est, communem & querelam esse, vt singuli è tali seruitio discessum meditentur? & quidem de ea re quid sentiendum foret grauissimo responso suo

Gallorum iustus dolor.

Omnium ordinum per Henricum offensio.

Eorundem in Henrici abdicationem consensus.

Theologorum ordo expresit, cùm iustam HENRICI exauthorationẽ, cùm bellum in eũ sanctũ esse dixit. Neque verò aliud Curia sensit, quę tam sancto iuramento pro restituẽda religione, libertate & patrio more se obstrinxit. Non alia nobilium, quibus virtus saltem, vt latrones esse nollent, aliqua fuit: non iurisc̃ōsultorum ac iudicum, qui nō se mammonę pridem deuouerunt, non reliquorum ex omni genere hominum, qui pilum aliquem viri boni atque pij habuerunt, mens atque consilium, quibus singulis vt suæ factæ ab HENRICO iniuriæ, ita habent quod cōmunibus studiis cōque rantur. Solis si superis placet atheis, hæreticis, veneficis, laruis, cynædis, ganeonibus, blasphemis, auaritię, ambitionis, luxuriæ ac libidinum mancipiis regnum istud placet, vt quod Epidemia laborantibus accidit, vt quicquid in iis corrupti ac peccãtis humoris est, ad eam partem confluat, in qua pestilens abcessus est, id plane hîc vsueniat, vt quisquis in Gallia corruptissimus est, si quis decoctor, si aleæ deditus, si alieni vel fundi ac census vel coniugij appetitor, imo vsurpator, si Simoniacus, si hypocrita, huic se causæ adiungere, in iis castris mili-

Cuiusmodi homines Henrico faueãt.

Simile.

tare, has tueri partes necesse habeat. Quo magis dolendũ est viros se bonos eos venditare, quibus cordi est ista causa, aut si quid veræ virtutis in iis reliquum est, non inde discedere, vbi tueri nomen istud nulla ratione possunt. Quod si propterea factum est, quod illi quàm iniquo, quàm lubrico loco sint necdum didicerint, & prauis illusi sophismatis, quod tueri debuerãt, in id infesto ense armati sint, vt nos errori ignoscimus, qui in re præcipiti æquitatis iudicium sæpè aufert, ita ne his se tenebris inuolui diutius sinant, vt ad cor redeant, vt se Ecclesiæ, quæ fœdissimè licèt dissipata, sinum tamen pietatis offert, pugiles exhibeant, vt quod summæ ac solidæ laudis est, vt à caligine ad lucem, à vitio ad virtutem, ab iniuria ad iustitiam conuertantur, id, sero licet, aliquando tamẽ præstent, per omnipotẽtem Deum obsecramus. His scilicet nostra sudat industria, ne diutius in errore isto hæreãt, & qui inde discesserũt, id quod agunt constanter & integrè perficiant: ac denique qui foris sunt, dum totius nostri consilij rationem habent, id nos facere mirari desinant, quod mirum potius esse debet, tamdiu nos silentes ac veluti exangues

Vnde factũ vt quidam non omnino perditi ab Henrico stent.

Ad eosdem admonitio.

Intentio operis ac fructus.

facere distuliſſe. Quod nos etiam tantò ſcribimus lubentiùs quòd reſtituendæ ex eo Reipub. formam aliquam ſequẽti ſeculo acceſſuram confidimus, vt cùm Regibus quàm ſubiici eos legibus neceſſe ſit conſtiterit, ijs populus iuſtioribus ac commodioribus, ij viciſsim populo faciliori ac meliori vti poſsint. Quæ cùm non vnius hominum generis ſed omnino omnium cauſa cõmunis ſit, mirum profecto eſſe nõ debebet, ſi quæ à ſingulis de ea re didicimus, hęc in vnũ compacta ſimul coniungamus. Multa hîc nos Theologi, multa Iuriſperiti, multa rationum publicarum magiſtri, multa vel aulici ipſi, multa & alij ex quouis ordine homines docuerunt. Theologis certè debemus tãto plura, quòd & illi ſcrupulos grauiſsimo ſuo iudicio gẽti noſtrę ademerũt, & quæ de ea re illi preſsius & pro ſchola ſubtilius dixerant, & in codicem redegerant, vberiorem nobis ad dicẽdum materiam præbuerunt. Cætera ab iis accepimus, qui vt iniuriæ teſtes oculati ſicuti nos in ſuo quiſque ordine fuerunt, ita ſcribendi de ea re nobis authores extiterunt. Qua in re ſi quid erit quod acerbè nimium & audenter factũ à prudẽti illo & patriæ vti-

Omnium ordinum ſymbolis congeſtum hoc opus.

Veterum patrum in principes fidei deſertores quanta vehementia fuerit.

lissimo Theologorum consessu primùm, mox à nobis qui scribimus, è Politicorum lacunis gratiosissimi homines quiritentur, indignúmque facinus clament contra Henricum sic mutire, ij si clara illa Ecclesiæ lumina apud Græcos, Nazianzenos, Athanasios, Chrysostomos, apud nostros Hilarios, Luciferos contra principes fidei desertores ac tyrannos fulminantes, tonantes, cœlum terræ permiscentes legerint, habebunt quod vt in illis in re minori incitatum, vehemẽs, austerum ac seuerum admirari debeant, sic in nostris in maiori lõge nequitia, imo quantam sol iste neque nostra neque patrũ memoria vidit, remissum, tardum, molle ac lene præ illis esse conquerantur. Sed nos rem qualis est aggrediamur.

DE IVSTA HENRICI TERTII E FRANCORVM regno abdicatione,

Liber primus.

Tripertita dicendorum distributio.

CAP. I.

DIcturis de iusta HENRICI tertij à Francorũ sceptro abdicatione tria omnino exponenda videntur, Primum, *An iusta omnino causa esse possit, maxime autem in Gallia Reges abdicandi.* Deinde, *An causa legitima in Hẽrico tertio subsit, propter quam abdicetur.* Postremò, *An premente negotio iudiciorum formulam hîc expectari oporteat, vt non protinus abdicetur, aut ad arma conuoletur.* Quæ tria eò diligentius explicanda sunt, quòd triplex hic à certis hominibus dubitatio

occurrit, vel quòd dicant solius Dei non hominum iudicio Reges subiacere, populo non aliud quàm vt oret & patienter ferat relictum esse: vel quòd Henrici acta nonnulli excusent: vel quòd denique iudiciorum formâ hîc expectari velint, antequam quid decernatur.

DE IVRE ABDICANDI REGES.

Ac primùm quid Regis nomine hîc intelligi oporteat.

CAP. 2.

HIc primùm obseruandum est, de abdicando Rege cum loquimur, non nos hunc regem intelligere, qui regiè, hoc est iustè & legitimè imperet atque agat. A quo vtnullam deficiendi imo ei non obediendi iustam causam esse agnoscimus, ita qui secus faciat, maximè verò qui religionis aut populi oppressionē siue interitum meditetur, hunc coërceri primum omni honesta ratione oportere, & si

aliter res succedere non valeat, sceptro amouendum esse sine cõtrouersia profitemur. Qua in re vt nihil à nobis bonis & catholicis regibus metuendum est, ita malis & impiis & qui jis fauent, an istud displiceat non magnopere curamus, memores verbi huius *Quoniam dissipabit Dominus ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt quoniam Deus spreuit eos.* Psal. 13.

Obiectionum solutio.

CAP. 3.

1 NEque verò nos illa mouent quæ à multis in contrariam partem afferuntur. Cuiusmodi illud est quod B. Petrus dominis nõ tantum bonis & modestis, verum etiam dyscolis obedire iubet, quòd aliud sit δύσκολον, siue vt in Græco exemplari est σκόλιον (quod durum, præfractum, difficilem, morosum, modesto denique contrarium significat) aliud apertũ iustitiæ aut pietatis oppressorem esse. Aliud etiam non modestum aut commodũ, aliud impium & iniquum esse. 1. Pet. 2. Dyscolus quid?

2 Multò etiam minus Politicorum dete- Politicorum impia vox.

stabilis illa vox, Regem nullis legibus subijci, sed supra legem esse. Quod vt de positiuis legibus priuatóque iure apud iurisco sultos aliquando dicitur, ita qui de iure communi, aut omnino de omni lege intelligat, quæ nihil aliud quã recta ratio est, nõ hominem nobis, sed teterrimam quãdam belluam fingat. Adde quòd ne diuinę quidem legi sit parituras, qui omnem legem excutiat. Quod in principe qui admittat, omni sceleri ac nequitiæ contra Deũ & omne ius feneſtram sit aperturus.

Rex non est supra omnem legem.

Rex Ecclesiæ iudicio subiacet.

3 Neque etiam quod dicunt solius Dei iudicio præterea nullius subiectum regem esse. Quod vt nullo scripturæ testimonio probatur, ita ab eadem manifestissime refellitur, quæ ait *omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse*, & *Quodcunque super terram Ecclesia ligauerit* (nulla enim hîc Regis exceptio qui & terræ nomine continetur) *in cœlo quoque ligatum esse*. Quæ reges iubet seruire Ecclesiæ, quæ *nutritios eius esse* & futurum *vt vultu in terra demisso adorent & puluerem pedum eius lingant*, profitetur.

Rom. 13. Matth. 16. & 18. Esa. 61. Esa. 49.

4 Sed neque quòd martyres dicunt mortem toleraſſe, & vt tyrannos Ecclesiæ infestos deponerent minimè sategisse. Quia

vt id laudabile est cum resistere nequeas, ita vbi possis, resistere religionis ac patriæ hosti nolle nefarium ac pernicioſum esse cùm antiquo illo Machabeorum & aliis multis, tum recenti finitimorum Anglorum exemplo eruditi sumus. Et mortem quidem pro seruanda fidei integritate toleratam ac tolerandam esse didicimus, pro seruanda autem tyranni aut persecutoris vita & obediẽtia nondum didicimus. Neque tanti esse debet improbi & Reip. exitioſi hominis vita & dignitas vt pro ea vel abijci seruitutem Dei, vel auferri rebus humanis viros bonos & patriæ amãtes oporteat. Quin potius rei peccati futuri sint, qui pro tam indigna cauſa vel pugnent vel moriantur, à qua ſcilicet defendenda non ius tantum immunes reddat, verùm etiam conſcientia retrahat: imo contra eos armet, quos omnino hinc auferri præstat.

Religionis hosti cùm possis etiã licet resistere.

§ Non etiam id quod dicunt Christum tributa Cæsari pendisse, cùm magnum sit discrimẽ inter ius regium, quod Romanis in Iudæos vel ipsorum iam conſensu quæsitum erat, atque inter tyrannidem, quę inuitis obtruditur, qualis hodie omnis illa poteſtas est, quę religioni ac pietati aduer-

Mat. 22.

satur. Vt nec illud omittatur, quòd Christus in ea re priuati hominis exemplum, nõ regni ac populi videtur præbuisse.

1. Timoth. 2. 6 Neque illud quod Paulus Apostolus pro principibus etiam impiis preces fundi iubet. Non enim propterea resistendum inimico non est, quia pro eius conuersione orandum est, cùm id Dauid dudum faciẽs

1. Reg. 24. 25. 26. probatus Deo extiterit. Quãquam ea tempora incidere possũt, vt in deplorata principis nequitia (quod sub Apostata Iuliano factum est) non modo pro eo non oretur, sed publicè etiã in eum imprecationes fiãt & à Deo exaudiãtur, & exaudiri pij omnes

Theodor. in hist. lætẽtur. Quod inter alios feciſſe cognomine Iulianum Sabam monachũ proditũ est.

Theop. Baruch. 1. 7 Neque illud quod pro Nabugdonosore orare Iudæi iubentur diuinitus, maléque fuit Sedechiæ quod ab eo defeciſſet: Quia nec tũ resistere licebat, cùm serui Iudæi ac minimè liberi essent: & Sedechias parere

4. Reg. 25. Nabugdonosori nominatim iussus esset, idque iuramẽto absolutè promisisset. Quorum neutrum cum in Repub. libera sit, ne vinculum quidem eius rei esse vllum potest.

Probatur Ius abdicandi Reges.

Cap. 4.

QVæ cùm sint eiusmodi, vt aduersus illud quod quærimus ius Reges abdicandi nihil efficiant, id quale sit sequitur vt probemus. Ius porro illud cum duplex sit, Ius reges abdicandi duplex. Ecclesiæ vnum, quod peculiare est Christianorum, Populi seu Reipub. alterum, quod est commune omnium gentium, populorum ac religionum (quãquam ea apud Christianos sic concurrunt, vt vnum alterum non destruat, & alterum alterius auxilio nitatur ac iuuetur) de priori dicendum omnino nõ esset, quòd notius id sit, quàm vt multa probatione sit opus, & ab aliis olim sæpè probatũ sit, nisi quæ hominum impudentia est, vel in luce certissima caligantium, & clausis sua sponte oculis, quod non vident, ne esse quidem dicentium, id nos cogeret paucis saltem delibare. Quod vt intelligentibus & ad alterum properantibus non ita fortasse necessarium erit, ita vel id saltem præstabit, ne isti, qui in suis se tenebris sapere putant, vltra pergant obgannire, veritatíque alioqui certissimæ resistere.

IVS ECCLESIÆ REGES ABDICANDI.

Ac primùm quodnam illud sit.

CAP. 5.

IVS in Ecclesia Reges abdicandi esse cùm dicimus, non id volumus, quod calumniæ loco nos dicere obiiciunt hæretici, penes Romanum pōtificem aut qui infra illū sūt esse, vt principes arbitratu suo, seu vt loquūtur pro animi libidine deiicere, Regni iura immutare, leges abrogare, in eosdemque vt in Episcopos & reliquos Ecclesiastici ordinis homines plenā & directā iurisdictionē exercere possint. Id volumus, cùm ille Christi vicarius sit, vt videat ne quid Christo, ne quid eius Ecclesię ac religioni iniuriæ fiat, ne quid vel populi ac regni vel regum ipsorum salutem impediat, (cuiusmodi sunt hæresis, schisma, periuriū, Apostasia & similia, quæ sine graui Ecclesiæ detrimento in regibus esse nequeunt) id ei licere, vt cùm nihil leniter admonuisse profuerit, cùm censuras

contemni audierit, cùm periculum graue Ecclesiæ è tali regimine imminere, deponi denique & vtile & commodum esse agnouerit, tum populos obedientiæ vinculo eximat, detque operã vt alteri commodari grex à Christo redemptus committatur. Quod ius ei in solos Christianos reges propterea concessum est, quod vt gentiles nullo se iure Ecclesiæ subiecerũt, ita ei Reges Christiani se suáque, hoc est, imperium suum totum submiserũt. Quippe cũm non aliter Christianis imperandi ius cuiquam esse possit, quàm si regũ regi Christo eiusque sponsæ Ecclesię obedientiam promiserit. Neque verò iustius quicquã esse potest, quàm vt in quos ius Ecclesia Christi habet, ab iis illa prouideat ne reliquo gregi suo noceatur. Quod ne quis diuinitus datum Ecclesiæ esse inficias ire possit, scripturæ vtriusque testamenti authoritas, exempláque & perpetuus in Ecclesia vsus efficiet.

Ius Ecclesiæ in solos Reges Christianos.

Iuris Ecclesiæ in reges, Veteris legis Exempla.

CAP. 6.

De iusta Henrici iij.

AC primum occurrent illa quæ è veteri instrumento deprompta ius illud Ecclesiæ in reges iam ab illo tempore extitisse docuerunt. Sic Samuel Saulem regem à se institutum prius, quia spiritualem functionem vsurpasset, quia mandata dei trãsgressus esset, quasi excõmunicatum regni iure priuauit & in Dauidem illud transtulit. Prorsus vt ab eo tempore quicquid Saul gessit, vt quod sacerdotes Nobe numero octoginta per Doëg Idumæum interfecit, quod Samueli ac Dauidi vitã adimere conatus est, tyrannum non regem se præbuerit, manifestáque ademptæ regalis gratiæ signa ostenderit. Sic Hieroboam cum vitulos aureos posuisset, contra eum & domum eius totam propheta diuinum iudicium pronunciauit, *& ne mingentem quidem ad parietem de ea reliquum futurum* esse prædixit. Sic monente Azaria propheta, Asa rex Iuda idola comminuit, *& Maacham matrẽ, eo quòd libidinosum Priapi simulachrum coleret, de augusto imperio deposuit*. Sic Oziam Azarias sacerdos de templo primùm, mox etiam de regno eiecit. Sic Athaliam Ioiada sacerdos regno simul & vitâ priuauit. Elias Achabo & Iezabeli in os restitit; Ochoziæ duos

1.Reg.13.
1.Reg.15.
1.Reg.22.
3.Reg.14.
2.Par.15.
2.Par.26.
4.Reg.11.
3.Reg.18.
4.Reg.1.

duos quinquagenarios eorúmque milites numero centũ igne cœlitus immisso perdidit; quadringẽtos & quinquaginta pseudoprophetas inuitis rege reginaque interfecit, Hazaëlem regem Syriæ, Iehu regem Israëlis, Elisæum vice sua prophetam instituit, cum ea potestatis significatione, vt *qui fugeret gladium Hazaelis occideret eum Iehu, & qui fugeret gladium Iehu interficeret eum Elisæus.* Vnde de Elia Sapiẽs, *Qui deiecisti Reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & glorioſos de lecto ſuo.* 3. Reg. 18. 3. Reg. 19. Eccl. 48.

Iuris Ecclesiæ in Reges in Euangelica lege testimonia.

Cap. 7.

APertiora sunt quæ de noua lege prænunciata primùm, mox in eadem instituta reperiuntur. Priora sunt illa de futura Ecclesiæ in reges potestate vaticinia. *Et erunt Reges nutritij tui & reginæ nutrices tuæ, vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent, & scies quia ego Dominus,* & rursum, *Gẽs & regnum quod non seruierit tibi peribit,* & illud ad Hieremiam insi- Esa. 49. Esa. 60. Hierem. 1.

Hier.1. gne, *Ecce constitui te super gẽtes & super regna, vt euellas, & destruas, & dissipes, & ædifices, &*
Psal.71. *plantes,* & in Psalmis, *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei,* & alibi,
Psal.2. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam fas figuli confringes eos.* Reliqua sunt hæc, Quòd Pe-
Ioh.21. tro Christus oues suas (& reges igitur) pas-
Matth.16. cendas commisit; Quòd claues, ligandí-
que ac soluendi potestatem dedit; Quòd
Heb.13. D. Paulus omnes præpositis subiacere ius-
Tit.3. sit; Quòd idem consuetudine cum hæ-
reticis interdixit; Quòd iisdem D. Iohannes
Epist. Ioh. 2. ne Aue quidem dici permisit. Quomodo enim id faceret, nisi ab obedientia regis, qui talis quidem esset, absoluere posset? Quam ne spiritualem tãtum potestatẽ esse quis putet, prodibit mortuus increpãte Petro cum vxore Sapphyra Ananias, traditus
Act. 5. Corinthius in interitũ carnis, Energumeni
1.Cor.4. item iubẽte Paulo Hymenæus & Alexan-
1. Tim.1. der. Et quod ait idẽ Paulus, *Nescitis quia*
1. Cor.6. *angelos iudicabimus? Quantò magis secularia?*

Exempla ad id Ecclesiastica.

Cap. 8.

EOdē illa potestatis Ecclesiasticæ exē-pla spectant. Vt quòd Babylas Antiochenus Episcopus vnicum eo tēpore Christianum imperatorem Numerianum (Philippū alij, alij Decium dicūt) ob percussum regis cuiusdā filium obsidis loco in fœdere sibi datum excommunicauit. Et propter id à Numeriano interfectus vt Martyr à D. Chrysostomo celebratur & ab Ecclesia colitur. Sāctus Ambrosius Theodosium ob cædem Thessalonicæ factam excommunicauit, & ad pœnitentiam inter laicos publicè agendam Mediolani compulit. Innocentius primus Arcadium imperatorem eiusque coniugem Eudoxiam eò quòd Episcopo suo S. Iohanni Chrysostomo resisterēt, eúmque persequerētur, imo in exilium misissent, excommunicationis sententia percussit. Gregorius 2. Leonem 3. Imperatorem hæreticum excommunicauit, & omni quod in Italia habebat imperio priuauit. Et Zacharias abdicato Childerico & Gallos à fidelitatis iuramento absoluit, & Pipinum in eius locum substituit. Leo 5. Pontifex imperium à Græcis ob religionis contemptum ad Germanos transtulit. Sed & Germani imperatores

Chrysost. in vita Babylæ. Sozom. lib. 7. cap. 24. Theod. l. 5. c. 17.

Niceph. lib. 13. cap. 34.

Zonar. tō. 3. Paul. Æmyl. lib. 2. 15. q. 6. 2. lius.

ob schismata, hæreses & sacrilegia à Pontificibus deiecti sæpe numerantur. Cuiusmodi sunt Fridericus primus, Fridericus 2. Otho Quintus, Ludouicus 4. & famosus ille Hericus quartus, quem Gregorius septimus ob simoniam, homicidia, adulteria & sodomiticam turpitudinem excommunicauit & imperio priuauit. Idem Gregorius 7. Boleslaum 2. Poloniæ regem ob cædem sancti Stanislaj Episcopi ad altare sacrum excommunicauit, regnique iure destituit. Qui & à suis derelictus, imo oppugnatus in fugam se coniecit, & ad extremum mortem sibi consciuit. Sic propter hæresim Georgius Boëmiæ rex primũ excommunicatus, deinde à rege Hungariæ regno expulsus est. Notandáque omnino Gregorij magni sententia est, qui in eo priuilegio quod Sancti Medardi monasterio in Galliis concessit, ita decernit, Si quis „ Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarun„ cumque personarum secularium huius „ Apostolicæ authoritatis & nostræ præcep„ tionis decreta violauerit, cuiuscumque „ dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo priuetur. Accedit his Concilij Toletani quarti nobile & meritò literis aureis

Trithem. in Chron.

Cromer lib. 5.

Tom. 3. Concil.

Concil. 4. Tolet. cap. 74.

consignandum decretum. *Sanè de futuris regibus hanc sententiam promulgamus, vt si quis ex eis contra reuerentiam legum superba dominatione & fastu regio in flagitiis & facinore siue cupiditate crudelissimam potestatem in populis exercuerit, anathematis sententia à Christo Domino condemnetur, & habeat à Deo separationem, atque iudicium, propterea quòd præsumpserit praua agere & in perniciem regnum conuertere. De Semithilana verò, qui propria scelera metuens seipsum regno priuauit, & potestatis fascibus exuit, id cum gentis consultu decreuimus, vt neque eum vel vxorem eius propter mala quæ commiserunt, neque filios eorum vnitati nostræ vnquam consociemus, neque eos ad honores, à quibus ob iniquitatem deiecti sunt, aliquando promoueamus. Quique etiam sicut fastigio regni habentur extranei, ita à possessione rerum, quas de miserorum sumptibus auxerant, maneant alieni.* Quæ profectò sententia tantò ad seueritatis exemplum magis notanda est, quòd vel in eius qui sponte regno abdicasset (quod pœnæ omnis instar videri poterat) tum caput, tũ posteros ac cognatos ita desæuiit, vt ne so-

Patrũ Toletanorum in Semithilanam Regem seueritas.

cietate quidem hominum dignos haberi vellent. Quid enim de perseuerante in peccato patres illi statuerent, qui vel pœnitentem ac se submittentem tam austerè punierunt?

IVS REIP. AC POPVLI REGES ABDICANDI.

Ac primùm quid populi nomine intelligatur, & in quo ius illud consistat. CAP. 9.

DE iure Ecclesiæ supra reges cùm dictũ sit, sequitur vt de iure regni ac populi in eosdem dicatur, & vt abdicari à populo possint declaretur. Quod antequã exponimus, intelligendum populi nomine isto loco non inconditam & confusam turbam, quæ bellua multorum capitum est, quęque ineptissimi cuiusque & stultissimi furias vt plurimum sequitur, vbi sine iudicio, sine mente oritur sæpissime

Populus hic quo sẽsu intelligatur. Æneid. 1.

Seditio, sæuítque animis ignobile vulgus,
Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat, cuius captare auram, corrupti, abie-

cti, doloſi, iniuſtíque animi indicium ſemper fuit, ſed procerum, Senatorum ac præcipua virtutis, probitatis, iudiciíque ac dignitatis authoritate hominũ prudentem ac iure coactã multitudinẽ ſumi: ex eo genere ſcilicet de quo ille apud eundem poëtam,

Tum pietate grauem ac meritis ſi forte virũ quẽ
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus aſtant.
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Quæ vt publicam regni poteſtatem refert, ita eo ſenſu cũm de iure populi in regem dicemus, vſurpaturi populi nomen perpetuò ſumus, vt populum ac Rempub. ſeu regnum (quo idem eſſe conſtet) propterea coniunctim proferamus. Ius autẽ illud cùm in duobus poſitum ſit, vt & à populo ſeu Repub. conſtitui reges, & regibus conſtitutis ſic penes eos ſummam poteſtatem eſſe conſtet, vt ſuum in eos tamen populi ſeu Reipub. ius ac maieſtas remaneat, huiuſque adeo læſæ vel imminutæ, ſi res ita ferat, Rex teneri poſſit, hæc ſequitur vt viciſſim comprobemus.

Ius populi ſupra regem quale.

Reges à populis eſſe conſtitutos.

CAP. IO.

Potiores constituentes quàm constituti partes. Heb. 7.

Ac prius illud quidem quid valeat intelligi ex eo potest, quòd potiores semper sunt constituentis quàm constituti partes. Et vt minor sine contradictione à maiori benedicitur, sic & constituitur. Sic enim Putiphar Ægyptius Ioseph um supra domum suam constituit. Et Danielem Nabugdonosor super Babylonem. Et Darius centum & viginti optimates super regnum. Omninóque serui à Dominis, & ministri à regibus constituuntur. Reges porro à populis constitui cùm ratione & exemplis probandum sit, & ratio duplex omnino sit, altera quia sine regibus populi esse possunt, reges sine populis non possunt: altera quia è re sua populi esse iudicarunt, vt regem sibi constituerent, vtramque etiam ordine declaremus.

Genes. 39. Dan. 2. Dan. 6.

Populus sine rege, non autem Rex sine populo seu Rep. esse potest.

CAP. II.

NOn enim dubium est, quod est eiusmodi, vt sine altero esse possit alterum verò sine eo non possit, huic illud originis atque existentiæ principium esse. Multò e-

tiam minùs, id quod ab alio pendet, huic vt subiiciatur, ac legi eius subsit comparatum natura esse. Non enim alia ratione filios parentibus subiectos esse constat, quã quòd ab iis ortus sui initium acceperint. Porro vt populus sine regibus esse possit multę nationes docent quæ Regibus caruerunt. Eiusmodi fuerunt illæ quæ vel Aristocratia delectatę sunt, vt Thebæi tẽpore Nini, Rhodij, Massilienses, Romani, Carthaginienses ac dudum vel nostris tẽporibus Veneti, Genuenses, Pisani, Florentini, Lucenses; vel Democratia vt olim Athenienses, hodie etiam Heluetij. Imo & ante Saülem Regem Israël non habuit. Quòd si Samuelem præfuisse dicas, & ante hunc alios Iudices & Sacerdotes, istud sane causæ nostræ proderit, quippe vt ex eo constet quàm verum est sine sacerdote populum esse non posse, tam verum esse carere eum rege posse. Nam & veteres illi patriarchę, qui simul sacerdotes erant & reges, sacerdotii potius quàm regiæ dignitatis studiosi fuisse videntur. Et Deus regem petente populo abiectum se dixit, quòd imperio sacerdotis non viderentur esse contenti.

Euseb. in Chron. Strabo lib. 4. & 14.

Populus sine Rege esse potest, sine sacerdote non potest.

1. Reg. 8.

Rex sine populo esse nequit.

At sine populo Rex plane esse nequit, quia regem quantus quantus est populus facit, vt si ab eo populus secesserit, Dionysius alter Corinthi sit futurus. Multi quippe Regum oculi atque aures, longæ manus & pedes veloces esse dicũtur. Quid istud? An quia monstrũ Rex est Argo, Geryoni, aut Midæ persimile? An quia potius ista omnia populus Regi subministrat? Quippe secedat populus, cæcus erit qui modo Argus erat. Qui auritus, nunc surdus. Qui modo magnificus & superbus, nunc luto despicatior & proiecta vilior alga est futurus. Colossum videlicet istũ basi propria si destituas, labi in terram, frangíque & conteri necesse est.

Rex Colossi instar.

E re populi fuit vt reges sibi constitueret. Ratio posterior.

CAP. 12.

PORrovt è re populi fuerit Reges sibi cõstituere (nam hæc altera ratio erat) ex eo patet, quòd cùm natura liberi omnes essent, neque verò bonũ esset agere quenque quod liberet, sed communi iure opus esset, cui se omnes conformarent; iámque

ex multis gubernationis formis, eam natura ipsa præstare edoceret, quæ ad vnum relata mundi sub vno rectore Deo positi est imitatrix, & Monarchia nuncupatur, idipsum vel testante Homero,

Οὐκ' ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς. Iliad β.

Non multos regnare bonum, Rex vnicus esto, multi in id consenserunt, vt quæ penes eos immediatè politica potestas erat, ad vnum aliquem publici commodi causa transferretur. Cui quod regendi prouincia data esset, propterea Rex diceretur. Hinc illa publicæ commoditatis indicia regi data cognomina, quòd ποιμὴν λαῶν id est pastor populorum, quòd pater, quòd ἄναξ quasi ἄκος id est medicina, quòd βασιλεὺς quasi βάσις τοῦ λαοῦ id est firmamentum populi appellatur. Et quod Hebræi obseruant מלך (quod est Rex) idiomate sacro dici posita in medio litera ל, quæ cæteris eminet velut Alphabeti regina & in medio eius collocata & doctrinam significat (למד enim docere est) vt ex eo cõstet cæteris sapientia regem eminere ac pietatem (quæ in Deuteronomio *vera intelligentia* esse dicitur) in medio pectore asseruare debere. Deut. 4.

Reges hominum instituto nõ natura cõstant.

Regis notatio latina græca & Hebrea.

Prorsus vt cùm illevtilis per omnia esse debeat, qui se pro rege hostem, pro pastore lupum, pro patre latronem, pro medicina venenum, pro firmamento ruinam, pro sapiẽte denique insipientiæ fontẽ exhibeat, nulla ratio esse possit, cur hunc tolerare multitudo, nõ potius procul à domo, procul à grege, procul à corpore eiicere debeat: Et quod honoris contulit sic auferre, vt commodiori & meliori alteri deferatur.

Obiectionis solutio.

CAP. 13.

NOn enim nos istud mouet quod Reges διογένεες ac διοτρέφεες ideſt à Deo geniti, ac Dei nutritij ab Homero vocantur, vt quod ille ait,

Iliad. β. Θῦμος γὰρ μέγας ἐστὶ διοτρέφεος βασιλῆος,
Τίμη δ' ἐκ διός ἐστι φιλεῖ δὲ ἐμπέδον ζεὺς.

Regis at ingentes animi, quem nutrit alumnum
Iuppiter. At Ioue talis honor. Charus sapienti
Est etiam ille Ioui. vt hinc Reges à Deo tantum non etiam à populo esse dici possit. Neque etiam quæ è scriptura quidam citant, vt quod D. Paulus *Omnem potestatem à*

Rom. 13. *Deo esse* ait *& qui potestati resistit, ordinationi*

Dei resistere. Et quod sapiens *Regnum à Deo* Eccl. 10.
transferri à gente in gentem. Et quod Daniel Dan. 4.
Dominari excelsum in regno hominum, & cuicũque voluerit dare illud, & si qua sunt eiusmodi. Quia si quid ista cõtra quod volumus probent, eodem modo nec à parentibus genitos liberos esse è scriptura probandum sit, cùm Christus *nominari in terris patrem* vetet, Matth. 23.
vnúmque patrem qui in cœlis est, id est Deum agnosci præcipiat. Et vetus dictum est, in cœlo fieri coniugia. Num propterea igitur ab hominibus hæc non fiũt? Sed & nota illa matris septem fratrum generosa & digna vox, *Nescio* (inquit illa) *qualiter in vtero meo apparuistis, neque enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi. Sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, &c.* 2. Mach. 7. Num ergo ipsa mater eorum non fuit? Num propterea eos non genuit? non tulit in vtero? non peperit, aluit, erudiuit? Non suo iure vt in lege Dei constantes essent animauit, imo imperauit? Neque verò si Deus Ioseph in Ægyptũ Genes. 45.
pro salute patris atque fratrum præmisit, propterea qui eũ vendiderunt fratres aut scelere caruerunt, aut reprehensione, quasi

nihil per eos factum in eo sit, digni nõ sint. Neque etiam quod decem tribubus à Roboamo deficientibus, *Verbum hoc Deus à se factum esse ait*, propterea vt id fieret causam non dedisse dicendus est Roboamus, aut non erasse in eo grauissimè, quòd iuuenum consilium sequutus, durum nimis populo conquerenti responsum dedit. Nec si Deus est qui incrementum dat, propterea aut Paulus plantando aut Apollo rigando nihil feciisse dicendi sunt, cùm Paulus ipse certissimum se sui laboris præmium expectare fateatur. Crassúsque nimiũ hic error est, quod permittente, interdum etiam inspirante ac promouente, certè vbique & in omnibus prouidente Deo fit, sic Deo soli tribuere, vt mediis causis nulla in re tribuatur. Et nos quidem vt reges à Deo vt & bonum omne esse agnoscimus, ita intermedio iure gentium & per populum, vt sunt, ita esse sanè fateamur.

3. Reg. 12.

1. Cor. 3.

2. Tim. 4.

Quòd Reges à populis constituantur, Exempla sacra.

Cap. 14.

A Deo quippè penes populum regis cõstitutio est, vt tametsi rex Israël à Deo

delectus esset, à populo tamen constitui iubeatur, dicente Deo, *Cùm ingressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, & dixeris constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues quem Dominus elegerit ex numero fratrum tuorum.* Deut.17.

Sed & vsus facto id probauit. Nam cùm electus à Deo esset Saül, Samuel populum in Masphat ad constituendum regem conuocauit, & perinde ac si electio nulla esset, missa sorte, cùm ea super Saülē cecidisset, àpopulo publicè rex est nominatus. 1.Reg.9.

Quinetiā cùm Ammonitas percussisset, denuo à populo Rex est confirmatus. 1.Reg.11.

Et quidem Dauid multo ante Rex à Deo electus erat, nec prius tamen regnare cœpit, quā septimo *post* anno in Hebron est consecratus, & à populo constitutus. 1.Reg.16.

Sed & Salomonem filium Regem post se Dauid statuerat. Neque id satis fuit, nisi prę sente populo in *Gihon* consecratus ab eodem Rex nominaretur. 3. Reg.1.

Et mortuo Salomone populus congregatus dicitur *vt constitueret Roboam regem.* 3.Reg.12.

Sic Azarias, Ioas, Ochozias & alij reges cōstituti àpopulo leguntur. 2.Par.14.

Vnde & Absaloni captandi regni occasio fuit, cùm diceret, *Quis me constituat iudicem super ter-* 2.Par.22. 2. Par. 23. 2.Reg.15.

ram? & sollicitaret corda virorum Israel. Nec aliò alluſit iſta Chuſai Arachitæ ad Abſalonem reſponſio, *Illius ero* (inquit) *quem elegit*
2.Reg.16. *Dominus & omnis hic populus & vniuerſus Iſrael, & cũ eo manebo.* Sed nec populus Chriſtum rapere vt regem ſibi faceret animum
Ioh.6. induxiſſet, niſi præter longum maiorum vſum, ſuapte ſponte poteſtatem hanc penes ſe eſſe intellexiſſet, vt fugere propterea Chriſtus neceſſe habuerit, quia nõ vt cæteri reges terræ, quorum tẽporale regnũ ſiue de hoc mundo eſt, à populo conſtitui vellet, qui Rex omnium ſeculorum à ſolo patre conſtitutus eſſet.
Ioh.18.
Pſal. 2.
Pſal.144.

Obiectioni occurritur.

CAP. 15.

QVòd ſi quis obiicit electos ſaltem citra populum Saülem, Dauidem & Salomonem extitiſſe, cum à populo non electi (quod iam erat diuinitus) ſed conſtituti dicantur, nos vt perſonæ priuilegium iſtud eſſe agnoſcimus, ita vniuerſè regnum ſeu regiam dignitatem à Deo immediatè eſſe denegamus. Nec tam hæc regni à Deo inſtitutio eſt, quàm regis inſtituendi petenti ac flagitanti populo, offenſo ac minimè probante

probãte Deo, facta consensio, cùm se contemptum Deus ista regis postulatione conqueratur, quòd à sacerdotibus gubernari non satis habere viderentur. Ob idque nõ tam hîc regnum Deus instituit, quàm quia regnum populo placuerat, in regis persona eligenda eos iuuit. Quem ne aliter quidem imperare voluit, quàm si à populo esset cõstitutus. Omnino vt sacerdotes à solo Deo nullo intermedio iure constitutos in vtroque testamento legimus (quod enim *Moses & Aaron in sacerdotibus Dei* olim fuerunt, & Christus Apostolos sacerdotes, ac per eos sacerdotum successionem perpetuam instituit, profectum ab homine nullo modo dici potest) ita reges à solo Deo, nullo adhibito humano vel iure & authoritate, vel vi ac violentia, aut postulatione, aut contractu, aut consensu, vno nomine sine hominis interuentu constitutos nec vidimus nec legimus. 1. Reg. 8. Psal. 95. Ioh. 20. Psal. 44.

Exempla profana.

Cap. 16.

NAm nec aliter ab Ethnicis factum, cùm & ad eorum exemplum regem sibi constituere Israëlitæ voluerint, dicen-

tes Samuelì, *Constitue nobis regem, sicut habent vniuersæ per circuitum nationes.* Sic Deiocem, qui amicorum & vicinorum rixas componebat, iudicem primùm, deinde Regem à Medis electum fuisse post Herodotum narrat Cicero. Et Romani primos vtique Reges suos publicis suffragiis constituerunt. Quin & Iulius Cæsar cùm imperiũ arripuisset, à populo se electum vt tutius regnaret credi volebat. Nec aliter Augustus imperator dici voluit, quàm si id populus probasset. Idem Caligula, Tyberius & Claudius fecerunt. Sic sæpe imperatores suos milites in exercitu creauerunt. Et veterum Francorũ mos fuit, vt Regem à se electum super clypeum eleuatum ac per castra circunductum salutarent.

1. Reg. 8.
Herod. lib. 1.
Offic. 1.
Sueton.

Exempla Christiana & maximè Gallica. CAP. 17.

OMnino Rex nemo nascitur. Neque vllum omnino vel inter Christianos regnum est, in quo hæreditaria successio sic polleat, quin penes populũ cõstituendi ius remaneat. Probãte scilicet id apud eos natura atque fide, quod à Plutarcho scitè dictum vsu quoque confirmari apud mul-

tos obtinuit. Vt bonus venator non quod de bono cane natum est, sed bonum ipsũ canem, & prudens miles non quod de generoso equo genitum est, sed generosum ipsum equum quærit: ita errare Reipub. institutores ac rectores, si potius à quo nascatur eorum princeps, quàm qualis ipse princeps futurus sit aduertendum putent. Vnda illa vsque adeo magna constitutionis Regum vel ex ipso vsu necessitas, vt nec publicè Reges ab vrbibus agnoscantur, aut vt tales cum celebritate admittantur, quin prius coronati ab iis diadema acceperint, qui populum suã præsentia referunt, cuiusmodi in Francia ij sunt, qui Pares nominãtur. Falluntúrque omnino, qui quòd Rege mortuo Curia Regis nomine agere nõ desinit, de successore intelligi volunt, quasi aut sine successore Respub. esse ne momentum quidem possit, aut non potius de regno & corona intelligi id debeat: quę tãtisper sola regnat, donec successor à populo admissus atque probatus sit. Sed hi rursũ multò magis, qui quod se principis libidini, quicquid ille præcipiat aut velit, insigniter accommodant, in eo se regis seruos magno typho adductóque

Plutar. in Sylla.

Reges Galliæ ante consecrationem ab vrbibus regiè nõ excipiuntur.

Defuncto rege coronæ ac regni nomine Curiã agit.

supercilio solent venditare. Cùm propria hæc laus eorum sit, qui Reipub. studiosi in eo toti positi sunt, vt saluam eam atque incolumem ministerio suo præstent; Et hoc ipso quia Regis serui, Regi quod malum est iubenti parere detrectent, imo si hostem se patriæ exhibeat, in eum infestis armis (publica modò authoritas adsit) agant. Siquidem id demum est regis seruum esse, quod Reipub. & coronæ (quæ immortalis esse debet) atque adeo regni status studiosum esse. Visque adeo electionis supra hæreditarium ius tãta fuit, vt sæpe cognatum filio, minorem natu maiori prælatum legamus. Sic & in Gallia Ludouicus natu minor Roberto Druydarum comiti, & Henricus Roberto Capeti nepoti prælatus est. Nec alia ratione factum est, vt à Merouingis ad Carlouingos, à Carlouingis ad Capeuingos regnum etiam superstitibus hæredibus trãsferretur. In summa quid electio supra successionem vel in Gallia valeat, electus anno 419 Pharamondus: anno 669 electus Daniel clericus postea Chilpericus dictus: anno 686 post Clodouei obitum electus filius eius Clotarius, ac deinde quarto post anno defun-

Seruum regis esse quid?

Electionis ius hæreditario iure superius.

cto Clotario electus frater eius Theodoricus, & quod memorabilius, prætermisso Carolo Ludouici Balbi filio, qui decennis aut circiter erat, vocatus ad sceptrum vnanimi Gallorum consensu Odo Roberti Andegauorum Ducis filius, domestico scilicet prælatus extraneus, ac post Odonem iterum admissus idem Carolus: anno 751 Pipinus: anno 768 Carolomanus Pipini filius: anno 771 Carolus magnus Carolomani frater vltra ius successionis ab ordinibus constitutus: anno 812 Ludouicus Pius, electus nihilominus, tametsi Caroli magni filius esset: anno 890 relicto Caroli Calui filio electus Eudo: anno 988 Capetus: anno 1327 Philippus Valesius Valesiæ stirpis in regno caput, & alii docuerunt.

Quòd Rege constituto suum Reipub. supra eum ius remaneat, scripturæ testimonia. CAP. 18.

Iam quia parum est institutos esse à populis Reges, nisi suam Reipub. supra eos vel constitutos potestatem ac maiestatem remanere constet (nō enim desunt qui dicāt populū Rege cōstituto maiestate se omni

priuare atque exuere) quale id sit scriptura legibus, exẽplis comprobemus. Atque id primùm quidem docet sacrificiorum ordo qui in Leuitico describitur, *pro sacerdote, pro populo, pro principe, pro priuato ciue*: addito etiam quod inæqualitatem magis exprimat victimarum discrimine. Itaut pro Sacerdotis peccato *vitulus immaculatus*, pro omni turba filiorum Israël *vitulus*, pro principe *hircus immaculatus* (qui minor vtique vitulo est) pro anima denique id est priuato siue idiota quouis *capra* offeratur. Ex quo constat vt populo sacerdotem & priuato principem, sic principe populum seu regnum priore loco esse. Eiusmodi est illud quod *pepigit Ioiada fœdus inter se, vniuersumque populum & Regem, vt esset populus Domini*. Nam ibi idem ordo seruatur, vt sacerdos populum præcedat, & populus Regem. Imo, quod amplius est, populi nomine Rex etiã comprehenditur, cùm dicitur, *vt esset populus Domini*. Vt ex eo intelligas in populo Regem, non in Rege populum esse, nec seperatim à Rege & populo, sed simul ab vtroque factum fœdus cum Deo esse. Et quod ait Samuel ad populum. *Si timueritis*

Leuit. 4.

2. Par. 23.

2. Reg. 12.

Dominum & seruieritis & audieritis vocẽ eius & non exasperaueritis os Domini, eritis & vos & Rex qui imperat vobis sequentes Dominum Deũ vestrum. Et rursum, *Quod si perseueraueritis in malitia, & vos & Rex vester pariter peribitis.* vtrobique enim hîc pópulus ante Regem nominatur. Qui & ordo apud Ægyptios olim erat, vt cùm regni opes tripartitò diuiderentur, pars prima Sacerdotum, secũda populi, tertia Regis esset. Sed & in superioribus quòd populus ad paciscendum fœdúsque cum Deo ineundum inuitatur, cùm illud suam populi Maiestatem notat (non enim aliter pactum cum eo factum valeret, nisi aliquid per se suapte authoritate posset) tum illud significat potiores populi quàm Regis in pacto esse partes, quanto scilicet securiùs multitudini vniuersæ, quàm vni alicui seruanda fidei integritas committitur. Id enim propterea factum, vt quod in cõtractibus de mutuo data pecunia & in emptionibus cẽsuũ fit, vt plures in solidum vades securitatis causa obligẽtur, qui alii alios ad soluendam debiti summã cogant, id quoque hic accideret, vt esset qui Rege à fide discedente pactum impleret nihilominus, & vel Regem ipsum ad id

Potiores populi quã Regis in fœdere cũ Deo facto partes.

Simile.

Populus ad cogendum Regem vt pactum dei seruet est obligatus.

præstandum adigeret, aut pœnas debitas repoſceret. Scilicet vt quod Rex in priuatos poteſt, vt eos cogat fidem ſeruare Deo & proximo, pœniſque ad id eos adigat, idem quoque populus in Regē poſſit. Nam id populo vt liceat, imo etiam imperetur, ac propterea Rege ſit ſuperior, id vel maximè indicat, quod in fœdere cum populo ſub Aſa Rege diuinitus facto in libris Paralipomenon dixit Deus. *Si quis* (inquit)

2. Par. 15. *non quæſierit Dominum Deum Iſrael, moriatur à minimo vſque ad maximum.* Nam cùm maximus ille procul dubio ſit Rex, & mori iu beatur ſi à Dei cultu receſſerit, nec verò puniri morte niſi per populum & proceres regni poſſit, nec fas ſit puniri rurſum niſi per ſuperiorem (nulla enim maior authoritas eſſe poteſt, quàm quæ vitæ ac necis eſt) quid ſequitur, niſi populum ſupra Regem vel ex eo conſtitui, qui pœnas ſumere vel iubēte Deo de impio Rege poſſit? Quod profecto niſi populi feciſſent, iampridem in multis regionibus religio nulla eſſet. Expertáque malo ſuo Anglia eſt, quid ſit regem pietatis inimicum tolerare, cùm id miſeris acciderit, vt de qua terra impium eijcere gratioſè nimis

Populo in Rege poteſtas eſt vitæ ac necis.

Anglicani excidii cauſa tolerantia impii Regis.

aut timidè veriti sunt, de eadem eiecti & exules male seruati pacti pœnas reposcente Deo exoluerẽt. Sic olim populus Israël cum Saüle ceciderat, quòd eius furias in Dauidem & sacerdotes sequi, quàm ei resistere legem Dei violanti maluisset. Sic populũ Pharaonis cum ipso mare absorbuit, quòd cum eo Israëlem persequi animum induxisset. Et in populum Dauidis iussu numeratum plaga Domini per pestem desæuijt, quòd Regi superbè in eo agẽti consensum præbuisset, & quasi animos addidisset. Sic Achabo propterea dictum est, *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo eius*, quòd populus scilicet affinis Regis culpæ, eiúsque adeo probator esset. Nec aliò pertinet terribilis illa Dei pœnas scelerum Manassis regis Iuda de populo repetentis apud Hieremiam vox. *Visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus, gladiũ ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cœli & bestias terræ ad deuorandum & dissipandum, & dabo eos in commotionem vniuersis regnis terræ propter Manassem filium Ezechiæ Regis Iuda, super omnibus quæ fecit in Hierusalem.* Quòd scilicet ei populus non restitisset, nec præ-

Afflicti populi quòd Regũ suorum vitiis fauerint. 1. Reg. 31. Exod. 12. 2. Reg. 24. 1. Par. 21. 3. Reg. 20. Hierem. 15.

Manasses propter impietatē ne Rex quidē dictus.

nos eius nequitiæ imposuisset. Vbi obseruandum ne Regis quidem nomine dignari Manassem, sed filium Ezechiæ regis dici, quòd hunc regis nomine indignum propria impietas reddidisset. Et populum tradito à sacerdotibus & senioribus in mortem Christo idem cum illis inuoluit interitus, idipsum vel testāte Augustino, quòd tametsi affectu quodam pietatis in Chri-

August. in Psal. 82.

„ stum ducerentur, à sacerdotibus tamen se
„ decipi passi essent, consensúque adhibito,
„ *Crucifigatur*, inclamassent. Cur enim populus Pharaonis, Saülis, Dauidis, Achabi, Manassis, denique sacerdotum pœnæ socius esset, nisi esset & sceleris? Cùm scri-

Ezech. 18.

ptum sit, *Anima quæ peccauerit ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij?* Aut quis tandem consensus ille, nisi quia vel probauit, vel certè non prohibuit? Aut quid hîc proferent tam boni illi regum, vt loquuntur, serui, qui quicquid iubeantur, seu mœchari, seu gladio percutere, seu iniquos soluere, iustos & bonos opprimere, seu rapinas vel in templis exercere, securè se quiduis agere putant, quia Regibus morem gerant? digni scilicet qui in Assasinorum albo reponan-

Politici Assasinis similes.

tur, quos circa annum 1253 in Perside sic affectos fuisse legimus, vt præter principis sui volũtatem nullam neque legem neque fidem agnoscerent? Sed id clariùs maiestatem illam populi supra regem notat, quòd non aliter prophetia Iacob. (*Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.*) intelligi potest, quàm si sceptrum non de Regis persona, sed publico regni Senatu atque concilio sumatur, cum scilicet anno trigesimo occupatæ ab Herode tyrannidis natus sit Christus, quo toto tempore ablatum de Iuda sceptrum non fuit, donec senatus ille septuaginta duorum à Mose constitutus, qui Sanedrium dicebatur, & de tribu Iuda totus aut magnam partem erat, omnibus, vno Sameo excepto, interfectis ab Herode sublatus est. Quod ab eo propterea factum est, quòd Senatu isto superstite agere ei pro arbitratu non liceret, & in eius sæpe reprehensionem incurreret. Sed neque etiã illud fortasse minus, quòd cùm à Sedechia, qui captiuus in Babylonem abductus est, vsque ad Aristobulum Iohannis Hircani principis, filij Simonis Machabæi filium (qui primus se post trans-

Æmyl. li. 5. Fulgos. lib. 1. cap. 1.

Genes. 49. Prophetia Iacob quomodo vera.

Numer. 11.

Ioseph. lib. 17. antiq. cap. 16.

migrationem regem nominauit) Reges in Iudæa annis circiter quadringentis & sexaginta non fuerint, sceptrum nihilominus minimè auferendum Iacob vaticinatur, prorsus vt sceptrũ alibi quàm in Rege esse intelligas. Adeo scilicet maiestas in Regno acpopulo potius quàm in Regis persona est, vt eo extincto vel sublato, eam non desinere esse (quæ causa senatui Gallico est, vt Rege demortuo pullatus non incedat) vel ex scriptura ipsa constet.

Iuris populi in Regem ex ciuili iure seu legibus inductio. CAP. 19.

ID verò nec præter ius aut æquum esse lex ipsa Ciuilis (nam hoc tertium probationis genus erat) docet. Est enim hæc velut αὐτόχθων indigenáque lex regnorum innatáque sceptris (ait Aristoteles) vt ea ipsa Rempub. ac populi sui iura Rex labefactans, publicis sceleribus, tyrannicáque administratione, corona mulctetur. Cur enim si Romanis legibus tutor qui in re pupillari grassatur, officióque abutitur, remoueri potest accusatione suspecti, Rex qui regni populíque tutor publicus est, si malè in officio seruetur, eo ipso tutelari re-

Lib. 3. politic.

Tutor officio abutens remouetur.

gimine Regnóque nõ abdicetur? Cur si lege duodecim tabularũ patronus qui cliẽti fraudem fecerit facer esse iubetur, non id tantò firmiùs in Rege obtineat, quantò verius ille patroni locum gerit, & priuatæ totius populi causa præstat? Iam feudistica lege constat quibus causis feudum à vassallo amittitur, ijsdem de causis amitti à patrono, quod clientela feudalis scilicet pari vtrinque fide & beneuolẽtia nitatur, dominúsque in omnibus vicem suo fideli reddere debeat, ne si non fecerit cẽseatur malefidus. Et si Claudij imperatoris rescripto peræquè ius patronatus amittitur, denegatis à patrono alimentis liberto, vt libertus iniuria facta patrono in seruitutem reuocatur, cur non pari iure hæc in Rege locum habeant, quem iuramenti sacramentum, vt ei populum, sic vicissim populo obligauit?

Patronus præuaricator facer.

Lib. 2. tit. 26. tit. 47. l. feud. Lib. 2. tit. 52. §. 3. in feud.

Regis ac populi obligatio mutua.

Quod si ita est, & lege teneri regem cõstat, neque verò lege coërceri quisquam nisi persuperiorem potestatem valet, & potestas quæ lege agat, alia non est quàm populi atque Regni, id profecto sequitur, lege subijci populi ac Regni maiestati Regem, huius vt subire decreta, nonmodo si quid

publicè agendum sit, sed & si quid deliquerit, contráue Remp. commiserit, eundem oporteat.

Iuris populi supra Regem exempla sacra. CAP. 20.

POstremum est vt exemplis istud tum sacris, tum profanis declaretur. Ac primùm illa occurrent, quæ sua vetustate ius illud merito honorandum ac firmum esse
Genes. 23. præ se ferunt. Eiusmodi illud est quòd Hephron Hetheorum Rex petenti Abrahæ locum sepulturæ, dare nō ausus est iniussu
Genes. 34. populi. Sed neque Hemor Rex Sichē pacisci cum filiis Iacob potuit, nisi populus
1. Reg. 14. vniuersus consensisset. Et Ionatham Saülis filiū, cùm morti eum pater addixisset, cōmuni suffragio populus liberauit, vt apparet à Rege prouocari ad populum potuis-
2. Par. 21. se. Sed & id Lobnensium ab obediētia Ioram propter eius impietatē defectio, pul-
2. Par 26. 4. Reg. 11. sus regno Ozias, interfecta Athalia, occisus Amasias, non seditione aliqua, sed pu-
4. Reg 14. 2. Par. 25. blico ordinum ac populi consilio docuerunt. Nam quòd facta in Hierusalem, Iudææ scilicet Metropoli, & capite regni cōiuratio dicitur, cúmque fugisset in Lachis

missos esse à Hierosolymis, qui eum interficerent ibi, nec de interfectorum supplicio vlla fit mentio, sicuti in cæde Ioas & Amon filij Manasse factum est, manifestè indicatur publico consilio istud ac minimè priuato scelere factum esse. Cuius causa in Paralipomenon libro explicatur, *quòd à Domino recessissent*, victísque parua manu iuuante Deo Idumæis, allata ad se eorum idola *sibi in Deos constituissent*, insuper & increpantem in nomine Dei prophetam durè tractatum à se abiecisset, scilicet vt præceptum Dei sub Asa Rege priùs memoratum, *Si quis non quæsierit dominum Deum Israel, moriatur à minimo vsque ad maximum*, hîc facto ipso seruatum ac completum illustri imprimis in Regis persona exẽplo appareat. Neque alienum ab eo Eliæ sub Achabo factum, quo monente ac iubẽte populus in quadringẽtos & quinquaginta pseudoprophetas desæuiit, suo videlicet iure vtens, vt quem impietatis autorem nosset, eo vel inuito negotium Dei ageret, eiusque hostes miraculo ingenti permotus destrueret. Nam & propterea ipsi Eliæ Achab exprobauit conturbari ab eo Israël: quòd scilicet eo prædican-

Amasias Rex Iuda publico cõsilio interfectus. 4. Reg. 21. 4. Reg. 24.

2. Par. 25.

Amasię necis causa, quòd à deo recessisset.

2. Par. 15.

3. Reg. 18. Populus suo iure pseudoprophetas sub Elia interfecit.

Prædicatores vt olim Elias perturbatores, vocati.

te & causam Dei agente populus, vt fit, Dei verbo incitatus acta Regis impii improbaret. Quod perinde prædicatoribus in Gallia accidit, vt quia zelum Dei præ se ferrent, quæque impiè gerebantur strenuè reprehendendo populum eodem zelo inflammarent, propterea turbare Israël, ab iis scilicet, à quibus verè turbatus est, dicerentur.

Eiusdem exempla profana, ac primùm externa. CAP. 21.

Persæ.

Lacedæmonii.

Lib. 5. Pol. Cap. 1.

Sen. lib. 19. Epist.

His non absimilia sunt quæ inter gentiles moderatæ per publicum concilium Regum potestatis exempla extiterũt. Sic enim Persarum Reges Magorum qui pari Regibus dignitate erant, regúmque aures & oculi dicebãtur, iudicio sæpe subiacuerunt. Sic Lacedæmonii Reges Ephororum à quibus etiã reges iudicatos fuisse Aristoteles refert. Et Seneca in Epistolis testatur legisse se in Ciceronis de Repub. libris à Regum sententia ad populi iudicium prouocari solitum fuisse. Scitumque est illud, quod è Platone ibidem citat Cicero, SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO. Quæ lex fortasse fuit

cuius

cuius virtute Populus Rom. Horatium sororicidã à constitutis à Tullo Hostilio Rege iudicibus damnatum absoluit, vt ex eo constet à Rege ad Populum prouocandi locum apud eos fuisse. Quin à Romulo ipso cum Reip. formã describeret, nihil aliud Regi præter sacrorũ ac legũ custodiã mandatum fuisse refert Halicarnasseus, itaut penes Populum id est corpus Reipub. vniuersũ, ordinibus videlicet patritio, equestri, & plebeio constãs, magistratus creandi, leges condendi, bellum decernendi potestas summa esset. Quod apud Medos & Persas perinde fuisse ex historia Danielis colligi potest, cùm ibi decretũ à Rege, ex magistratuum & Seniorum consilio factum memoretur, cui Rex vel inuitus parere coactus est, vt Danielẽ in lacum leonum mitti permitteret. *Scito* (inquiunt) *ô Rex, quia lex Medorum atque Persarum est, vt omne decretum quod constituerit Rex non liceat immutari.* Prorsus vt hic legi regni Regem ipsũ subiici Sole clarius appareat. Vt credibile propterea sit, quod Danielis accusatores eodem missi sunt, & Deus Danielis coli iussus est, id consilio publico, ob ingens miraculum, & detectam calumnia-

Halic. lib. 2.

Dan. 6.

Romani.

torum fraudem decretũ extitisse. Sic Neronem Senatus Romanus, ac deinde Maximinum vt Reipub. hostes condemnauit, atque ita vt creatis à Senatu Maximo & Albino imperatoribus, milites se parituros Populo Rom. Senatui atque Imperatoribus iuramento promitterent. Ius idẽ apud veteres Gallos in reges fuisse ex Cæsare constat. Apud quem Ambiorix Eburonũ seu Leodiorum Rex testatur tum populo non minus in Regem, quàm Regi in populum potestatis extitisse. Et ibidem Vercingentorix actorum suorum rationem coram populo reddit. Et Plinius Tabrobanes insulæ incolis hunc morem esse ait, vt recèns creato Regi triginta gubernatores adhibeant, quorum consilio scilicet quidquis publicè, quodque ad Rempub. spectet agatur, ne quid ille insolenter agere aut potestate abuti ad populi perniciem possit. Sic in Germania Principes Electores tum Ecclesiastici, tum laici, Comites item & Barones, vrbes imperiales & eorum selecti viri, Cancellarius item & alij sacri imperij ministri IMPERIVM eoũsque extollunt vt supra Imperatorem sit, imo Imperator IMPERIO hominium vt supe-

Sueton. in Nerone. Herodian. lib. 8.

Lib. 5. & 6. de bello gall.

Taprobanẽses

Plinius lib. 6. cap. 22.

Germani.

Imperium imperatore superius.

tiori videlicet præstet ac faciat. Planéque hîc notanda est Otthonis 4 Imperatoris apud Nauclerum, si non ex omni sui parte vera, ad id saltem quod nunc agimus efficax responsio. Nam cùm ille vnctus & admissus fracto iuramento tyrannicè populo ac clero imperitaret, petentibúsque subditis ab Innocentio tertio, vt ab eius obedientia liberarētur Pontifex annuisset, conuocatis ille imperii principibus, vt eos sibi conciliaret. *Ad vos* (inquit) ô *Principes, respicit regni Teutonici quæuis dispositio. Vestri interest eminus cuncta prospicere. Vestri enim iuris esse fatemur, non Romani Pontificis imperatorem creare simul & destituere. Igitur ô proceres & regni cordati Principes ius vestrum deffendite.* Hæc ille. Sed & in Polonia Episcopi, Palatini, Castellani, nobiles, vrbium ac prouinciarum selecti viri simul conuenientes quę ad militiam spectant decernere solent, Regíque suo certis se conditionibus ita subiiciunt, vt si eas ille transgressus sit, (vt in HENRICI Valesii inauguratione patuit) solutos se quoque iuramento fidelitatis protestentur.

Naucl. generat. 41.

Othonis 4. imper. ad proceres imperii cõfessio.

Poloni

Eodem spectat celebris illa in Hispaniis

Iustitia Arragonica. quæ dicitur iustitia Arragonica, penes quã summum imperium vel supra Regem est, quam referentes proceres Regni, nonmodo cùm Rex creatur, sed & in comitiis, quę tertio quoque anno fiunt, verbis conceptis hæc ad Regem dicunt. *Nos qui valemos tanto come vos, y podemos mas que vos, vos eligimos Rey con estas y estas conditiones. Entra vos y nos vn quemanda mas que vos.* Hoc est, Nos qui tantum valemus quantum vos, & plusquam vos possumus, vos Regem eligimus, cum his & his conditionibus. Inter vos & nos vnus imperat plusquam vos. Quod postremum de summo iustitiæ imperio intelligunt, à quo sæpe irrita Regis acta fiunt, nec sine iustitię huius concessu tributum vllum in regno exigere licet. Sed & in Angliæ & Scotiæ regnis, suprema penes parlamentum, id est ordinum regni cõuentum, qui singulis annis fit, potestas est, tam sancta & firma, vt nec irritum quod decreuerit facere, nec sine ea publicum quid moliri Rex possit. Quin etiam regni ministri & officiarii omnes, & qui Regi aut Reginæ à consiliis esse debeant ab eodem instituuntur. Quin & alia Christiana regna Hungariæ, Bohemię,

Angli. Scoti.

Hungari Boëmi.

Daniæ, Suetiæ & alia ministros regibus collaterales habent, ne quiduis eis in publicum liceat, sitque vnde eorum potestas in officio teneatur. Dani. Sueti.

Mos ad id patrius, & Reipub. Gallicanæ institutio. CAP. 22.

QVæ si magna laus sapienter institutæ Reipub. in externis regnis fuit, tãto maior in Francorum imperio, seu Regni publico consilio credi debet, quanto studiosiùs, vel externi sæpe principes, ab eo lites suas in difficillimis negotiis dirimi, & ab eo etiam politiæ exemplum sumere voluerunt: vt omnium consensu bene institutæ Reipub. laude facile princeps sit iudicatum. Fecit id sacra illa & augusta, quãdiu incolumis & tyrãnidis mãcipiis vacua stetit, Parlamenti authoritas, quæ Regis acta pro sua authoritate rescinderet, probaret, temperaret, mutaret, in officio denique eum contineret. Et publicè instituti non Regis, sed Regni ministri, ob idque Rege etiam mortuo perpetui, Maior Palatij, mox Conneſtabilis dictus, Mareschalli, Thalassiarcha seu Amiralius, Secretarij, Quæstores seu Gazophylaces & qui à cã-

1 Parlamenti in Gallia institutio & authoritas.

2 Regni nõ regis ministri in Gallia.

cellãdo, quòd Regis edicta & iussa, nisi iusta & æqua sint, rescindat & cancellet, dictus est Cancellarius, Regni videlicet Nomophylax ac legum vindex, quamdiu illi ab ordinibus Regni constituti Regno primùm, ac deinde Regi Regni custodi iuramento sese adstrinxerunt, ac fidem datam exoluentes Regni se potius, vt tenẽtur iuramento, quàm Regis, ideſt priuatæ vnius libidinis seruos exhibu erũt. Accedit duodecim Franciæ parium nobilis conuentus (seu illi quòd Regi pares, seu quòd Regni patres sint, ita nominentur) qui partim Ecclesiastici, partim laici, seni videlicet ac seni cęlestem numerum, qui duodenarius est, paribus Ecclesiasticę ac Ciuilis potestatis momentis referant. Quibus quòd iuramentum Rex dum vngitur præstat, & se illi vicissim non Regem sed coronam seruaturos, Rempub. suo consilio adiuturos, ob idque Regi à consiliis belli pacísque tẽpore adfuturos pollicentur: quinetiam eorum est si quid inter Regem & priuatũ aliquem litis intercedat, id iudicare, manifestè ex eo constat, Regem iis, vt singulis superior est, sic vniuersis inferiorem esse. Vt infra illos videlicet Rex sphæram suam

3 Pares Frãciæ 12.

Duodenarius cælestis numerus.

agens, ideſt eorum conſiliis ſeſe attemperans, ſit veluti

Per duodena regens mundum Sol aureus aſtra.

Accedit & ordinum ſolennis in Gallia authoritas, à quibus & quod publicè fieri deberet ſemper definitum, & electi ſæpè Reges ob publicas, aliquādo etiam & priuatas in Regnum offenſas ac libidines extiterunt. Quinetiam quòd iuramentū vel hodie Reges in ſua illa conſecratione præſtant, quòd vrbium priuilegia de more confirmant & rata habent, quòd pupillis Regibus curatores ordines ipſi conſtituūt, quòd ante ducentos annos (hoc eſt anno 1380) Caroli quinti teſtamentum, ordines ipſi reſciderunt, veteris ipſorum dignitatis veſtigium aliquod eſt. Quam niſi Ludouici vndecimi, primi ſcilicet in Gallia tyrannidis architecti (quòd Regum pallones Reges à ſeruitute vindicare ac libertatem regiam aſſerere eſſe aiunt) perfidia minuiſſet, ſi non omnibus ſuæ illius ad Virginē Cleriacā deuotionis, vt HENRICVS ſuę Hieronymitanę atque Carnotē-ſis fuco atque larua illuſiſſet, integrā fortaſſe haberemus, nec iſto oppreſſæ libertatis publicæ vulnere torqueremur.

4 Ordinum authoritas in Gallia.

Veteris ordinum dignitatis reliquiæ.

Gal. *mettre les Roys hors de page.*

Lib. 5 de Monarchia Gallorum.

Nec contemnendum id quod obseruat Claudius Seyssellius Massilienſis Episcopus, triplici hominum generi perpetuam in Gallia loquendi libertatem ab omni seculo extitisse, Cõcionatoribus verbi Dei, vt videret, ne quid vitio Regum pietas aut religio detrimenti caperet, essétque suggestum, quod reges vel nolentes aliis silentibus, in officio libera reprehensione contineret, quódque illi propterea formidarent atque suspicerent. Senatui, ne quid perperam contra ius fieret. Denique rationum seu computorum prẹfectis, ne pessum ærarium vel regni fundus iret.

Libertas loquendi in Gallia penes quos.

Iuris populi in Regem exempla domestica. Cap. 23.

Reges deiecti.

HInc illa Galliæ ordinum in Regni negotiis, vel aduersus Regem procurãdis authoritas. Vt quòd Gregorius Turonensis refert, Frãcos Chilpericum Regem, quòd nimia luxuria dissolutus esset, & filias eorum stupris pollueret, è regno eiecisse, & eius loco Eudonem substituisse. Quem deinceps quòd potestate data tyrannicè abuteretur, pariter de regni solio deiecerunt. Et quòd Aymoinus, populum Chil-

Chilpericus. Lib. 2. cap. 12.

Eudo.

Lib. 4. cap. 44. Childericus.

dericum Regem insolentiùs se in imperio regentem abdicasse, eundémque à Bodilone nobili viro, quē ille ad palum alligatum, virgis cædi iusserat, interfectum esse. Similiter & aduersus Theodoricum, qui iniquè & auarè regnum administrabat, insurrexisse, atque de regno electo, víque abstracto capitis crines incidisse. Cuius magnam culpæ partem Sigebertus in Ebroinum præfectum refert, vt simile hîc nescio quid HENRICI tertij à Spernonio dementati furiis, intelligas. Nec minor in Chilperico decimo octauo Rege sceptro sum-mouendo virtus, quem cùm ob ignauiam tanto regno indignum censuissent, regno cedere ac monachum fieri eodem Aymoino teste coëgerunt. His adde Carolū Crassum, quem paris inertiæ nomine, & quòd Northmanos in Gallia degere siuisset, regnúmque imminui passus esset, regni optimates, eodem Sigeberto teste, repudiarūt. Idem & Carolo simplici accidit, commotis in eum Gallorum animis, tum quòd imbecillitate animi regnum pessum ire permitteret, tum quòd Haganonē, virum ex humili fortuna immodicè ditatum, abijcere à se nollet. Adde & Ludouicum tertium

Theodoricus. Lib. 4. cap. 61.

Chilpericus xviij.

Carolus Crassus. Sigeber. Chron. Otho Frising. lib. 6. cap. 9.

Carolus simplex.

Lud. Nihil faciens.

cui nomẽ *Nihil faciens* vel ignauus ex inertia datum est, quem ob lubricam cum mulieribus lasciuiam, immodicas nummarias indictiones, & turpe cum Northmanis initum fœdus regno expulsum in monasterium detruserunt. Neque verò Hugo ille Capetus, è cuius stirpe postremum HENRICVM vidimus, ad regni fastigium euectus esset, nisi id populi & ordinum maiestas perfeciisset. Sed neque ad Valesios regnum perueniisset, nisi id isti familiæ Philippo Valesio ad Regnum per ordines euecto publicè à populo delatum extitisset. Nota quippe illa insignis controuersia est, cum Carolo pulchro sine mascula prole defuncto, Eduardo Anglo Caroli ex sorore nepote regnum postulãte, Philippo Valesio defuncti patrueli populi atque ordinum comitia Reginę prẹgnantis custodiã, & si filiam pareret, etiam regnum detulerunt. Sed & nota illa est procerum Vasconiæ atque Aquitaniæ anno 1469 aduersus Eduardum Aquitanum ducem Carolo quinto facta expostulatio, libellíque supplicis porrectio, quo malæ tractationis causa ab Eduardi imperio regia sententia eximi postulabant. Quem dum ille admisit, ea-

Regnum ad Valesiorum stirpem ab Ordinibus delatum.

Frossard. lib. 2.

dem vtique se lege obligasse meritò credendus est, quam alteri indicebat, vt si immaniter in subditos ageret, ab eius obsequij vinculo pariter soluerentur.

Externa rursum ad idem aliquot exempla. CAP. 24.

OMnino scilicet verum est quod Cornelius Tacitus ait, *Nequaquam omnino solutum legibus imperium esse*: vt mirum non sit quod sanctissimus Zacharias Pōtifex Max. ordinum Regni Galliæ precibus subscribens Francorum Regem Childericum deposuerit, atque omnes Francigenas à fidelitatis iuramento absoluerit. Sic Frideri- cum imperatorem (ne domestica tantùm proferamus) augustalibus infulis exuit iudicio Innocentius quartus in concilio Lugdunensi. Idem Lusitano Regi ob rerum publicarum incuriā administratione regni interdixit, regníque curatorem seu mitiori verbo coadiutorē præfecit. Et Iohānes vij anno 706 Vitizza Hispanorū rege ob impotētem lasciuiā, ordiníque Ecclesiastici vexationem Regni procerū rogatu depositio Rodericum vltimum Gotthorum Regem Hispaniis præfecit. Et insignis quo-

De motib. Germān.

C. ad Apost. de reiud. in 6. Fridericus imper.

Vitizza. Ritius Neapol. lib. 2. Reg. Hisp.

Richardus. 2 Anglus. que Richardi Anglorum regis historia, qui propter cædes suorum & libidines effrænatas se ipse indignum imperio professus, diadema publicè deposuit, se séque ornamentis regiis exuit. Ex quo summa lætitia profusi fuerunt Angli, quòd ipse fecisset id vltro, ad quod illum alioqui vi compulissent. Et nostra memoria Dani Christiernũ Regem ob insolens imperium non solùm dignitate regia priuarunt, sed & carcere clausum ad mortem vsque detinuerunt, translato regno ad eius auunculum, eiusque qui postea regnat auum. Nec disimile Suedorum factũ, qui excusso Danorum à se iugo, Regem etiam suum asseruant, ob non satis prudenter administratum regnũ, quod ad fratrem eius translatum est.

Christiernus Danus.

Quòd iustè Reges ob ea quæ dicta sunt, si se munierint, armis liceat adoriri. CAP. 25.

QVæ cùm sint eiusmodi, vt constet penes Ecclesiam atque regnum esse, tum coniunctim tum diuisim, vt Regem minus commodum destituere, ac meliorem surrogare possit, si contra vim ille inferat, maxime autem si ab eo periculum tum reli-

gioni tum patrię immineat, vt bello in eum contendere, vt armari tum Ecclesiæ tum Regni auspiciis liceat, superest vt dicatur. Sed ita, vt quæ minutim sub vtroque capite continentur, sequenti libro postea tractanda, atque in HENRICO Valesio examinanda sunt, de ijs in genere, sicuti adhuc factum est, dicere in præsentia sufficiat. Quod cùm ratione & exemplis probandum sit, nõ alia ratio esto, quàm quod prima pietas cæteris supereminet, vt illius tuendę causa cæteris nũtium remittere necesse sit. Non enim ignotus est naturę ille sensus, quo persuasum iampridem est, nullũ iustius esse bellum, quàm quod pro aris ac focis est. Eiulabat Michas sublatis per filios Dan Dijs suis aureis atque argenteis, & miserandũ in modum clamans, quęrẽtibus quid sibi esset, cur clamaret, dixit, *Deos meos quos feci mihi tulistis, & dicitis, Quid tibi est?* Quod ille tam studiosè in Dijs quos fecerat, atque in sculptili fecit, nos in eũ, qui Deum cœli & terræ eripiat, qui Ecclesiam opprimere tentet, nõ præstemus, vt aduersus eius iniurias voce, clamore, armis, virtute omni contendamus? Celebratur militis Atheni ensis Cynegiri sub Miltiade in hi-

Bellum prõ religione contra Regem cur iustum.

Iud. 18.

Iust. lib. 2.

Cynægiri militis virtus.

storijs virtus, qui victis Persis, fugatísque post multam cædem ad naues hostibus, dextra manu onustam eorum nauem tenuit, eáque amputata cum sinistra eandem comprehendisset, hac quoque abcisa morsu ac dentibus tantisper retinuit, donec truncato capite, ciuibus amoris in patriam sui, hostibus virtutis inuictíque animi incredibile argumentum cum stupore dedit. Et nos in religionis causa, qua nihil melius est, otiosi maneamus? Et pro qua propaganda tam illustres triumphos duxerunt patres nostri, pro eadem conseruanda ac tuēda non pugnemus? Non crura, non brachia, non pectus ac caput of-

Mat. 23. feramus? Patrem Christus vetat super terram agnoscere præ vno qui in cœlis est, & nos regem eum agnoscamus, qui regnum Christi destruere, qui auferre moliatur?

Mat. 20. Num potius illud *Malos male perdet* ministerio nostro compleamus? Iam si ea est contractuum vis, vt qui se plures in solidū obligarunt, alij alios ad soluendum pro sua quisque parte cogant, nos qui commune principi atque nobis cum Deo fœdus pepigimus, vt ei seruiamus, ac repositi quod promissum est exoluamus, si iis Rex stare

Populi ex vi contractus cum Deo ad cogendum armis regē obligatio.

nolit, si præuaricetur, non eum vi ac violentia compellamus, ne si id non agamus, soluturi vtique pro eo simus? & quod ante populo sub Pharaone, Saüle, Dauide, Achabo, Manasse, Sacerdotibus accidisse diximus, vt pro iis & cum iis simul puniretur, id merito patiamur? Num armis potius si resistat, opprimamus, & malum de medio nostri auferamus? Nam si illud proferetur, *Potestas à Deo est, & qui potestati resistit ordinationi Dei resistit*, nos scilicet illud contra afferamus, quod pari in re Valtramo Magdeburgensi Episcopo, insigni politico, & Henrici ter execrandi 4 imper. fautori (vt eorum quos hodie habemus perssimiles Episcopos typum in eo agnoscas) à Ludouico Comite armis Henricum oppugnante responsum est. *Potestas* (inquit) *à Deo est.* Sed si sit ordinata. *Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt* (inquit Apostolus) Potestatem ergo da ordinatam, & non resistimus, imo dabimus illico manus. Hęc ille tanto melior Episcopo laicus, ac Theologus subtilior, quantò beatius simplicitatem zelus erudire, quàm superbam mentem ambitio solet. Scilicet vt iuxta Seruatoris verbum non videntes videant, & vi-

Rom. 13.

Politicorum huius temporis typus.

In Appēd. ad Marianum Scotū.

Zelator laicus politico Episcopo melior.

Mat. 11.

Matth. 13. dentes non videant, reuelentúrque ea paruulis, quæ sapientibus meritò absconduntur. Luc. 10. Quod si quis vltra molestus esse perget, pro omni responso illud proferamus, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit*, (quantò magis si persecutus fuerit?) *sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Nec iam domesticum pronuntiet homo, quem eiectum foras diuina vox dicit. Non patrem caro nominet, quem spiritus hostem profitetur. Non Christum Domini adulatio venditet, quem Anti- 1. Ioh. 2. christum fidei abnegatio esse probat. Imo nec hominem larua esse mentiatur, quem Ioh. 6. diabolum in Iuda hypocritarum prototypo Christus pridem esse asseruit. Prorsus vt quæ nobis aduersus Satanam colluctandi est necessitas, eadem sit potestatem hanc, Apoc. 12. dum licet, destruendi. Quomodo enim in Serpẽtem antiquum pugnetur, in eum qui se Serpentis causæ adiunxit, non pugnetur? Aut quomodo dissoluantur opera diaboli, nisi machina ista surgentis aduersus Deum superbiæ opprimatur? Sed ne id sine exemplo factum dici possit, si qua sint in ea re illustria, ea nos proferamus.

Belli

Belli aduersum Reges ac Principes religionis causa iustè gerendi, exempla sacra. CAP. 26.

HIc primùm Euãgelicos nouatores monitos volumus, ne vel suam causam agi, vel cõmune quid illis ac nobis dici putent, quippe qui vt sensu atque fide, ita causæ merito toto cœlo discrepamus. Liceat auitæ religionis defendendæ causa principi cuiuis resistere: nouitatis verò studiosis vna sit merces, vt quos vtraque maiestas reos tenet, iis vita, vt æquũ est, iudicio adimatur. Quid ita verò? quia vt in nouatores pronuntiata diuinitus sententia est, *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, dicens, eamus & seruiamus Diis alienis, quos ignoras tu & patres tui, non acquiescas ei nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum, sed statim interficies, &c.* ita in principem nouatorem ac religioni antiquę infestum vt iustè arma sumi possint, exemplo erunt Hebræi, qui Othoniele duce Cusã-rasathaim Mesopotamiæ Regis imperio sese armis substraxerunt: qui per ambidextrum Aiod, interempto Rege Eglõ, Moabitarũ: occiso per Barac & Iahel Sisara prefecto militiæ Regis Ia-

Hereticiq; triusque maiestatis rei ac de medio tollendi.

Deut. 13.

Iud. 3.

Iud. 4.

Iud. 7. Iud. 11. bin Cananeorum, per Gedeonem Madianitarum, per Iephthe & Samsonem Philisteorum & Ammonitarũ à se iugum excussérũt. Exemplo & Macchabei, quibus cum alioqui, vel inuitante Antiocho, beatis si quiescerent, si regi consentirent esse liceret, sola Dei cultus occasio ac religionis causa armauit manũ, vt cũ Mose *magis eligerent opprobrium Christi, quàm temporalis peccati habere iucunditatem*: ac prosperos Deo propitio, recuperata Hierosolyma, instauratóque Dei cultu succesſus dedit. Quod populo vniuerso, aduersus impium Regem vt faciat, tãto magis licet, quòd ex iis, quæ nũc protulimus, exemplis duo sunt, in quibus non populi vniuersi, sed partis tantùm exiguæ, aduersus principẽ insurgentis, probata arma diuinitus, & euentu prosperata memorantur. Horum alterum est Deboræ & Barac contra Chananæum, alterũ Macchabeorum contra Antiochum. Nam in priori illo duæ tantum tribus *Nepthali & Zabulon* pugnasse referuntur, cùm cæteræ silerẽt, ac fortè sub tyrannide esse consentirẽt: In altero sola *tribus Leui* arma sumpsit, (& si qui pauci huic se adiunxerũt) sed quæ id ageret, vt quod duæ illæ antea fecerant

Heb. 11.

1. Macch. 4.

Pro vera religione defendenda iusta sunt vel paucorum arma.

Iud. 4.

1. Mac. 2.

& se & reliquum populũ à seruitute, quòd-que amplius est, legem Dei ab interitu vindicaret.

Belli iusti exempla, etiam in proprios Reges. CAP. 27.

QVæ si quis aduersus Reges non proprios, sed alienos facta esse dicat, tametsi id de ijs dici non potest, qui longo iam vsu & præscriptione Regni ius quæsierãt, qualis Antiochus erat, quem cẽtum & quinquaginta annorũ successione, ex quo ad Seleucum peruenerat, regnũ tenuisse refert Iosephus, vt in reges quantumuis proprios & naturales id liceat, imo & facere necesse sit, nos etiam explicemus. Hîc ergo occurret primùm sanctus Dauid, qui cùm bellũ contra Saül, Regem vtique suũ, ac de populo suo natum, sed tyrãnum & pietatis hostẽ sic gereret, vt priuatũ capitis sui negotiũ potius, quàm Reip. agere videretur (nã hęc Politicorũ calumnia cõtra principes Catholicos esse solet, quòd suas res, nõ verò Reip. agere dicant) à prudenti tamen & diuinitus inspirata Abigail *prælia Domini* præliari cum laude & commendatione est dictus. Neque id certè iniuria, quòd in eius

Ioseph. ant lib. 12. cap. 14.

Danidis in proprium Regem iusta arma.

1. Reg. 25.

scilicet persona totius populi salus, ac pietas ipsa verteretur. Neque verò aliud indicat illa Ieroboam à Salomone propter eius idololatriam & impietatem defectio,

3.Reg.10. dicente ad eum per prophetam Deo, *Quia non custodisti pactum meum, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.* Quod cùm postea sub Roboamo factum esset, & ille conscripto exercitu in eos qui defecerant pugnaturus esset, misit Deus, qui diceret, ad tribum Iuda & Beniamin,

3.Reg.12. *Non ascendetis neque bellabitis aduersum fratres vestros filios Israel. Reuertatur vnusquisque in domum suam. A me enim factum est verbum hoc.* Prorsus vt ex eo constet, quod defecit à Roboamo Ieroboam, neque eum neque populũ in eo peccauisse, sed in eo tantum quòd à lege Dei postea recesserunt. Nam & manifesta illa sunt defectionem probantis, post diuisionem illam, ad Ieroboam Dei verba,

Defectio Ieroboam & populi sine peccato fuit.

3.Reg.11. *Si ambulaueris in viis meis, custodiens mandata mea & præcepta mea, sicut fecit Dauid seruus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem quomodo ædificaui Dauid.* Prorsus vt si ille cõstans ac fidelis in Dei lege esset, prosper etiam in regno suo ac beatus foret. Omninóque (vt ait D. Augustinus) *probauit Deus*

Aug.lib. 17. de Ciu. cap.11.

diuisionem regni, licet non religionis. Sed & præterea occurrent sacerdotes & prophetæ, quorum iussu atque consilio arma in domesticos, tum Reges, tum alios propter impietatem eorum sumpta, scrupulum hunc abundè iampridem abstulerunt. Sic enim ad opprimendam armis infidelitatem, non exterorum tantùm, verùm etiam & suorum, Moyses filios Leui, qui de genere sacerdotali erant, vel contra fratres suos armauit. Et Iosue populi dux ad verbum Eleazari sacerdotis *ingredi & egredi*, ideſt bellum vel pacem facere iubetur. Sed & Achimelech, alijque sacerdotes Nobé, quę vrbs sacerdotalis erat, opem fugienti Dauidi à facie Saül vel capitis sui periculo tulerunt. Erat & Lobna sacerdotum vrbs filiis Aaron in sortitione sub Iosue data, ac de Iudæorum vtique regno, quæ quòd à Ioram Rege Iuda *recesſit, ne esſet sub manu illius, quòd ille à Deo recesſisſet, & excelſis fabricatis fornicari feciſſet habitatores Hieruſalem & præuaricari Iudam*, dignum vtique sacerdotali vrbe exemplũ dedit, vt quorũ interest religionem tueri, primi quoque à religionis oppressore & præuaricatore discederent, ac cæteris in ea re exemplo præirẽt.

Arma in proprios reges infidelitatis causa sacerdotum consilio sumpta.

Exod. 32.

Num. 27.

1. Reg. 22.

Iosue. 21.

1. Par. 6.

2. Par. 21.

Sacerdotes primi a religionis oppressore discedant.

2.Par.23. Sic Ioiada sacerdos Leuitas contra Athaliam armans, in templo vt præsidio collocans, centurionibus lãceas, clypeos & peltas regis Dauid tribuens, & extra templum populum tenentium pugiones constituẽs,
3.Reg.18. denique morti eam tradi præcipiens: Helias propheta quadringentos quinquaginta pseudoprophetas inuito Rege ac Regina
4.Reg.9. interficiens: Helizeus item propheta contra Ioram, Ochoziam, Iezabel & omnem domum Achab Iehu excitans, & gladium sumere atque occidere iubens: Azarias sacerdos Ozię Regi, ministerij sacri vsurpatori, cum octoginta sacerdotibus viris fortissimis resistẽs, eúmque leprosum factum
2.Par.26. de tẽplo primùm, postea etiã de regno exturbans: denique Macchabæi, & ipsi de genere sacerdotum, strenuè pro Dei lege cõ-
1.Macch. tra tyrannos depugnantes, sacerdotibus ac prædicatoribus Christianis, quorum illi partes tum agebant, cõtra tyrannos religioni Catholicæ infestos, siue exteros siue domesticos, classicum canendi, & ad arma excitandi, exemplum illustre dudum ac nobile præbuerunt.

Quibus exẽplo præeuntibus prædicatores classicum cecinerint.

Sed & illud nõmodo quàm liceat, verùm etiam quàm necesse sit, nec sine offensione

Dei omittit posit, illustri sermone in eiusdem Ozię Regis exēplo ostendit Chrysostomus, hæc verba Esaiæ exponēs, *In anno quo mortuus est Ozias vidi Dominum.* Vbi propterea Prophetis impositum silentium notat, quòd Oziam, leprosum ob contumaciam factum, de templo tātùm Iudæi, non etiam de ciuitate, sicuti lex iubebat, deiecissēt, sed diadema eius regiámque dignitatem reueriti in, throno adhuc sedere, & domi clanculum manere permisissent. *Ergo (inquit) hoc ad iracundiam prouocauit Deum, hoc prophetiam. inhibuit. Vos populares metuitis impurum eijcere, reueremini regiam dignitatem, legem Dei violantes. Quid igitur? Deus auersus est ab illis. Non amplius loquor prophetis vestris, non amplius mitto Spiritus gratiā, silet Spiritus gratiæ, non ostensus est Deus, eò quòd sub impuro illo nō erat gratia.* Nō priùs scilicet visio prophetis reddita, est, quā mortuo Ozia, expurgata plenè pia culo illo ciuitas extitisset. Quo magis nobis vidēdū est, ne leprosos istos spirituales, idest, infideles ac religioni cōtrarios Reges, in throno vel omnino in regno esse patiamur, ne regiā dignitatē nimium veriti, eo quod præcipuū est, id est spiritu & prophetia, quæ verbi Dei

Esa. 6.

Chrys. hō. 4 in verba Esaię. Tom. 1.

Hom 5. Iræ dei signū prophetię cessatio.

Hom. 4.

Leprosi spirituales.

Verbi dei substractio ob seruatū impiū principem.

subministratio est, careamus.

Ad idem exempla Ecclesiastica.

CAP. 28.

Euseb. lib. 9 cap. 6 & 7 Niceph. lib. 7. cap. 28.

Sed neque in re tam necessaria, tantíque momenti Ecclesiastica nobis exempla defuerunt. Sic enim olim Armenii Christiani armis sese contra Maximinum Imperatorem legitimè deffenderunt, eiusque exercitum magna cum clade & ignominia profligarunt, Nec alia Constantino, vt Maxentiũ armis opprimeret, causa fuit, quàm vt afflictæ per eum religioni succurreret. Eodem modo Basilium atque Ambrosiũ glorioſos Episcopos contra insanos hæreticorũ furores Catholici protexerũt. Sic B. Athanasius, cui compertum satis erat quãtũ Principi debeatur, aduersus Constantium imperatorẽ Arianum, à Fælice Rom. Pontifice condemnatũ, ab ipso Constantij fratre Cõstãte, Occidẽtis imperatore, auxiliũ postulauit. Cõstantius verò Constantis fratris arma reformidans Catholicos Episcopos suis sedibus restituit. Sed & notanda illa Luciferi Calaritani Episcopi contra Constantium verba, *Dicas nos (ô Constanti) malè agere, quia sacrilegio tuo resistamus virtute*

Naziãz. de laud. Basil. Ambr. lib. 5. Epist.

Theod. lib. 2 cap. 5. & 13.

Lucifer lib de nõ parcendo in Deum delinq. pag. 250.

protecti Dei. Videamus etiam tempore quo con- "
tyrannus tuus Antiochus persecutor nostræ reli- "
gionis extitit, quid fecerint ii, qui meminerãt præ "
ter Deum neminem timendum, & intelliges illos "
Dei seruos, quorũ nos cupimus inueniri participes "
restitisse Antiochi sacrilegio, sicut & nos Deo pro- "
pitio resistimus tibi. Et infrà. An nos, quos Deus " pag. 275.
prædixerat ore prophetæ pastores gregis sui, dicẽs, "
Et dabo vobis pastores secundũ cor meũ, "
& pascent vos sciẽtia & doctrina, tacere de- " Hier. 3.
cuerat, ne tibi rabido lupo ad mactandas Dei oues "
venienti videremur insolẽtes? Et nos dicere Chri- "
sti militibus congruum arbitratus es, Nolite arma "
sumere contra Constantium Diaboli satellitem, "
nolite resistere templo omnium dæmonum: magis "
autem facite quæcunque præceperit. Quæ hæc est "
nostra contumacia, si officium nobis delegatum à
Deo nitamur implere? Et rursum infra, ex eo pag. 278.
quod ab Apostolo scriptũ est Resistite diabo- 1 Pet. 5.
lo, infert resistendum esse Constantio. Atti- Niceph.
cus quoque Episcopus Constantinopo- lib. 14. cap.
litanus Persas Christianos à Rege suo infi- 21.
deli profugientes & auxilium suppliciter
implorantes, nõ solùm ipse quibus potuit,
opibus subleuauit, sed etiam Theodosium
ad eorum defensionem suscipiendam, bel-
lúmque propterea cum Persarum Rege ge-

rendum permouit. Quo tandem magna cum Persarum strage victo & regni gubernaculis priuato quietè deinceps in Perside Christiani vitam egerunt. Nec minor fuit populi primùm Constãtinopoli, mox etiã monachorum Hierosolymis sub sanctissimo Archimandrita Sabba contra Anastasium imperatorem hæreticum, qui Calcedonẽsem Synodum damnari procurabat, virtus. Cum & illic coacto per nequissimum principẽ hęreticorum concilio, qui Macedoniũ sanctissimũ Episcopum in suã sententiam vi trahere cupiebant, accurrẽs populus inclamaret, *Martyrij tempus adest, Nemo à pastore absistat*, insuper & conuitiis imperatorem incessens, Manichęum & imperio indignum vocitaret. Ex quo factum vt tẽtata primùm fuga, cùm euadere nõ posset, se summittere imperator, ac Macedonii præsulis grauiter obiurgantis censurã ferre cogeretur. Hierosolymis verò, cùm per magistratus atque duces Episcopum Hierosolymitanum, vt Seuero patriarchæ Antiocheno hæretico consentiret, alióque adeò Oriẽtales cogẽre vellet, monachi duce Sabba fortiter restiterunt, & facto tumultu atque impetu scelerati cõ-

Populi Cõstantinopol. & monachorum contra Anastasium imper. virtus. Niceph. lib 16. cap. 26.

Cap. 33. & 34.

filij ministros etiam eiecerunt.

Zonar. lib. 3.

Sed & Cõstantinopolitani contra Constantinũ Copronymũ Artabasdo duce pugnauerũt, ac fugato eo, publicéque Cõstãtinopoli dãnato, imperiũ eidem Artabasdo detulerunt. Quod & si non successit, collectáque Copronymus classe, bello nauali superior factus, crudeliùs adhuc bacchatus est, tale tamen est, vt ius hîc Reipub. bello tyrannum adoriẽdi, eíque imperium abrogandi, liceat intueri: nec minus laudabile illi egregii cœpti, consilióque potius, quàm euentu æstimandi, exemplum præbuerint. Non enim si Israël contra Bẽiamin pugnans, primo & secundo prælio cæsus atque fugatus est, propterea minus iustam belli causam habuit. Nec si cæsi Macchabei partim in prælio, partim fraude ceciderũt, propterea sancti zeli ac fortitudinis laudẽ, perpetuo duraturã, amiserunt.

Egregiè facta consilio potius quà euẽtu estimanda.

Iud. 20. victis in ita sta causa sua laus non perit.

Sic & Leo primus Pontifex Leonem imperatorem contra Alexandriæ tyrannum atque Eutychianos hæreticos (qui monasteria & templa, vt hodie protestantes nostri, euertebant) armauit, vt vel ex eius ad eum Epistola constat, *Debes* (inquit) *incunctanter aduertere re-*

Euag. lib. 2. cap. 8. Leo Epist. 75.

giam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, &c. Quare si laudabile est aduersarum gentium arma conterere, quanta erit gloria ab insanissimo tyranno Alexandrinam Ecclesiam, in cuius contritione omnium Christianorum est iniuria, liberare? Et Gregorius Magnus Gennadium Africæ Exarchum ad bellum hæreticis inferendum est hortatus, professus hoc magnam ei gloriam apud Deum & homines allaturum esse. Ad eundem modum excommunicato ob flagitia & Simonias per Gregorium 7 Pontificem Henrico 4 vniuersi pene Germaniæ principes facto inter se concilio ab eius se imperio subduxerunt, & subiectioni renuntiauerunt. Quin & antequam Pontificis sententia dãnaretur, *Saxones contra eum fœdus inierãt, quòd vnicam Dei sponsam* (inquit Marianus Scotus) *& sanguinis Christi pretio redemptam, quãtum in se esset, per hæreticos polluere, & spiritualia Ecclesiæ officia venalia, Simonis instar, efficere non esset veritus.* Addit Paulus Langius, Quòd tyrannus, stuprator virginum atque matronarum, monasteriorũque direptor esset, Episcopos ac præsules pro pecunia & animi arbitrio constitueret ac depone-

Greg. lib. 1. Ep. 72.

Naucler. generat. 36.

Ante Pontificis sententiã iustè arma ex fœdere contra Hẽricũ sumpta.

Marian. Scotus anno 1075.

In cron. Cyzitensi.

ret, ſicque iuſtitiam cum iniuſtitia cõfunderet, vt inter Catholicos, hæreticos atque ſchiſmaticos vix vlla eſſet etiam bonis diſcretio, Saxones cum ſuis principibus, Epiſcopis & Baronibus mori pro Eccleſiarum & patriæ libertate paratos, validum contra eum exercitum duxiſſe, variáque & cruenta per totos quatuor & viginti annos prælia cum eo geſſiſſe. His ſimile fuit, quòd Pius V. Pontifex inito cum Hiſpaniarum Rege Philippo & Venetorum Republica fœdere ſacro, Turcam armis profligauit, inſignéſque apud Lepantum victoriæ auſpicium dedit. Sed propius illud rurſum, & quod noſtræ cauſæ caput tangit, quod Gregorius xiij beatiſſimæ memoriæ pontifex, cum ex alta velut ſpecula videret, quã lubrico loco Gallicana Eccleſia atque religio eſſet, quámque permagni intereſſet, quorſũ illa euaderet, cũ fortiſſimo duce GVISIO (cuius memoria in æterna benedictione eſt) agens, vt videret, ne quid ea detrimenti caperet, fœderis illius ſancti, quod à diabolo multis artibus appetitum, certiſſimum ad conterendum caput eius remedium in Gallia eſt, atque perſeuerat, author fuit.

Pius v fœderis in Turcã author.

Gregorius xiij fœderis ſancti in Gallia author.

De iusta Henrici iij. Obiectionũ, quæ hîc fiunt, solutio.

Cap. 29.

1 QVòd verò hîc certi homines obiiciũt, perduellionis à nobis doctrinam dari,
2 Ecclesiam non armis sed patientia ædificari, non armorum Christum sed tolerantiæ &
3 mansuetudinis exemplum præbuisse, non sunt ista tãti, vt terrere nos, aut non refelli tam facile possint, quàm ineptè proferuntur. Perduellio sit videlicet, cùm iusta potentia opprimitur, cùm Regi pio atque bono insidiæ tenduntur, cùm templa diruuntur, cùm externus hostis contra patriam atque fidem accersitur, cùm leges confringuntur. Nam hæc sunt, quæ hæreticorum turbam, qui incẽdiis, cæde, rapina omnia perdiderunt, qui Meldis Carolum IXR egẽ occidere tentauerũt, qui turpissimis è Germania ventribus Galliam toties prostituerunt, & lacerandam prodiderũt, verè perduelles omni iure diuino, humanóque esse probent. At si quis belluam aris ac focis imminentem, religionis ac patriæ interitum molientem, cæde, periurio, rapina, libidine omnia permiscentem fugarit, eiecerit, oppresserit, de medio sustu-

1 Perduellio quid.

Hæretici verè perduellẽs.

lerit, tam abſit perduellionis nomen, quàm verè hoc iuſtitiæ ac zeli opus, anteſignanis in eo ſanctis, probãte natura, lege, ſcriptura debet iudicari.

Iam vt Eccleſiam armis materialibus minime plantari aut ædificari debere fatendũ ſit (id enim nos Turcis relinquamus, qui enſe non verbo impietatem ſuã ſolent propagare) at certè armis deffẽdi, ſeruari, protegi quis hominum vnquam prohibuit vel Angelorum? Pugnat Michaël & Angeli eius, & primam init in cœlo cõtra Draconis furias belli ſocietatem. Quid iuſtius dici poteſt, quàm vt dum Diabolum hæretici præſtant, nos viciſsim Michaëlem præſtemus? Aut quid eſſe poteſt iniquius, quã vt improbis ad perdendam Eccleſiam vnitis eſſe liceat, nobis non liceat ad ſaluãdam? Virtus illis ſit gregem Chriſti diſpergere, nobis vitium colligere? Et illi omnia diuina & humana conculcando boni, ſi ſuperis placet, ſerui nominentur, nos legem Dei zelando, ac ſceleratorum hominum conatus reprimendo, vitam denique noſtram ab igne, ferro, flamma conſeruando perduelles vocitemur? Eligitur Ioſue, qui pro Deo orante Moyſe pugnet, æter-

2 Fœderis belli pro defendenda religione neceſſitas.

Apoc. 12.

Exod. 17.

1.Macch.2. náque memoria beantur Macchabei, qui zelatores facti, hortãte Matathia, testamẽti patrum, pro lege Dei viui animas suas consecrarunt. Et Deus Tsebaoth seu exercituum speciali titulo nominatur, quòd eos iuuet, qui pro nomine eius pugnant, vt 1.Macch.3. in iis sæpe probet, *quàm differentia apud eum non sit, liberare in multis vel in paucis*, Et nos iustam, quæ per arma fit, religionis contra tyrannos defensionem esse dubitemus? & fœdera pro religione inita cõdemnemus? Et nos ista, quę obtenditur, mansuetudinis larua falli permittamus? Certè vt gladium spiritus & verbi Dei *ad manum*, Ecclesia habet, sic alterum *ad nutum* habere cum Bernardo fateamur. Nec in eo quidẽ repugnãte Christo, cui cũ duos gladios in comitatu suo esse dictum esset, nequaquam alterum Luc.22. superuacaneum esse, *sed duos satis esse dixit.* Scilicet vt vtroque egere illam, ac suum vtriusque in tempore vsum esse declararet.

De consid. ad Eug.

Denique si quis vltra vacuum armis Christum profert, vt deponere contra hostes arma suadeat, nos vt Christum priuati hominis, non Regis aut Reipub. vniuersæ personam gessisse respondere satis Matth. 8. habemus, ita quòd idẽ Christus Centurionem

nem non abiecit: quòd Constantini arma contra Maxentium atque Licinium pro fide Christiana beauit: quòd sub M. Aurelio legionem illam, quæ κεραυνόβολος id est fulminatrix dicta est, insigni miraculo honorauit: quòd Theodosio id contra infideles accidit, quod nobilissimus poëta silere nõ potuit, Euseb. lib. 6. Euseb. lib. 5 cap. 5.

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti. Claudianus.

quòd prosperati in armis diuinitus contra Arianos Clodoueus, contra Sarracenos Martellus, contra eosdem & Saxonas, Longobardos & alios Carolus magnus, contra Albigenses numero infinito procedentes, exiguo comitatu instructus Mõfortius, ac denique (vt cętera omittam) cõtra terribilem Germanorum aciem anno 1587 Galliam terrore suo replentem cum parua manu Dux Guisius fuerunt, amplius omnino est, quàm vt de iustis pro religione defendenda, contra quemuis eius hostem, armis dubitare debeamus. Greg. Turon.

Pro secura in armis pro fide sumptis conscientia, D. Bernardi testimonium. CAP. 30.

Sed si quis in eo scrupulus adhuc reliqu⁹ est, qui timidis vel obrepat, vel arma excutiat, hunc nos fortissimi simul atque sanctissimi & vindicis fidei Christianæ & Ecclesiæ Doctoris BERNARDI verbis propellamus, ac simul ad strenuè in tam iusta causa præliandum adhortemur. Sic enim ille ad templi milites, hoc est sacræ pro fide defendēda militiæ deditos homines, verbis plane aureis loquitur. SECVRI procedite milites, & intrepido animo inimicos crucis Christi propellite, certi, quia neque mors neque vita poterit vos „ separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Illud sane vobiscum in omni periculo replicantes, *Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus.* Quàm glorioſi reuertuntur victores de prælio! Quā beati martyres moriuntur in prælio! Gaude fortis athleta, si „ viuis & vincis in Domino. Sed magis exulta & gloriare, si moreris & iungeris Domino. Vita quidē fructuosa, & victoria glorioſa: sed vtrique mors sacra iure præponitur. Nam & si beati qui in Domino moriuntur, num multo magis, qui pro Domino moriuntur? Et quidem siue in bello, siue in lecto quis moritur, pretiosa erit sine

Sermone ad milites templi. Cap. 1.

Rom. 8.

dubio in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Cæterum in bello tantò profectò pretioſior, quantò & glorioſior. O vita ſecura, vbi pura conſcientia! O inquam, vita ſecura, vbi abſque formidine mors expectatur, imo & exoptatur cũ dulcedine, & excipitur cum deuotione! Et quæ ſequũtur. Nã totus locus præclarus eſt. Et infra. Chriſti milites (inquit) ſecuri præliantur prælia Domini ſui, nequaquam metuentes aut de hoſtium cæde peccatum, aut de ſua nece periculum. Quando quidem mors pro Chriſto vel ferenda vel inferenda, & nihil habeat criminis, & plurimum gloriæ mereatur. Hinc quippe Chriſto, inde Chriſtus acquiritur: qui nimirum & libenter accipit hoſtis mortem pro vltione, & libentius præbet ſeipſum militi pro cõſolatione. Miles inquam Chriſti ſecurus interimit, interit ſecurior. Sibi præſtat cum interit, Chriſto cum interimit. Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei etenim miniſter eſt ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Sane cùm occidit malefactorem, non homicida, ſed vt ita dixerim, malicida & plane

Cap. 3.

„ Christi vindex in iis qui malè agũt,& def-
„ fensor Christianorum reputatur. Cùm au-
„ tem occiditur ipse, non periisse, sed per-
„ uenisse cognoscitur. Mors ergo quam ir-
„ rogat, Christi est lucrum, quam excipit,
„ suum. In morte pagani Christianus glo-
„ riatur, quia Christus glorificatur. In
„ morte Christiani Regis liberalitas ape-
„ ritur, cùm miles remunerandus educi-
tur. Hæc & plura in hanc sententiam vir beatissimus, quæ tanto pluris facienda, atque altiùs animo figenda sunt, quanto, vt credibile est, si nunc in terris degeret, si tẽpora in quæ decidimus mortalis, vt olim fuit, in carne perspiceret, in eos qui nunc sunt persecutores Ecclesiæ, ac Politicos ac perfidos pręcipuè, cœlestis illa tuba fortiùs intonaret.

Libri primi Finis.

DE IVSTA HENRICI TERTII E FRANCORVM regno abdicatione.

Liber secundus.

De causis legitimis, quæ ius Ecclesiæ spectant, Henricum iij. abdicandi.

Criminum Henrici, in canone contentorum, distributio. CAP. I.

HIc iam se veluti ruptis obstaculis, torrentis instar, effūdet iustus dolor: & vt clausus dudum ignis, fracta cum strepitu nube erumpēs, probabit in iustissimæ causa, quàm verum sit illud, quod nobis Tyrannus obiecit in iniustissima, *Furor fit læsa sæpius patientia.* Siquidem quæ passi toties, tam multis locis, tā diu, tā durè atque indignè sumus, ad hunc

Necessarii consilii portus.

nos vehementis ac iustæ querelę locum, ac necessarij consilii portum appellere coëgerunt. Vt quia de iure tum Ecclesiæ tũ Regni ac populi seu Reipub. Reges abdicandi in genere diximus, nunc de causis in specie, propter quas abdicari in vtróque tribunali debeant, vtque veræ illæ in HENRICO Valesio sint, sceptróque eum propterea amoueri oporteat, differamus. Sunt autem illæ, quæ superiori illi distributioni respondeant, partim Ecclesiasticę, partim ciuiles & politicæ. Ecclesiasticas dicimus, propter quas tenetur canone violatę pietatis ac religionis ergò. Ciuiles verò atque politicas, propter quas solo iure Regni ac populi reus agi ac peragi, violati humani iuris crimine potest ac debet. Quæ tamen nõ ita intelligimus, vt aut quę contra Rempub. fiunt, Ecclesia, aut quæ contra religionem atque Ecclesiam, politica seu regni lex vlcisci ac punire nõ possit, cùm mutuas ambæ illæ sibi præstent operas, alterámque alterius muniri præsidiis & antea dixerimus, & deinceps vsu ipso probaturi simus. Sed quia quę pietatẽ, quæque iustitiam (quæ duæ Regni bases sunt) spectant, sic distingui oportuit, quã-

Transitio.

Causæ abdicãdi Hẽricum aliæ Ecclesiasticæ aliæ ciuiles.

Ecclesia & Resp. mutuas sibi in vindicãdis malis operas præstãt.

uis facto sæpe sic concurrant, vt offendi vna sine alterius iniuria nullo modo possit. Prioris rursum decem capita sunt, quæ vniuersali scilicet numero respondeant, ne quid sit in quo dubitetur, quã infestus Ecclesiæ HENRICVS sit hostis, qui numerum istum nocendo absoluerit. Vt dum quot quisque digitos habet in manibus, quot præcepta sunt Decalogi peruiderit, toties se ad vindicandas contra nefandum caput Ecclesiæ iniurias armari debere fateatur. Sunt autem hæc, 1 Quòd periurus: 2 quòd Assassinus atque parricida: 3 Quòd percussor Cardinalis, Archiepiscopi Rhemensis, legati nati sanctæ sedis Apostolicę, Ecclesiastici ordinis in comitiis regni præsidis, patrisque adeo speciali priuilegio sui: 4 Quòd hæreticorum fautor: 5 Schismaticus: 6 Hæreticus: 7 Simoniacus: 8 Sacrilegus: 9 Magicæ impietati ac superstitioni deditus: 10 denique planè impius & numinis contẽptor sit. Postremo, quòd propter superiora illa, anathema & fuerit dudum, & adhuc sit. Quæ nos singula dũ exposuerimus, tum quæ ciuilia sunt sequẽti libro exponemus.

Denarius vniuersalis numerus.

Capita criminũ decem.

De iusta Henrici iij.

QVOD HENR. PERIVRVS SIT, crimen primum.

Ac primùm periurii quanta sit grauitas.

CAP. 2.

PRimum in iis crimen periurij est, quippe cæteris grauitate præstans, quódque vnum instar omnium esse possit. Nam si primus in lege Dei cultus exterior, si prima in orando petitio, legislatore illic Deo, hîc præceptore ac magistro Christo, sanctificatio nominis Dei est, si *sanctum & terribile Dei nomen* est, si bonis illud spes, protectio, fortitudo, gloria, turris fortissima, oleum denique effusum est: si nomen id timere, amare, quærere, glorificare, inuocare, sanctificare, confiteri, recordari, laudare, benedicere, agnoscere, exaltare, & quid non in sacris toties iubemur: contra verò blasphemare, polluere, in vanum assumere, negare, peierare, tam districtè prohibemur: si vt virtutis atque sanctitatis omnis fons atque origo sanctificatio nominis Dei, sic vitij ac sceleris eiusdem pollutio esse solet; Si offensa grauior nulla esse

Exod. 20. Matth. 6.

Psal. 110. Psal. 39. Psal. 19. Prou. 18. Cant. 1. Psal. 101. Psal. 85. Psal. 68. Psal. 82. 104. 98.

Psal. 95. Esa. 48. Leuit. 18. Pro. 30.

potest, quàm si quod ad hominum salutem misericordissimè ac piētissimè datum est, id ad eorundem perniciem, & ad datoris iniuriam & contumeliam conferatur: Si denique naturæ iste, Deo sic volente, sensus, nihil vt periuro homine turpius, vilius, abiectius, nequius, pœna ac vltione dignius vel inter infideles æstimetur, quis neget primum in criminibus *Periurio* locum vt horrore, grauitate, execratione, odio, sic & ordine deferendum esse?

Periurus vt Regno indignus sit.

Cap. 3.

ET certè si qui fidem hominibus violarit, sceptro indignus æstimari debet, tum verò periurium vbi accesserit, tantò intolerabilior & ad dignitatis priuationem efficacior perfidia est, quātò peius in Deū simul, quàm in homines iniuriū esse: vt ne dignus quidem sit, qui imaginem Dei imperando referat, qui dignitatem eius, quātum in se est polluat, ac mendacij ministrum, imo & sceleris peierando efficiat. Scitum enim illud est, quod Philo Iudæus ait, ab eo qui peierat, veritatem, maiestatem, sapientiam, bonitatem, iustitiam, san-

In Decal.

ctimoniam, honestatem, laudem, dignitatem, quid multa? naturam ipsam diuinitatis auferri immortali Deo, quem ille videlicet mendacij & impostura testem, doli, sceleris ac nequitiæ artificem periurio suo efficiat. Vltore protinus, vel in ipso sceleris progressu, accedente Deo, dum pugna, tumultu, timore, damnatione, horrore concussum miserabiliter peierantis pectus accusatrix è vestigio conscientia pungit, ac surdo verbere torquet, miríque infesta Nemesis excarnificat modis, nullũ vt grauius esse supplicium possit. Remittendum vtique, si pœnitentia successerit, sin secus, ad desperationem procul dubio, vt Saüli accidit, adacturũ. Cui viro si ad priuationem Regni, tũ ipsi tum posteris, hæc etiam causa fuit, quòd fidem Gabaonitis, iisdemque alienigenis, à Iosue multis ante seculis iuratam violasset, vt eo iam occiso, non prius cessaret triennalis fames, quàm affixis crucibus septem eius filiis, stirps eius tota, sic volente Deo, deleretur: Quantò iustiùs Regno is priuetur, qui iuramentum non hosti, sed suis: non infideli, sed Christianis: nec à maioribus, sed à seipso: nec longa seculorum memoria, sed nuper: nec

Periurij quantus horror.

Saülis stirps propter periurium regno priuata. Iosue 9.

2. Reg. 21.

semel, sed sæpius factum violarit? Et si periuros gentiles ita puniebant, vt Indi pedibus ac manibus truncos inutiles per omnia redderent, Ægyptij capite plecterent, Romani de saxo Tarpeio deijcerent, vel hostibus, quos illi periurio eluserãt, remitterent, vel, vt Gellius ait, discerperent, aut virga saltem Censoria, omnium notarum damnis & ignominiis afficerent: & lex Caroli magni fuit, *vt periurus nulla redemptione immunis sit, quin manum perdat*, quantò iustius inter Christianos periuro licet publicæ potestatis manum abscindere, ne abuti ea vlterius posit? Ioh. Boemus lib. 2. morũ gẽt. cap. 8. Idem lib. 1. cap. 3. Liuius. Polyb. li. 6. Gell. lib. 7. cap. 18. In legibus Car. Mag. Capitularibus cap. 10.

Neque vero illud sine iure Ecclesiastico fiet, cum decreto Pontificis, inter notoria Ducis ac Regis impedimenta, ne scilicet eligatur, aut electus teneatur, *excommunicatio publica, diuulgata persecutio, & manifestum periurium* censeantur. Imo infames qui peierauerint declarentur, beneficiis etiam, si clerici fuerint, cuiuscunque sint dignitatis, etiam Episcopalis, destitui ac priuari iubeantur. Vt ne interim leges ciuiles taceantur, quæ *infamibus portæ dignitatis aditum patere* vetant ac prohibent. Nam quod à iurisconsulto dicitur *Periu-* Cap. Venerabilem de elect. & elect. pot. 6. q. 1. c. in fames. Deiureiur. c. querelã. C. de dignit. l. 2. C. l. 2. de

rebusered. & iureiu.

rum Deum satis habere vltorem, non est eiusmodi, vt immunem propterea abire eum oporteat. Quia vt de occulto periurio, quódque conuinci non potest, verè id dici posse videatur, ita de eo quod publicè, cúmque manifesta Dei ac Reipub. iniuria fit, ne quis dici posse putet, facit periurij

4. Reg. 25. 2. Par. 36. Hier. 42.

Sedechiæ Regis, Nabugdonosori Babylonio facti vltio, in ipso & populo eius facta diuinitus, vt & ipse priuatus Regno, ac cæcus in carcere moreretur, & populus quòd periurum Regem fouere, quàm prophetas Dei audire maluisset, cæde, gladio, direptione, seruitute atque exilio ita torqueretur, vt duobus & quinquaginta annis nullus per Iudæam, nisi vt per desertum transierit.

Rabi Iose. apud Genebrard. in cronol.

Henrici Periuria. CAP. 4.

AT periurij crimen tantó est in HENRICO detestabilius, quãtò vltra priora illa, quòd Rex, quòd Christianis, quòd suis, quòd sæpius peierauit, sanctius & venerabilius pignus est (sanctum dico in Eucharistia Christi corpus, ac tremendum seculis omnibus, Angelis, hominibus, dæmonibus mysterium) quod temerè & ne-

Periurium Henrici. quàm immane.

fariè peierando profanauit. Et qui se Christianissimum dicit, Ischariote nequius, Iudæis damnabilius, hæreticis (audacter dicam) qui pedibus conculcarunt execrabilius, polluto illo ore & tot scelera agitante illud deglutiens fœdauit atque conspurcauit. Tu enim (ô impium caput) sanctum Dei ita temerare? cuius conspectum (vt diuinus Chrysostomus ait) vix Angeli ipsi ferunt, propter emicantem inde splendorem: cui assistunt Cherubin & Seraphim, pronisque adorant vultibus: qui fert scriptum in femore suo Rex Regum & dominus dominantium: qui tuus creator, redemptor dominus ac iudex est: qui se tibi ineffabili modo videndum, palpandum, gustandum, edendúmque præbuit: qui tot miracula, tam breui compendio concluſit: qui tot mysteria sui, ab æterno Dei, in tẽpore hominis facti, propter te incarnati, nati, passi, crucifixi, mortui, resurgentis denique & æternum viuentis, in tã *arcto* (iuxta Esaiam) *pane*, veneranda, memoranda, adoranda exhibuit: *Qui in frumento isto electorum quicquid boni, & quicquid pulchri est eius* (vt ait Zacharias) constituit, dignum scilicet iudicasti, quem tua perfidia pollue-

Hom. 61. ad pop. lib. 6. de sacerd.

Apoc. 19.

Esa. 30.

Zach. 9.

re, spernere superbia, illudere nequitia præsumeret? Nihilne te (si credis) omnipotentis maiestas: si non credis, nequitiæ ac doli horror atque absurditas commouerunt? Adde iis, quæ crimen immane augeant, factas in proprium caput diras atque execrationes, cùm ille aliquid de detecto sceleris consilio audiens, quò sibi magis oportunos, quos interfecturus erat efficeret, subiunxit cupere se (ô scelus!) imo à Deo petere, damnationem & cõfusionem fieri sibi sacramenta hæc, si aliud à promissis faceret, aut etiam cogitaret, aut etiam si vllum Gvisio, quem scilicet centies in pectore occiderat, cuiúsque sanguinem sitiebat, chariorem haberet. Adde & horrenda illa, & ne in circumforaneo quidem ganeone toleranda verba, *Secet* (inquit ille) *in partes duas animam meam Diabolus, & triginta me Diabolorum dolia* (sic enim loquitur) *importent, si quid faxo secus, aut etiam facere in animo habeam.* Accedunt ficta pœnitentiæ verba, & calẽtes, quæ ad vnum omnes fefellerũt, lacrymæ, cùm se & præterita delicta agnoscere, & saniora consilia sequi velle deieraret. Gratias etiam detecti sibi erroris ageret, & quod feciſſent, facere

Henrici execrationes horrẽdæ.

pergerent, & se, regnúmque suum à perditione liberarent, per Omnipotẽtem Deum adiuraret. Et nos Franci, qui Christianissimi & esse & dici volumus, sicuti velle profecto debemus, hunc Regem, Christi scilicet irrisorem, vltra feramus? & professi seruos Christi, domini iniuriam inultam relinquamus? Atque eius inimicum tolerantes, tam tetro nos, malè seruati cum Deo pacti, scelere obstringamus?

Henrici periuriorum exaggeratio.

Cap. 5.

Hic scilicet, vera si vsquam, data est occasio, in qua terribile verbi Dei fulmen aduersus eum desæuiat, *Qui iurauit in dolo proximo suo.* & *Qui pacificè loquebatur quidem, sed in iracundia*, non Dei, sed *terræ loquens dolos cogitauit. Volumen volans* (inquit Zacharias) scilicet vnde fur simul & periurus Henricus indicetur: & quæ latebant in occulto insidiæ, volumine isto reuelentur. *Educam illud* (ait Dominus Deus exercituum) *vt veniat in domum furis, & in domum iurantis in nomine meo mendaciter. Et commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius.* Scilicet meminisse debuerat

Psal. 14.
Psal. 34.
Zach. 5.

Zach. 8. vocis huius Dei magni. *Vnusquisque contrà proximum vestrum malum ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt, quæ ego odi, dicit Dominus.* Et illud rursum, *Qui frustrauerit iuramentum, delictum illius super ipsum erit. Et si dissimulauerit, delinquet dupliciter, & si in vacuum iurauerit, non iustificabitur, replebitur enim retributione domus eius.*

Eccl. 23.

Quid Henrice expectas? aut qua tandem spe fretus periurus bacchabere? *Faciam tibi (ait Dominus) sicut despexisti iuramentum, vt irritum faceres pactum.* Quid tandem? nisi vt quibus peieraſti, ij vicissim te abijciant? ferunt Rabbini cùm in Sina darentur tabulę, statim vt de periurio lata lex est, totum orbem concussum tremuisse. Quid futurũ domui tuæ putas, aut quę non eius fundamenta concussum iri credis, qui tam fœdè peieraſti? Expiatum iri scilicet scelus tuũ, & propitiatum (vt dicis) iam tibi Deũ esse? At obserua in toto Decalogo periurium solum esse, de quo dicitur לא ינקה non expiabitur, non innocens erit. Quin potius iurantem audi Deum, & de te tam vera prædicantem, quàm tu falsa contra eum mentitus es. *Viuo ego (ait Dominus) quoniam iuramentum*

Ezech. 17.

Solum periurium minimè expiandum in lege dicitur.

Ezech. 17.

iuramẽtum quod sprevit, & fœdus quod prævaricatus est, ponam in caput eius, & iudicabo eum in prævaricatione, qua dẽspexit me. Hic nempe loquitur qui *maledixit sceptris tuis*, vt iam nec Poloniæ Rex, nec Galliæ vociteris: Sed & *capiti bellatorum tuorum*, ideſt atheorum & hæreticorum, prius Spernonio, nunc etiam & Nauarro, & *venientibus vt turbo* rogatu tuo, prius Alemannis, nunc vndique Galliæ hæreticis, *ad dispergendum* Eccleſiã Dei. *Miſisti nuntium ad Ægyptum*, properauit ad Germanos Myronius, implorata Anglicanę meretricis fides, *vt det tibi equos & populum multum. Nunquid prosperábitur, vel conſequetur ſalutem, qui fecit hæc? Et qui diſſoluit pactum, nũquid effugiet?* Quis enim effugio locus ei, qui quod poſtremum eſt violauit? *Omnis controuerſiæ hominum finis ad confirmationem* (inquit Apoſtolus) *eſt iuramentum.* Et Græcè ὅρκος, ideſt iuramentum, quaſi ὅρος, ideſt terminus dicitur, vltra quem progredi non liceat. Et שבועה ideſt iuramentum, à שבע, ideſt ſeptem, vt per vniuerſitatis numerũ, qui ſeptenarius eſt, addi nihil poſſe ſignificetur. Quid vltra, quòd credaris erit, qui omnia conculcaſti? Hîc ſcilicet terminus mortis GVISII fuit, vt quem ſepties

Habac. 3.

Ezechi. 17.

Heb. 6.

Iuramentum controuerſiæ omnis finis.

Guiſius ſeptem vi-

cibus ad mortem petitus.

ad necem petijsti, in septimo iugulares. Properabat istuc dudum Sangermana venatio, hûc albæ pœnitentiæ hypocrisis, hûc secreti Hieronymitarum adyti, hûc atratæ è Germania militiæ globus, hûc doliariorum 12 Maij insignis dies, hûc intentati Blæsis, qui foris occiderent, emissariorum gladij. Ista non successerunt, quia effugio tibi locus erat, & vnde parricidium fictis lacrymis propulsares; & in lętitia magna dolorem, vt extincto prius Ioyeüsa, & Regina Scotiæ, simulares. Hoc, hoc (inquam) postremum erat, quod mirum est vel tentasse diabolum, nisi pręsens ibi homicida ille princeps fuit, qui de cœlo ceciderat, & Christum aggressus est (hoc enim respondisse dæmonem in Cœnomanensi quadam energumena fœmina accepimus) vt violato sacro omni loco, tempore, die, hora, & quod sceleris palmarium est, sacro illo iuramento, quo maius esse non potuit, scelus committeres, quod nec negare os impudens, nec velare versutia posset.

Ergo hic ὅρκος, regni tui ὅρος, & animę tuæ Orcus erit: vt id in te compleatur, *Tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita, hæc dicit Dominus,*

Ezech. 17.

Aufer Cydarim, tolle coronam. Nonne hæc est, quæ humilem sublevauit, homines nihili extollendo, *& sublimem humiliauit*, optimos principes abijciendo & occidendo? *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam.* Scilicet vt nemo iam tibi nisi manifestè iniquus & improbus, fautorem sit præbiturus, & criminis loco futurum sit, si quis te Regem dicat, & pro te os aperiat.

QVOD ASSASSINVS ET PARRICIDA,

Crimen secundum.

Crimen hoc vt regno indignum pronuntiet. CAP. 6.

SEquitur homicidii crimen & ipsum periurio, vt facto ab HENRICO conuixum, sic grauitate comparandum. Quod ne non vndique execrandum in HENRICO esset, triplex in vno scelere crimen facit. Quòd innoxii principes cęsi, quòd propinqui, quòd per Assassinos. Vt cùm homicidam, parricidam & Assassinum simul esse constet, habeat isto nomine amplius,

Hęrici triplex in vno scelere crimẽ.

& quod animaduertere Ecclesia, & quòd iste luere debeat atque possit. Nam primum ex iis quid valeat, exempla eorum docent, qui propter iniustè occisos innocētes Regno priuati sunt. Ptolemęus Physco Ægypti Rex à suis expulsus est, quòd fœda crudelitate bestiā magis quàm Principē prę ferret. Iunius Brutus in Tarquiniū superbū, quòd iniustè quos vellet occideret, superbéque omnia & insolenter ageret, ciues concitauit, ac regno eiecit. Philippum Macedonum regem refert Plutarchus, quòd Philipœmene extincto, sperans Achaia se tota ex animi sententia vsurum, misisset qui eum ex insidiis interficerent, scelere deprehenso & infecto, totius Græciæ odium, hominísque nequam ac perfidi nomen incurrisse. Eduardus secūdus Angliæ Rex quòd in comitiis, violata publica fide, Angliæ principes nō inopinato, vt HENRICVS, sed tamen sine causa, & mētita specie iudicii interfecissent, exclusus deinde regno, imo etiam interfectus est. Idem accidit Richardo secundo, quem quòd patruum suum clanculum trucidari fecisset, & in occisum sententiam læsæ maiestatis tulisset, regni proceres de

Principes propter homicidia de solio deiecti.

Plutar. in Bruto.

Plutar. in Philopœē.

Thom. VValsingam.

sede deturbarunt. Et Ordonius 2 Castiliæ Rex, quòd contra fidem datam quatuor Castilię comites eius iussu interfecti essent ab omnibus ordinibus desertus est, qui & ad tempus gubernari à Regibus noluerũt. Quod ne quis citra Ecclesiæ iudicium factum dicat, En & alii qui in simili causa à Pontificibus deiecti priuati viuere coacti sunt. Petrus Castiliæ Rex quod iniqua morte Blancam Ducis Borbonii filiam & aliquot Regni proceres interfeciſſet, ac propterea totius Regni odium iustissimè incurrisset, ab vrbano Pontifice regno inhabilis est declaratus. Et nota Clotarii primi Frãcorũ Regis historia, qui quòd Galterum Yuetoti dominum Suessione in sacello interfeciſſet, comminatione interdicti ab Agapeto Pontifice territus, Galteri familiam immunem & ab obedientia sua liberam fecit, erecto in Regnum Yuetoto.

Roderic Sant. p 3. hist. Hisp. c.14.

Principes ab Ecclesia dãnati pro pter homicidia.

Frossardus lib. 1 cap. 230.

Iam de Parricidio insignis Magni Nicolai Danorum Regis filii historia est, qui quòd Canutum patruelem suum, conceptо ob virtutem & fortitudinem, ac populi in eum singularem beneuolentiam odio, in ipsis natalis Domini feriis, colloquii specie a duocatum, per latentes sicarios (vt

Albertus Krantsius lib. 1. Saxo Grã, lib. 13.

similia hîc & in GVISII cęde fere omnia sunt) occidisset, & exequias interfecti corpori, ne populus iusto inde dolore animatus, vltionem scelęris quæreret, fieri inhibuisset, eiecto è Regno Patre, ipse ab Erico Canuti fratre interfectus, regno simul & vita iustè priuatus est. Sed & Iohannem Anglorum Regem, qui Arturum ex fratre nepotem, regni æmulum, bello captum, & carcere clausum nullo habito ex legibus iudicio necauerat, Franci, agente id Philippo 2 Francorum Rege, propter parricidiũ, vel in hostem admissum, vsque eo indignũ Regno iudicarunt, vt & hostem proclamarent, & omni iure vrbium, quas beneficii nomine à Francis acceperat, excidisse, eásque ad ius solidum Regis reuertisse constituerent.

Æmyl lib. 6.

De homicid. in 6. Pro humani.

De Assassinis verò, aperta Innocentii quarti in Cõcilio Lugdunensi sententia est, *vt qui per Assassinos Principem Christianum interfici fecerit, aut etiam cædi mandauerit, & si mors inde non sequatur, aut eos receptauerit, vel defenderit, seu occultauerit, sacri approbatione Concilij, excommunicationis & depositionis ab honore & dignitate, ordine, officio, beneficio, sententiam ipso facto sic incu-*

rat, vt illa liberè aliis per alios, ad quos eorum collatio pertinet, conferantur, sitque ille, cum suis bonis mundanis omnibus, tanquam Christianæ religionis æmulus, à toto Christiano populo perpetuo diffidatus. At que ita vt vbi de scelere constiterit, nulla tenus alia excommunicationis vel depositionis seu diffidationis aduersus eum sententia requiratur.

Diffidatus dicitur, quem impunè licet occidere.

Ex quibus intelligitur, quàm iustè hoc nomine Henricum pelli Regno cõueniat, qui se vno tempore triplici isto scelere, homicidii, parricidii, assassinatus tanquam funiculo triplici, qui difficilè rumpitur, obstrinxerit. Eccle. 4.

Henricus homicida.

CAP. 7.

HOmicidii crimen in HENRICO nota dudũ illa fecit in viros bonos crudelitas, cum suis illis quinque & quadraginta carnificibus (quos suos popliticidas vocat) negotium dedit, vt quotquot furori suo repugnantes, aut etiam obloquẽtes inuenirent, eautè & clanculum occiderent, proiectíque in flumen corporibus, capita ad se, fidelis scilicet ministerii argu-

Couppe-iarrets.

Hẽrici horrenda homicidia.

mentum afferrent. Ex quo factum, vt multis subinde inuentis sine capitibus in Sequana & Ligeri corporibus, amissos cognatos & amicos vltra quærendi finem plærique facerent, quòd illos inter martyres istos esse magna ac certa suspicio esset. Fecit meditata sæpius GVISII cùm alias, tũ decima & duodecima Maij 1587 cędes, quæ tum certissimè perpetrata foret, nisi priori die populi metus, ne imparatũ & inermem obrueret, Tyrannum impediisset: altero sicam hanc, non GVISIO tantum, sed & Parisiensium iugulo intentatam, nouo & inaudito miraculo Deus auertisset. Fecit carnificum, qui extincto GVISIO clarissimum eius fratrem ducem Mayneũ Lugduni, mẽse Iãuario primùm, ac deinde Parisiis, ipso sancto Parasceues die interficerẽt, sed & qui illustrissimos principes Mercorii ducẽ Reginę fratrem, ac cognatũ ducem Aumalæum de medio tollerent, ijs etiam Chastræum, GVISII Achatem fortissimum adiungerent, crudelis expeditio. In ista vero, quæ cogitata dudum, ac demũ perfecta est, Christianissimorum principũ teterrima cæde, ne quid sit quod crimen excuset, facit primùm innocens & cri-

Henricus percussorẽ duci Mayneo subornat.

minis vacua, propter quod saltem occidi oporteret, vtriúsque qui cæsus est vita. Deinde, quod si quid offensum esset, id iurato sanctissimè vnionis edicto extinctum & corrasum erat. Tertiò, quod si in principes & Franciæ pares animaduerti oporteret, præsens Ecclesiæ ac regni iudicium erat, ad quod ista causa pertinebat. Quartò, quòd quæ optimis principibus æternùm viuendi causæ esse debuerant, eædem ipsis vitæ per nefarium scelus adimendæ exiterunt. Non enim quòd in hæreticos arma sumpsit, quòd Catholici fœderis ducẽ se præbuit, (hoc enim solum crimen est) in eo peccauit, qui postulantibus id vno ore Catholicis, impulsore Illustrissimo Cardinali Borbonio, imo & sanctissimæ memorię GREGORIO XIII. Põtifice Max. suo etiam ad id zelo ac pietate incitatus, egit. Nec nos eorum testimonia moramur, qui affectati regni arma hæc, non verò pietatis SIXTO V. d einceps, & sanctæ Sedi Apostolicæ persuadere conati sunt, quos proprio vitio, seu hęresi, seu ambitione, hypocrisi, auaritia ac sordibus irretitos, vt id facerent, adductos esse, in confesso omnibus est. Nec in modo peccasse GVISIVS

Guisii innocentia probatur.

Fœderis seu ligæ authores.

Guisius à quibus accusatus.

dici potest, qui communicato Regi consilio, cùm ille fœdus Peronense subsignasset, ac deinceps mortuo Francisco fratrè contrarium promissis ageret, sumptis vrgente negotio armis, vnam hanc pacis cõditionem dedit, vti Rex promissis staret. Quod vbi Rex iurauit, & in hæreticos edictum promulgauit, arma statim GVISTVS deposuit, & se in fidem Regis nudus & inermis dedit. Vni culpę in eo obnoxius quòd perfido Regi credulus nimium, cœptum illud tam sanctum, gementibus bonis interrupit, atque infensissimo Ecclesiæ hosti noua in eius ruinam consilia comminiscendi, exterum hostem callidè aduocãdi, Ecclesiæ bona diripiendi, famosis libellis fœdus hoc sanctum proscindendi, exarmatis iterum Catholicis, hęreticis, qui tum fere oppressi erant, assurgendi, & igne, ferro vbique impunè grassandi, otium dedit.

Guis. qua fide cum Henr. egerit.

Vna Guisii culpa quod Henrico credidit.

Nam quod ambitione incitatum dicunt, præter quam quòd temerarium, est etiam ineptum. Nisi verò Clodoueum qui in Alaricum Visigothorum Regem, Arianæ factionis hominem, arma sumpsit: Carolum magnum, qui Danos, qui Saxonas, qui

Guisius ambitionis expers.

Longobardos, Sarracenos, Hiſpanos vicit ac ſuperauit: Godefridum Bullonium terræ ſanctæ quæſitorem, Simonem à Monteforti, qui fregit Albigenſes, propterea ambitione credimus incitatos. Nam & veriſimilior in ijs, quàm in GVISIO ambitio eſt, cùm hi omnes ex eo quod vicerunt, potentiores effecti ſint. Vnus GVISIVS per tot labores atque vigilias, aliud nihil, quàm exhauſtum patrimoniũ lucrifecit. Et quod palmarium eſt, cùm in Regem quidlibet potuiſſet, fauentibus præſertim omnium votis, vnum fortaſſe hoc peccauit, quia quod toties nullo negotio potuit, tam pertinax, vt toties nollet, fuit.

Guiſius tot laboribus nihilo ditior.

Quanquam quid in eo laboramus, vt innocẽtem GVISIVM fuiſſe comprobemus, cùm id vel ipſa tyranni vox poſt mortem eius teſtata ſit? Sic enim ille ad Cleri, poſt illam ingentem trepidationem, diſſipati reliquias, *Sciebam* (inquit) D. GVISIVM *nihil neque contra vitam meam, neque contra ſtatum eſſe moliturum. Et id mihi bona mater mea clarè ſatis perſuaſerat. Sed & hoc ſciui, cùm de Borbonijs ageretur, non bonum hunc dediſſe reſponſum. Et timui, ne dum illos oppreſsiſſet, appetitus, vt dicitur, edendo creſceret, & me quoque op-*

Henrici de Guiſij innocentia teſtimonium.

primeret. O vocem Gvisio glorioſam, tyranno dedecoroſam? Quid enim dici potuit ad Gvisii innocentiam clarius, ad interfectoris tyrannidem atrocius, qui tam leui ſuſpicione incitatus, tam clarum principem, tam perfidè, tam ſancto loco, die ac tempore trucidauit?

At enim Regem Lutetia expulit. Quî tãdem? niſi hoc vrbe pellere eſt, quod ſe occidi non permittere. Quanquam quomodo Gvisivs reſtiterit dici non poteſt, qui inermis ac quietus, furente populo, toto illo tempore (id teſtamur quod vidimus) domi manſit. Hac ſolum cauſa exire coactus, vt incendium illud extingueret, vt morti iuſtiſsimæ eos eriperet, qui vitam ei poſtea iniuſtiſsimè ademerunt. Quis enim tum Regem, niſi proprij ſceleris conſcientia expulit, cùm rem non ſucceſsiſſe, & populum armatum videret? Aut quis neſcit, ſi ex iſto Blæſenſi latrocinio ſaluus Gvisivs euaſiſſet, paratam ſimiliter è veſtigio calumniam fuiſſe, vt Regi inſidiatum dicerent, cum ita vel hodie ad mentiendum proiecta nequitia ſit, vt quod lupus oui infernè bibenti obiecit, turbari ab illa aquã, iſtud in homine inermi, & qui togatus oc

Henrico quæ fugiẽdi cauſa fuerit.

cisus est, quia armatus non potuit, audeat confingere?

Quæ si tamen offensionis causa aliqua erat, cur remisit? cur deleuit? cur ἀμνησίαν tam solenni iuramẽto, in edicto illo Vniones stabiliuit? Cur adhibiti in testimonium purpuratorum Rothomagi patrum cœtus? Quid sacrosanctæ Eucharistiæ sumptio? quid amplexus? quid verba pacifica sibi voluerunt? Quid enim fraudi cum Christo? quid Eucharistiæ & odio commune esse potest? 2 ἀμνησίαι Henrici doli plena.

Sed si contemni iuxta politicum dogma pietatem, fidem, religionem oportuit, vt externæ tantum phaleræ quærerentur, cur non dicta in tanto concilio (quo maius Gallia non habet) iudicij dies? non producti codicilli? non paratus accusator? non obiecta crimina extiterunt? Quid illinc parati pugiones, ac nefaria consilia, hinc promissa magnifica, lacrymæ amoris testes? Quid manus altera ignem, altera aquam ferens, synceri ac iusti animi præ se ferre potuerunt? 3 Iudicij cõtẽpta forma.

Sed illa grauiora sunt, quę innocentissimum ac fortissimum principem peremerunt, tridentini Concilij assertio, vectiga- 4 Guisii cædis quæ ræ causæ fuerint.

lium octogies centies millenarum, seu, vt dicunt, octo milionum librarum minutio, Nauarræi à regni spe exclusio, beneficiorum in homines dignos ordinata prouisio, in ærarij dilapidatores instituta disquisitio, prætorij in confidentiarios & Simoniacos ac tribunalis institutio, ac singulorum horum nomine auctus in dies in GVISIVM vt Galliæ totius amor, sic tyranni & improborum odium, cùm nec virtutem illius huius ignauia, nec rerum gestarum famam zelus atque inuidia, nec sapientiam nequitia, nec simplicitatem hypocrisis, nec clementiam crudelitas, nec ardorem pietatis atque iustitiæ impietas atque iniustitia ferre posset. Vt ne regnare quidem sibi videretur, quamdiu hic viueret, quem suorum furorum ac fraudum simul securim agnosceret. Erupit enim post scelus ad Reginam matrem primùm, mox inter suos crudelis illa, cum inepta lætitia vox, se nunc primum occiso GVISIO Regem esse. Quòd nimirum, quæ tam sanctè in comitiis conclusa erant, irrita facta putaret, quòd Aurelianam iam & Parisios, quòd totam Galliam se faucibus tenere crederet, quòd se deinceps posse quæ vellet, diceret. Quæ

Guisius Henrici fraudum ac furorum securis.

vniuersam Galliam odio in eumdemmet atque iustissimo furore armauit. Similis videlicet Abimelech fuit, qui septuaginta fratres interfecit vt solus regnaret. Similis Polycrati Samio & Iugurthæ fratricidis. Dignus vtique qui similis sit Cain, post occisum Abel iustum vago & profugo. Similis Lamech, qui *virum in vulnus & liuorem suũ* interfecit. Similis Calippo, vt est apud Plutarchum, qui quo gladio Dionẽ interemit, eodem ab amicis interemptus est. Similis & Ioäbo, *qui sanguinem belli in pace effudit, & cruorem in baltheo atque in vestimento gestauit*, quem proinde post duos occisos viros *iustos & meliores se*, vel ad altare rapi cælestis Dauid iussurus est. Similis Iudæ, qui tradito ad mortem iusto, suspensus crepuit medius. Similis & Christierno, qui cęsis in conuiuio principibus, tribus Regnis priuatus, miserè defunctus est.

Iud. 9.

Genes. 3.

Genes. 4.

3. Reg. 2.

Henricus Parricida. CAP. 8.

QVod verò propinquos esse adiunximus, vt parricidium esse constet, hoc dicere satis erit, quod vtrique, HENRICVS Valesius scilicet, qui occidit, & HENRICVS & LVDOVICVS GVISII, qui in-

Guisij cum Henrico cognatio.

terfecti sunt pari gradu, hoc est tertio à Ludovico duodecimo Galliæ Rege ortum habuerunt. Nam cùm Ludovicus masculaprole orbus ex vxore Anna Britannica Caroli viij Francorum Regis vidua filias duas suscepisset, Clavdiam & Renatam, ex priori, quę Francisco Valesio nupsit, natus est Henricvs secundus Henrici tertij homicidę, parricidæ, Apostatæ pater: ex altera, quæ Hercvli Estẽsi Duci Ferrariæ nupsit, nata est Anna Estensis, mater Henrici & Ludovici Gvisiorvm, qui interfecti sunt, à consobrino scilicet consobrini, ne de parricidio deinceps liceat dubitare.

Henricus Assassinus. Cap. 9.

Guisij cædis circunstantiæ.

SVpereſt vt crudelitatis in Assassinatu inauditũ genus declaretur. Parum enim erat occidere, nisi quicquid in isto genere excogitarè scelerati poterat, cerneretur. Eucharistiæ iam illusum erat, præcesserant verba pacifica, amplexus, lacrymæ, beneuoli simul ac deuoti animi testes. Excussum omne fraudis artificium, vt si id non proficeret, non haberet iniquitas, quo se vertere amplius posset. Concluſi aditus scele-

ris

his omnes. Vnus locus erat, vt in Regis cubiculo scelus illud patraretur. Et statutum in concilio iniquitatis fuerat, vt GVISIVS moreretur. Hoc hæretici & hypocritæ Rãbolietti, hoc Athei Doüs & Domontius, hoc cothurni Antraguæi, Aureliã iam iam tradituri concluserant. Et Myronius medicus discesserat, in speciem aula pulsus, reipsa ad Germanos missus, vt militem cõscriberet. Et cõmodũ acceſſerat, quod sparso non in Gallia tantum, sed & in exteris regionibus futuri sceleris rumore, vnus GVISIVS toties admonitus, partim innocentiæ conſciẽtia fretus, partim dolis & simulatione amicitiæ circumuentus, partim cępti de reformanda Gallia & profligãda hęresi perficiendi desiderio incensus, & alias, vt optimi quique solent, ad male suspicandum tardus, metuentibus ac credentibus cæteris, nec metuere poterat nec credere. Quid multa? Idoneus occurrit sceleri designando natalis Christi dies (nam solenne id Dęmoni, vt ineũte die festo furias suas, vt olim in Christum, sic & in membra eius agat) quo à negotiis feriandum, & parandi ad sacrum diem animi erant. Fingitur noua deuotio postridie, ad ædem virginis

Veriſſima totius facti narratio.

Guiſij candor.

Ficta deuotio ad scelus dessignãdum.

Cleriacæ (non aliter sailicet deuorare Herodes Christum potest, quàm si se deuotum mentiatur) coqui, lixę, cętera seruitia itineri accinguntur. Monętur interim vesperi quinque & quadraginta stigmatici (hic dignus Domino comitatus) summo mane vti compareant in Regia postridie. Duplicatur Regis custodia, & ne subsit doli suspicio, stipendii quærendi ergô veniſſe finguntur. Accersitur summo mane GVISIVS, vt in cõcilium veniat citissime Nouũ vrgebat negotium scilicet, ad quod necessaria eius præsentia erat. Et ne quid deesset tam necessario concilio, vnà Cardinalis illustrissimus frater venire iubetur. Venit vterque properè, & lupos agni reperiunt, à quibus deuorandi erant. Sedẽt in concilio cum Guysio & fratre Cardinali sceleris participes. Dum occlusis aditibus, datisque à Tyranno ipso pugionibus, monitisque vt fortiter agant, regni secretarij voce è concilio in Regis cellarium GVISIVS aduocatur. Literas scilicet iam iã discessuro Rege, & deuotionis suę moras non ferente, à Pictauiensi exercitu lecturus. Ergo ad Regem recta pergit, pallio tectus longiore. Et proximus conclaui, seu

Henrici, stigmatici.

Pugiones ad cædem futurã cõparati.

Regis secretiori cubiculo, prodeuntibus ex obscuro hinc inde sicariis, in gutture, lateribus, dorso, & pectore, spectante Tyranno, crudelissimè confoditur.

Ad homicidã Apostrophe.

Quid agis, ô bellua? aut quis te transuersum furor agit? Quem cædis? quem perimis? quem cadere isto scelerato parricidio in conspectu tuo credis? Nihil te ista generosa indoles, nihil serena facies, nihil candidus animus, nihil agni mansuetudo, nihil fides, nihil inuicti animi fortitudo, nihil atrocitas sceleris, nihil cadentis ad omnipotentem Deum gemitus, nihil vox sanguinis Abel, nihil Nemesis, nihil Galliæ laus, nihil tua, nihil tuorum causa permouere potuerunt? Et quod nec in scelerato homine ferre generosus animus potest, id in talis ac tãti viri cæde oculi tui ferre potuerunt? Et id videns fieri sustines, quod audiens horrere debuisses? Hinc illæ lacrymæ scilicet. Hæc illa deuotio. Hoc egregium illud facinus, pro quo hora vna ante Aurelianẽsis Eceboluis vota fieri ab Henrici sacel lano postularat. Monens videlicet, preces vti Deo funderet, vt in eo patrando fortem Henricum efficeret. Quem Deum miser dicis, nisi forte Plutum illum

& principem tenebrarum, quem solum dudum colens, Deo te immortali vota facere, & eius causam agere mentiebaris? Hæc fides, hæc regij cubiculi sanctitas, vt princeps Catholicæ Ecclesiæ vindex, patriæ parens, & regni propugnaculum, quo nihil cœlum, neque in armis generosius aut fortius, nec domi mansuetius, aut lenius vnquam vidit, & cui parem vtráque laude secula nulla sint habitura, per sceleratissimos nebulones, hypocritæ iussu necaretur.

Tyranni miserabilis facies.

Iámque ille ceciderat, cum necdum securus Tyrānus, quem furiæ miserabili pallore diuexabāt, an expirarit rogat. Et quia spirare adhuc audit, seu quod timet, seu quod non vult morienti inuocandi Deum esse tempus, confodi iterum iubet. Quod vbi factum, prodit è triclinio, stricto ense, strenuus iam & fortis miles, & ante mortui corpus vix etiam metum ponit. Ensem ipsum deinde in mortuum adigit, pulsat pede iacentis caput, & securus tandem in risum & cachinnum soluitur. Scrutatur ense vulnera, & quis quod vulnus de carnificibus inflixerit quærit. Laudat qui altius

Ignauus & crudelis tyranni animus.

infixerant, qui minus altè criminatur. Acersitur inde frater Cardinalis & mordaciter irrisus, raptatúsque petulanter per medium iacentis fratris corpus trãsire cogitur. Clauditur deinde in gelido, rigente hyeme, sine igne, sine lecto, sine cibo, vnà cum Archiepiscopo Lugdunensi superiori ac tectoproximo cubiculo. Compertóque postridie (referente id Angeneo, Cænomanensium pio scilicet Episcopo) futurum vt à Clero, ni tollatur properè de medio Cardinalis repetatur, missis carnificibus, qui supplices preuenirent, & orantem repererunt, iniecto ad collũ laqueo, ipso sancto Natiuitatis Dominicæ vigiliæ die, pugionibus hastísque tranffigitur. Hoc scilicet Christianissimi Regis opus. Hic fidei zelus. Hæc charitas. Hæc reuerentia Ecclesiæ. Hic patriæ amor. Hæc in suos pietas. Hæc commendata toties HENRICI clementia & bonitas, digna denique ad craftinam communionem preparatio fuit, vt scelus designaret, quod nulla mens diuinare, nulla assequi cogitatio posset, & vix postera creditura sit ætas.

Henrici inhumanitas.

Cardinalis Guisii cædes.

Sed ne quid crudelitati desit, post illusa cachinnis & scommatibus corpora, imo

Sæuitia in mortuos.

turpiter, vt fertur, contrectata, cum inhumata post biduum sanguinem stillare non cessarent, luctuosæ eorum matri ad sepeliendum ea petenti negauit, & abcisis capitibus (quorum se identidem aspectu exaturat) ne exequiarum honore gauderēt ipse in frusta concisa concremauit, cineres in aërem sparsit, insuper ac pro ijs solemnes preces fieri prohibuit. Parum habens occidisse, ni vt vrsus extinctis corporibus insultaret, vt Herodes & Herodias Iohannis Baptistæ, sic cæsorum capitibus illuderet, & quod olim gentiles iactis in Rhodanum martyrum cineribus, quòdque hæretici in B. Hilarij reliquiis, Pictauii B. Martini Turoni, S S. Irenęi & Bonauēturæ Lugduni, Henricus octauus in B. Thomæ Cautuarienſis in Anglia & olim Basianus in Getę fratris à se occisi corpore, idem ipse in Christianissimis principibus pręstaret, animam denique (si tamen animam esse credit, & si fieri posset) occideret, omnesque omnium barbarorum immanitates & furias superaret. Prorsus vt cū nimia credulitas atque clementia principem optimum eò deduxerit, vt ne sepulchro quidem locus ei esset aut esse posset,

Cæsorum capita abscindū tur

Corpora cremātur.

Euseb. lib. 5. cap. 1.

id merito ei dicatur, quod olim amico Æneas.

Æneid. 5.

O nimium pelago & cœlo confise sereno,
Nudus (vel potius vstus) in ignota Palinure
iacebis arena.

Hæc nimirum sunt quæ Assassinatum istum multis, nominibus detestabilem efficiant. Primùm, quòd specie concilij aduocatos interficit. Deinde, quòd in regia, qui locus sacer est, de medio tulit. Tertio, quòd in aspectu suo cædem fieri sustinuit. Quarto, quod pœnitendi tempus nõ dedit, sacramentisque Ecclesiæ, quæ nec sceleratissimis negari debent, quantum in se fuit priuauit. Quinto, quòd in corpora mortuorum desæuiit. Sexto, quod iisdem, vt olim mortuo in cruce Christo Iudæi, illusit. Septimo, quòd abcisis capitibus eorũ se aspectu exaturat. Octauo quòd matri luctuosæ, & ipsi in carcere positæ, natorum corpora sepelienda denegauit, quod nec Achilles in Hectoris corpore patri Priamo sed nec Pilatus Iosepho in Christi defuncti corpore facere sustineret. Nono, quòd sepultura priuauit, ethnicúmque & barbarum morẽ iis cremandis & iactandis cine-

1 2 Circunstiarum ad crudelitatẽ enumeratio.
3
4
5
6
7
8
9
Ioh. 19.

ribus est imitatus. Decimo denique quod preces proiis fieri prohibuit. In quo postremo verè mentita est iniquitas sibi, & longè contra, quàm speraret, accidit. Vix enim vllus Ecclesię angulus, Parisiis primũ, & vt speramus, tota Gallia fuit, in quo nõ solemnes pro defunctis principibus preces, & publicæ laudationes factæ fuerint: tantis omnium studiis, nulla vt neque nonostra, neque patrum, ab omni æuo, memoria contigerit, vt tam solemnes pro vllo Christianissimorum Regum, sed neque vllo omnino Christiano principe, tanto apparatu, tanta frequentia, tanto omnium concursu, tanta deuotione, tantis lacrymis, tanta in Tyrannum indignatione, & vltionis ad Deum proclamatione fierent.

Psal. 26.

Preces pro Guisio & fratre tota Gallia.

Atque hic Hērici clausus triumphus fuit vt quo die (is 23. Decembris fuit) superiore anno Parisios veniens, de Germanis à se accitis, à GVISIO, autem victis, plagiarius impostor, triumphum petierat, emendicata munusculis puerorum, vt ouãs intraret, voce, eundem publico præconio sibi denegatum, eo ipso die, vertente anno in Guysii cæde repeteret. Infelix, qui non

videat illustriorem se tum Guysio triumphum peperisse, cum vitam ademit, quàm priùs honorem frustra inuidendo peperat.

Quid speret hoc rege Gallia, qui ad apicem crudelitatis sic venerit, nihil vt addi posse videatur? Aut quis Regẽ vltra ferat, quem homicidæ, parricidæ & Assassini crimine natura, patrius mos, leges, canones ipsi tam clarè damnauerint.

QVOD PERCVSSOR CARD. Archiep. Rhem. Et patris sui, &c. Crimen tertium.

Vt priuari dignitate debeant qui crimen hoc commiserint.

CAP. 10.

CRescit videlicet cum numero sceleris genus. Et quod furoris impetu in principe seculari factũ videri poterat, idem postridie in Sacerdote, Episcopo, Cardinali, ac patre spirituali admissum, cõtemptũ Ecclesiæ atque Dei insignem probat atque manifestat. Suæ nimirum sint in eo qui

clericum, qui sacerdotem, qui Episcopum, qui patrem suum, qui legatum sedis Apostolicæ Rhemis natum, & Auenione designatũ percusserit, dirę. In eo verò, qui omnia hæc simul perfecerit, quanta execratio erit? Sacris canonibus, qui presbyterũ violarit canonicæ pœnitentiæ ac depositioni ab Alexandro 2 subijcitur. Et ab Innocentio 2 anathema ei dicitur, qui presbyterum vel monachum percusserit. Quin & omne quod Episcopum, Archiepiscopum, multo magis sanctæ sedis Apostolicæ Cardinalẽ iudicium tangit, ad ipsum summũ Pontif. iure ipso deuoluitur. In Cardinalis verò percussorem tam dignæ ab Honorio, ac beatissimæ memorię Pio V constitutiones factæ sunt, quàm execrabilis hominum in purpuratum istum, ac summum Ecclesiæ ordinem offendentiũ, nequitia est. *Vt Cardinalem nonmodo qui occiderit, verum etiam qui carcere clauserit, hostiliter cœperit, aut persecutus sit, aut qui ista vti fiãt consiliũ, consensúmue præbuerit, aut factũ ratum habuerit, læsæ maiestatis reus, infamis, diffidatus, bãnitus, intestabilis, omnibus feudis, beneficiis & officiis spiritualibus & temporalibus ipso iure sit priuatus. Huius ædificia ruinæ subiaceãt, nullus ei debita reddere, nullus in*

17. q. 4. c. Si quis deinceps. C. si quis suadente.

Guid. Pap. Gratianop. in decis. q. 73.

C. fœlicis recordat. in 6. Bulla Pij v. 36.

iudicio respõdere teneatur. Excõmunicationis denique sentẽtia, quã solus Rom. pont. soluat innodetur. Mirabile etiam quid additur, quod iure omnes cuiuscũq; generis homines debeãt formidare. Vt si quis Princeps, Senator, Consul potestas vel alius dominus siue rector, contra prædictos præsumptores constitutionis præsentis tenorem non fecerit obseruari, tam ipse quàm officiales ipsius, infra mensem, postquàm res ad eorum notitiam peruenerit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat. Ciuitas verò quæuis alia præter vrbem, quæ talia facienti vel facientibus seu præsumentibus in iis, consilium dederit aut fauorem, vel infra mensem saltem taliter delinquentes (prout ei facultas ad fuerit) non duxerit puniendos, pontificali sit eo ipso dignitate priuata, & nihilominus remaneat interdicta.

Anathema in rectores & ciuitates si infra mẽsem in percussorem Cardinalis animaduertere non fategerint.

Principes ob percussos clericos depositi. CAP. II.

QVæ ne ad Reges vsque cõtingere quis dubitet, exempla non deerũt. Iohannem Fischerũ, Roffensem Episcopũ, Cardinalẽ designatum, Henricus octauus Angliæ Rex, contẽtus Francisco Brianto, suo (vt ipse iocans, sed verè tamen loqueba-

Henricus 8. Anglus. in schism. Angl.

tur) inferni vicario, martyrem cum feciſſet, excommunicatus ipſe, & ab eius obe-
Boleſlaus 2. Polonus. dientia Angli liberi ac ſoluti fuerunt. Boleſlaüs Polonorum Rex, ob interfectum S. Staniſlaüm excommunicatus, & regno eiectus eſt, ſolutíque ab eius obediẽtia ſubditi à Gregorio 7. Qui & quotquot auxilio
Cromer. lib. 5. vel conſilio eum iuuerant, cum tota eorum domo & nepotibus, ad beneficia Eccleſiaſtica habita vel habenda, & ad dignitates omnes atque honores, vſque ad quartam generationẽ inhabiles fecit. Non erit fortaſſe Henrico Valeſio vel prima generatio. Sed hanc ipſam pœnam æquè impius Polonus meruit: & aliàs vel nolens ſubit. Sed & alia in eam rem exempla infra, vbi de excommunicatione agendum eſt, proferentur.

Henrici in ſacerdotes & Cardinalem iniuriæ. CAP. 12.

HÆc omnia qui viderit, & in Henrico Valeſio congeſtas in vnum cauſas, quę de ſingulis recitatæ ſunt, aduerterit, imo ad cumulum alias grauiores acceſſiſſe obſeruarit, quomodo non iuſte priuandũ regno, & ſolutos iure ab eius obedientia Francos

fateatur? Ille verbi Dei prædicatores & doctores (quos suis furoribus pene solos resistētes, cæteris silētibus, & manus turpiter dantibus habuit) cane peius & angue odio habens, de cathedris vi detractos, in carcerē sæpius misit. Hîc pacificè cum iis acturum se professus, euocatos in Regiam, magna stipante, ad maiorem ignominiam, furoris sui sociorū caterua, verbis procacibus proscidit atque lacerauit: & cū aliud non posset, quòd viuūt, quòd edunt, quòd calceati, vestiti sunt, criminis & probri loco obiecit. Eos vt olim Micheam Achab, & Hieremiam sub Sedechia principes & proceres, loqui omnino prohibuit. Iis saepius intentauit, atque vt id fieret, si fieri modo posset, ratū habuit. Is denique primū Franciæ parē, Archiepiscopū Rhemensem, sanctæ sedis Apostolicæ legatum natum, Cardinalem, ordinis Ecclesiastici insacris illis comitiis præsidem, cuius nutu & nomine patrui Cardinalis GVISII manu sacro oleo tinctus erat, quemque ob id præ cæteris Galliæ Rex patrem suum, ille vicissim Regem filium speciali priuilegio solet nominare, vt Ioas Zachariam Ioiadę, à quo cōsecratus fuerat, filium, pretio san-

3. Reg. 22. Hier. 18. & 37.

Archiepiscopus Rhemensis Pater regis dictus.

2. Par. 24.

guinis dato, per gregarios de custodia suâ milites, cùm cæteri facinus abhorrerent, & manus sacerdotis sanguine polluere detrectarent, interfecit. Et quem ab eo gladium ad interficiendos hæreticos acceperat, in eius viscera atque corpus impiè ac nefariè, vel ipso præsente Apostolicæ sedis legato conuertit, ac regiam vno tempore fœdo homicidio, sacrilegio ac parricidio maculans, inauditum in Christianissimo regno scelus, quod vix postera creditura sit ætas, perpetrauit. Et Christum se vltra venditabit, qui Christum Domini interfecit? Aut vnctionem suam proferet, qui & eam dum acciperet risu effusus subsannauit, & vnctorem de medio tulit? Aut qua tandem re erit dignus, nisi vt in eo, sicut in 2.Par.24. Ioas iusti sanguinis atque sacerdotalis vltio repetatur? Vt quod dictũ est diuinitus, *Qui* Zach.2. *tangit vos, tangit pupillam oculi mei*, in eius caput recudatur?

QVOD HERETICORVM FAVTOR. Crimen quartum.

Hæreticis fauere quàm graue crimen sit. CAP. 13.

FAuere hæreticis tribus modis intelligi poteſt. Vel quòd illi ſimpliciter tolerantur, abſque vllo ſiue in perſonam ſiue in errorem eorum affectu, ſeu negligẽtia iſtud, ſeu timore, ſeu alio modo fiat. Quod propterea hęreticis fauere eſſe dicitur, quia error cui non reſiſtitur, approbatur, ſiue perinde eſt ac ſi probetur. Vel quòd non tolerantur tantum, verum etiam ſuſtentantur, ſua tamen, quòd amici vel parẽtes aut omnino neceſſarij ſint cauſa, minimè probato errore vel deffenſo: vel quòd denique ſic affectus ad perſonam tranſit, vt errori auxiliũ detur, ac hæreſis promoueatur. Hinc triplex eorum gradus, qui in ſcriptura notantur, quòd vel non increpuerint, vel excelſa non abſtulerint, aut etiam conſtrui permiſerint. Quod perinde eſſe, atque hæreticis fauere, ex eo intelligi poteſt, quòd eadem hodie ſit hæreticorum. Vno exiſtente (vt Tertullianus ait) diſcrimine, quod *Ethnici non credendo credunt, hæretici credendo non credunt*: Veręque adeo ab Epiphanio dictum ſit, χείρων κακοπιςία τῆς ἀπιςίας. Peior infidelitate praua credulitas. Ac primo quidem genere qui peccarit,

Id hodie hæretici quod olim Idololatręs. Tertul. de præſcript.

In Ancorato.

Ioathan Rex Iuda forte fuit, de quo cùm
4.Reg.15. dicitur, Fecit quod *placitum erat coràm Domino, iuxta omnia quæ Ozias pater eius operatus est, veruntamen excelsa non abstulit*, tolerãtia impietatis tantum, non suum aliquod in eam studium ostenditur. In altero offendit Iosaphat, cùm eum scriptura dicat, non tantum excelsa non abstuliſſe, sed etiam cùm
3.Reg.22. 2.Par.19. Achab, Ioram & Ochosia infidelibus belli
4.Reg.3. societatem iniisse, ac fœdus percussisse.
2.Par.20. 1.Reg.2. Non absimile fuit quòd Heli increpatur, quòd cùm liberos indignè agere nosset, corripere tamen præ paterni amoris dul-
3.Reg.19. cedine noluerit. In tertio Achab impegit grauissimè, cùm & Baal sacerdotes fouit, &
3.Reg.20. Benadad Regem Syriæ seruauit incolumem.

Quæ cùm sint eiusmodi, vt primo gradu secundus, vtroque tertius peior sit atque deterior, tanto grauior eius qui in tertio offenderit, damnatio credi debet, quantò seueriùs, qui vel in primo aut secundo gradu tantùm peccauerant, puniti leguntur. Ac prima quidem punitio nominis diffamatio coram Deo fuit, vt cùm in eo Reges omnes præter Dauidem, Ezechiam, & Iosiam, deliquissent, omnes quoque præter illos

illos tres, *peccatum commisisse*, id est grauissimo scelere se obstrinxisse dicuntur, cui scilicet nec Dauidis cum homicidio adulterium, nec Ezechiæ superbia ac thesaurorũ ostentatio comparari possit. Sed & terribilis illa prophetæ Iehu ad Iosaphat increpatio, quòd impio auxilium præbuisset, & cũ iis qui oderunt Deum amicitia iũgeretur, propter quod iram Dei merebatur, puniẽdus haud dubiè, nisi bona opera inuenta in eo essent, quę iram temperarẽt: Et quòd contritæ sunt naues, quas ad Ochoziæ auxiliũ parauerat, quã graue id Deo sit, apertè satis videtur declarasse. Terribili[s] adhuc fuit illud cõtra Heli sacerdotẽ in filios nimium obsequentem iudicium, *Iuraui* (inquit Dominus) *domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum, eo quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.* Certè quàm hîc nulla sanguinis aut carnis ratio habenda sit, cùm illud clarè indicat, quod Dominus ait, *Qui amat patrem suum aut matrem plusquam me, non est me dignus.* tum vetustum illud Mosis, *Qui dixerunt patri suo, & matri suæ nescio vos, & fratribus suis ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquiũ*

Eccl. 49.
2. Reg. 11.
Esa. 39.
2. Par. 19.
2. Par. 20.
Iudicium Dei in domum Heli terribile.
1. Reg. 3.
Matth. 10.
Deut. 33.

tuum, & pactum suum seruauerunt. Grauissimè omnium increpatus Achab, cui ob seruatum Benadad, & quòd spretis dei prophetis pseudo prophetas in pretio haberet, terribilis primum vox illa insonuit,

3.Reg.20. *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo eius* Sed & postea iuxta illã, & Micheæ pro-

3.Reg.22. 4.Reg.20. phetæ verbum, vita simul cum regno & huic ipsi, & toti eius stirpi adempta est.

Fautores hæreticorum omni in Christianos dominatu excludendi. CAP. 15.

POrro crimen hoc vt indignum imperio in Christianos hominem efficiat, indicat ille Innocentii III Canõ in concilio Lateranẽsi. Cuius nos cõcilii iudicium tanto pluris facere debemus, quanto maiore totius orbis consensu, & virorum vndique doctissimorũ accessu, celebratũillud atque concluſum est, ante annos circiter 300. Vbi præter Innocentium pontificem doctissimum, affuerunt patriarchæ Constãtinopolitanus & Hierosolymit. Archiepiscopi Græci & Latini 70, Episcopi 412 Prælati alij 800, præter alios vndique do-

Cõcilij Lateranensis celebritas

ctissimos viros. Affuerũt vnà legati imperatorũ Græci & Latini, Regúmque Galliæ, Hierusalẽ, Anglię, Hispanię, Cypri & aliarum Rerũ publicarũ & Principũ Christianorũ. Ergo isto canone *qui hæriticis fauerit, & infra annum non satisfecerit* (vtique pœnitẽdo) *ipso iure infamis ad publica consilia seu officia, & ad quosuis eiusmodi eligendũ inhabilis est. Atque ita, vt nec ad testimoniũ admitti, nec testamentum condere valeat, nec ad alicuius hæreditatem accedere. Nullus quoque ei super quocunque negotio, sed ipse aliis teneatur respondere. Si iudex sit, eius sententia non valeat. Si aduocatus, non admittatur eius patrocinium. Si Tabellio, non valeant eius instrumenta. Et qui tales, postquam ab Ecclesia fuerint denominati, euitare contempserint, excommunicandi dicuntur. Sed & clerici qui talibus administrant sacramenta, vel sepulturam tradunt, vel elee mosynas ab iis recipiunt suo officio priuandi, nec nisi Apostolicæ sedis indulto restituendi sunt.* Et hęc quidem de omnibus, tum priuatis, tũ regibus, ac principibus communiter dicta. De Principibus verò & regibus, & omnino dominis tẽporalibus, ac seculi potestatibus, apertissimè eodem canone cauetur, *vt terram suam ab hæretica fœditate se purgatu-*

„ros iurare teneantur. Quod si non fecerint, & ab
„ Ecclesia moniti facere contempserint per Metro-
„politanum & comprouinciales Episcopos excom-
„municentur. Et si intra annum non satisfecerint,
„ vassalli eorum à summo Pontifice ab eorum fide-
„litate absoluti denuntiẽtur, & terra aliis sine cõ-
„ traditione possidenda detur, qui eam ab hæreticis
„ purgent, & in fidei vnitate conseruent.

Cod. de hę ret. l. si verò.

Sed & idem planè iure ciuili cauetur in noua constitutione Friderici imperatoris,
„ ad hunc modum. Si verò dominus temporalis
„ requisitus & admonitus ab Ecclesia terram suam
„purgare neglexerit ab heretica prauitate, post an-
„ num à tẽpore monitionis elapsum terrã ipsius ex-
„ponimus Catholicis occupandam, qui eam exter-
„minatis hæreticis absque vlla contradictione pos-
„ sideant, & in fidei puritate conseruent, saluo iu-
„ re domini principalis, dummodo nullum super hoc
„ præstet obstaculum, nec aliquod impedimentũ ap-
„ponat. Eadem nihilominus lege obseruata contra
„eos, qui non habent dominos principales.

Principũ ob fauorẽ hæreticis datum infeliciter agentium exempla.

Sic Raymondus comes Tholosanus, Albigensium hęreticorum fautor, tum eo nomine, tum quia Petrũ de Nouo castro, ordinis Cistercienſis monachum, in Gallia Narbonenſi ad Albigenſes confutandos ab Innocentio tertio deſtinatum, interfici

mandauerat (tametsi id tantum ex coniecturis patuit) excommunicatus est, & subditi eius à iuramento fidelitatis soluti. Sed vetustiora hæc, quæ infelices principum exitus, ob fauorem hæreticis datum iàpridam ostenderunt. Sic enim Traianus sub Valente, Arianorũ fautore, magister militum, aduersus Gothos missus, cum victus cõfusúsque rediisset, ob eámque rem mollitiem ei Valens ac timiditatem obiiceret, ille ingenti libertate, *Non* (inquit) *Imperator ego sum victus, sed tu victoriam perdidisti, cũ Deo resistis, & illius auxilia Barbaris potius facis opportuna.* Isaac quoque monachus ea tẽpestate virtutis nomine clarus, cum egredientem videret ad pugnam Imperatorem *Quò vadis* (ait) *Imperator, qui pugnas aduersus Deum, quem non habes adiutorem? Ipse enim cõtra te Barbaros mouit, quoniam & tu aduersus eũ blasphemas linguas plurimas incitasti. Quiesce ergo bellare* (idest hæreticis fauere) *& ille faciet bella cessare.* Quanto præclariùs huius ipsius Valentis frater, a quo cum ille suppetias peteret aduersus Barbaros, rescripsit, *religiosum non esse talem virum iuuare, qui Deo rebellis existeret, sed magis esse iustum, vt eius superbia sedaretur.* Quid Valentinianus iunior?

Hist. trip. lib. 8. cap. 13. Traiani ducis ad valẽtem egregium responsum.

Nam cum matris Iustinę suasu Arianorum partes foueret, diuóque Ambrosio infestus esset, turpi fuga Mediolano elabi, persequente Maximo coactus, à Theodosio imperatore per literas monitus est, *Nequaquam id mirum esse, quia pietatem ille oppugnasset.* Illustrius id forte, & ad vindictæ exemplum in fautores hæreseos potētius, in Vēceslao xii Boëmorum rege. Cui cum nunciaretur crescere in dies hæreticos, conuentúsque contra auitam religionem agere, atque ille neque Dei neque Ecclesię iniuriis moueretur, quin potius sectarios pro sua libidine omnia gerere permittēs, ab iis vicissim se vt commodum regem laudari gauderet, nihilque iā sibi abiis timendū ratus, *ex tepido frigidus*, vt ait Aeneas Syluius, euasisset, præua lentibus tandem hæreticis, seróque nimium ad arma conuolans, frustra petito ab amicis auxilio, ipse paralysi resolutus, regno simul atque vita priuatus est. His adde & Nicephorum imperatorem Cōstantinopolitanū, qui quodclam Manicheis faueret, ac de iis conquerentes contemneret, atque ob mutuas Catholicorū & Manicheorum inimicitias impendio exultans, si quis charitatis ac Chri-

Theodor. lib. 5. cap. 15.

Theodosii cōtra fautores hęreticorum iudicium.

Æneas Syluius hist. Boëm. cap. 35. & 36. & 37.

Amales cōstantin. lib. 24.

stianæ dilectionis studiosus esset, eum odio haberet, atque derideret, cęsus tandem à Bulgaris, imperio simul ac vita priuatus, dignum impietatis suæ supplicium luit. Quod ne non verbo Dei. consentaneum, aut etiam non necessarium videatur, vox illa prophetæ ad Achab, cuius paulo ante meminimus, ob seruatum Benadad Syriæ regem satis indicat. *Quia dimisisti virum dignum morte erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo eius.* Quid est enim populus tuus pro populo eius, nisi quia qui fautori impietatis fauent, eodem cum illo interitu perituri sunt? aut quæ tandem istud euitandi ratio esse potest, nisi vt qui populus eius erat, qui fauet hæreticis, populus eius esse desinat, ne pari cum eo supplicio inuoluatur? Ita vt non liberum iam sit, sed necessarium eum abdicare? 3. Reg. 20.

Fautores Hæreticorum in Gallia præcipuè non ferendi. CAP. 16.

QVæ si in cæteris vera sunt, tanto magis in Galliæ regibus valere debent, quãto regnum istud nobilius, fidei puritate ab omni æuo illustrius fuit, quantóque maiore Ecclesiæ vel fructu conseruatur, vel dã-

corrumpitur. Quantóque etiam nobiliore ad id sacramento Galliæ reges astricti sunt, & maius præ cæteris nomen hæreditarunt. Ex quo sequitur tantò minus ferenda esse Cenomanẽsis pseudo Episco. axiomata, quanto conueniẽtiùs per ea mori suo egit, vt duobus Hẽricis, alteri relapso, alteri hęreseos fautori studiosissimo Religionẽ in Gallia perdendi feneſtram aperiret. Vt qui sub Catholicę deuotionis specie cum hæreticis Euchariſtiæ conculcatoribus, presbyterorũ homicidis versari, & horũ particeps consilij esse nõ desinit, publicè quoque in nobili Pãceltico illo, quò se tot pijatque docti viri contulerant, dicere pro cõcione ac pertinaciter deffendere auderet. *Pacem cũ hæreticis habendam esse: hos amari & diligi oportere: Benignè reuocandos, non vi cõpellendos esse.* Homo acutus & pius scilicet, qui non viderit, quid valeat istud, *Sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, & *Ne aueei dixeritis*. & *Hæreticum hominem deuita*. Et quòd Iohãnes Euangelista cum Cerintho, ne ad momentum quidem horæ in balneo eodẽ esse voluit. Quòdque peius est, allegans illud Pauli, *Pacem cum omnibus hominibus habentes*, id quod præcedit, *si fieri potest*,

Cœnom. Epiſ. axiomata.

Mar. 18. Epiſt. 2. Ioh. Tit. 3. Euſeb. lib. 3. cap. 22. Rom. 8.

omittens hæreticorum more scripturã detruncarit. Item illud, *Iniquos odio habui*, & *perfecto odio oderam illos*. Item & id, *Compelle intrare*. Quódque Ecclesiæ ius est, quos semel in verba sua iurãtes habuit, eos omni modo vi ac gladio cogendi, & ad se reuocandi, aut si id non succedat, ab omni in Christianos imperii ac dominatus iure excludendi. Quo nos iudicij genere & si in eum molestũ est vti, quem regẽ habuimus, tanto magis tamẽ id vti prestemus necesse est, quanto nos, qui Galli, qui Frãci sumus, qui Christianismi laude prę cęteris floruimus, labentis in Gallia Ecclesiæ causa atque periculum ad id nos fortiùs suo iure cogit & adigit.

psal. 118. ps. 138. Luc. 14.

Henricus vt hæreticorũ fautor sit.

CAP. 16.

NAm hæreticis HENRICVS, vt perpetuò, non tolerantia tantum, sed studio fauerit, ex iis intelligendum est, quę partim antequam rex esset, partim ex quo rex esse cœpit, hæreticorum causa gesit. Si tamẽ ex tam multis, quæ facta ab eo in ista causa sunt, vel bonam partem dicere possumus. Nam id primùm docuit famosa illa sub Ca-

Rupellæ fraudulẽter acta obsidio.

rolo ix. Rupellæ putidissimæ hæreticorum Lernæ, in Pictonum finibus obsidio, cum acceptam à Carolo fratre in belli sumptus pecuniam sibi assumeret, nec militi stipendia solueret. Sed multo adhuc magis, quòd cum Catholici multo labore & sanguine, superatis hostium ignibus, vltra vallum prouecti, ac muris cõtigui, in propinquo essent, vt in vrbem victores irrumperent, receptui canens HENRICVS id agebat vt & infectum negotiũ relinquerẽt, & per idẽ vallũ redeũtes, nouis iniectis ab hoste tormentis & ignibus, denuo cæderentur. Amplius adhuc, quod cum principũ Catholicorum, qui illic aderant, maximè verò Ducis Aumalæi vigilantia factum nihilominus esset, vt in propinquo iam sese deditura vrbs esset, accepto ab obsessis auro, & Aumalæo ab hostibus quidẽ, sed dato per proditionem signo, interfecto, & GVISIO in pede vulnerato, discessit, spémque ita omnem & regis fratris & Catholicorum omnium eluſit.

2 Reditus è Polonia.

Docuit deinde, cum in Galliam Rex è Polonia rediret, erectáque in spem ob eius aduẽtum Gallia, extrema sibi omnia hæretici metuerent, & nullo negotio vinci pos-

sent, libera his grassandi per Galliam data facultas. Cuiusmodi illud fuit, quòd Auenione 1574. in reditu ipso à doctissimo Archiepiscopo Narbonensi D. Vigoreo inuitatus, vt pecunias in hæreticos colligi iuberet, & se ille omnia sua oblaturum promitteret, modo Rex in eos hostiliter ageret, contempsit, & quo pede tum cœpit, eodem deinceps perrexit, vt illæsos esse pateretur.

3 Initũ Auenione de vtraque religione retinenda consilium.

Sed illud apertius, quòd cum ibidem recenti Poloniæ exemplo, de vtraque religione in Gallia retinenda consilium iniisset, & huic Illustrissimus Cardinalis à Lotharingia, alijque Catholici principes fortissimè restitissent, non aliud obtineri potuit, quàm vt nullos hęretici cõuentus publice agerent, libertate conscientiæ de cætero data, vt quam quisque vellet religionem domi sequeretur. In quo ne eidẽ quidem Cardinali, quòd Regis voluntati resistere ausus esset, impunè esse potuit, qui statim veneno in eadẽ vrbe extinctus obijt.

4 Datũ Flandris rebellibus auxilium.

Creuit deinde latens virus, & se in Flandrico negotio (occultè licet) aperuit, cùm hæreticis atque rebellibus contra regem Catholicum, Franciſci fratris Alençonij

ducis nomine suppetiæ datæ extiterunt. Minimè vtique dubio aut incerto consilio, cum redactæ in publicas rationes, quæ in hoc bellum datæ sunt, pecuniæ audiantur.

5 Improborũ & hæreticorum promotiones.

Apertius illud rursum, quòd libertinis, hæreticis, imo atheis honoratissima quæque officia, præfecturæ, dignitates in militia, in Senatu, in interiori ac secretiori regis concilio concessæ sunt. Quorum ope atque consiliis incredibile dictu est, quàm hæreticorum res vbique successerint, Catholicorum imminutæ atque laceratæ extiterint. Cuius argumentum insigne fuit, quòd in postremo isto, post Blesense parricidium motu, si quæ vrbes à cõmuni Catholicorum fide recesserint, & hæreticos admiserint, non aliorum fere, quàm iuris ministrorum astu ac proditione (adeo vbique illi sparsi erant) vel ereptæ Catholicis, vel vt eriperentur in magno periculo extiterunt.

6 Pacificationes & induciæ cum hæreticis factæ.

Sed apertissimè id docuit toties hæreticis, cum propè exanimes essent, & facile vinci possent, facta pax, datæque induciæ, vt fortiores scilicet exurgere, ac religioni Catholicæ negotium facessere validiùs possent. Manifestissima vtique suspicione

occulti cum hæreticis HENRICI, consilij vt vel in media pace arma sumerent, quo noua pax succedens fortiores in dies efficeret, & prioris pacis fructus posterioris gradus quidam esset. Eiusmodi prima illa fuit anno 1575, mense Maio, quo liberum hæreticæ prauitatis exercitium permissum est. Cuius beneficio erecti hæretici, multis interceptis oppidis, accitis etiam per Thoręũ, infœlicis stirpis è Momorantiorũ gẽte hominem, è Germania equitibus, tãtisper grassati sũt, donec victis à GVISIO Germanis, pax altera (cum scilicet victi essent) eodem anno, mense Nouembri, ijsdem concessa est. Et quidem cum hac dedecoris, ac fœdi Gallorũ gẽti opprobrij nota, vt victo & profligato extero hosti, cui nulla virtus, nulla industria erat, pro direptis templis ac patriis focis, quinquies cẽtena librarũ millia soluerentur. Vafro vtique, sed execrando consilio, vt quos GVISII & Catholicorum virtus, ne iterum redirent, terrere potuerat, pretium vel victis datum denuo alliceret. Tertiá fuit anno 1577, cùm ob sublatam in comitiis Blæsensibus Caluinianæ impietatis exercendæ licentiam, nouũ fœdus ineuntibus cum Nauarro & Con-

Victis hostibus solutæ pecuniæ.

dæo hæreticis, Catholici viciſſim principes fœdere ſe contra eos obligaſſent, atque horum attriti armis hæretici in manifeſto verſari periculo incepiſſent. Quarta 4
anno 1579, cùm hæreticis denuo ad arma, more ſuo cõuolantibus, oppidáque intercipiẽtibus, Neracum miſſa Catharina mater, menſe Februario, pacis ergô cùm alia multa religioni Catholicæ nocentiſſima, tum illud Nauarro obtulit, vt religionem ſuam liberè hęretici exercerent. Quod 24 Martij ab Henrico ſubinde ratum habi- 5
tũ eſt. Quinta fuit anno 1581, cùm poſt capta ab hæreticis oppida, Ferẽtam in Picardia, & Cadurcum in Aquitania (vbi fœdè in templa & religionem Catholicam bacchatum eſt) redintegrato aduerſus eos Catholicorum exercitu, recepta tandem Ferẽta, prælióque ad Bergeracum victis, pax denuo ab Alẽconij duce, regis fratre, mẽſe Ianuario, in hæc verba oblata eſt, vt iis perpetua religionis ſuæ exercendæ poteſtas eſſet.

7. Nauarrus regni ſucceſſor deſignatus.

Illud deinde maius, quòd defuncto fratre Frãciſco, erectus in ſpem regni Nauarrus (manifeſtus ipſe hæreticus & relapſus) & regni ſucceſſor, ſi Henrico maſcula pro-

les deficeret, publico diplomate est nominatus. Atque hoc nomine missis ab eo ad Curiam solennibus rosarum munusculis, conniuentibus, qui parti huic tũ fauebant, benignè est admissus, & saluere iussus.

8 Neglecta in consilio religionis causa.

Amplius id rursum, quòd anno 1581. in solenni principum ac procerum regni ad sanctum Germanum cõuentu, cum id vsus regni perpetuo ferat, vt prima de religione quæstio sit, & vt id fieret ab Illustrissimo Cardinali Borbonio, primo videlicet regni Principe, ad Regis pedes etiam procumbente, vehementissimè esset postulatum, nõ modo prẽter morem postposita, aut in finem dilata religionis causa, verum etiam omnimodo prætermissa atque contempta est, itaut de ea ne verbum quidem haberetur.

9 Nauarro militem conscribẽdi facta permissio.

Multo etiam magis id docuit illa Henrici Nauarro pecunias in Germaniam mittendi, militem qui in Galliam, cum vellet, erumperet, conscribendi, fœdus cum vniuersis Germaniæ hæreticis, cum Heluetiis protestantibus, meretrice Anglicana, & Scotiæ rege percutiẽdi facta permissio atque probatio: In GVISIVM verò ducem & sacrum Catholicorũ, qui tot factis cum

hęreticis collusionibus, partim iusto dolore offensi, partim manifesto religionis Catholicæ periculo permoti, freti in eo Gregorii XIII Pōt. Max. verbis, dextras inter se societatis dederāt, de non admittendo hæretico Rege fœdus, offensio atque ira. Cùm Catholicum se regem venditans (id quale sit postea viderimus) imponi sibi legem: non pietatis hîc defendendę, sed expetiti regni (quod auidè persuadentes hęreticos auidiùs ipse audiebat) negotiū agi, tū per se, tū per corruptissimos ac mendacissimos ex omni genere & ordine homines, cū aliis tū ipsi post Gregorij XIII obitū Sixto V Pont. Max. affirmaret: famosos etiā libellos ab hæreticis in eam sententiā vulgari nō tantùm permitteret, verùm etiā procuraret. Cur enim eū fœdus illud sanctum tam vehemēter offenderet, nisi quia saluos hæreticos esse vellet?

Et in Catholicorū fœdus offensio.

Accedit his Geneuæ, Sedani, & Iamesi putidissimorum hæreseos lacuum susceptа protectio. Mox initum cùm Angliæ meretrice (quam bonā suam sororem, Christianissimus scilicet hæreticam, imo hæresiarcham publicis instrumentis vocat) fœdus, & susceptum eius profanum perisceli-

10 Cum hæreticis tum domesticis tum externis fœdus.

seu

seu popletarij (vulgo *la Iartiere*) in loco sacro, in luctu & mœrore populi sacramentum. Ac vtrumque illud quidem vsque eo seruatũ fideliter, vt cum Sedanum ob fœdam incolarum in proximi pagi Ecclesiam & sacerdotes, ipso sancto Purificationis deiparæ virginis die, anno 1587 eruptionem, & sacrosanctæ Eucharistiæ, è manibus sacerdotis sumptæ, conculcationem zelo animatus Gvisivs subita obsidione premeret, & rerum omnium indigos in potestatem iam iam accepturus esset, iterato sextùm & septimùm, cum minacibus verbis, mãdato, cum nihil Gvisii, parere in eo de industria cũctantis, & iniuriam Deo factam opponẽtis, & suis se sumptibus bellum facturum recipientis verba proficerẽt, obsidionem soluere coëgerit. Et quod mirum magis, cum in ista fugæ Parisiensis trepidatione, in qua concessurus omnia videbatur, edictum Vnionis ederetur, nulla ratione induci potuit, vt Anglicano fœderi renuntiaret. Homo scilicet fidei plenus, ac propositi tenax, qui cum hostibus Dei atque Ecclesiæ tam arctè fidem seruaret, quam cum Deo, atque eius seruis tam perfidè temeraret. Quin hic ridiculũ hoc qui-

Henricus obsidionẽ Sedani solui iũbet.

Henrici in hæreticos fides, in Deum & Ecclesiam perfidia.

dem, sed serium tamen accidit, Quòd cùm Pinartus, regis tum secretarius, & Anglicani fœderis proxenetes ac negotiator, ab Henrici parte stans, ne fœderi illi renuntiaret, commertij necessitatẽ pro magno argumẽto opponeret, & cõtra illustrissimus Cardinalis Borbonius religionis potiores partes, quàm commercij esse respondisset, neque fœdus vllum tantum esse, in quo religionis exceptio esse non deberet, tum imprudens ille, sed verè loquens tamen subiunxit, religionis exceptionem in hoc fœdere nullam esse posse, quia disertè inter eos conueniisset, vt alter alteri contra proprios, vel suæ etiam cuiusque religionis hostes, suppetias ferret. Ad quod subridens R. Cardinalis, cum falli eum leniter dixisset, monerétque ne id vltra tam horrẽdum de Christianissimo rege diceret, ille necdũ aduertens, iterum & tertio idem dixit, imo & iuramento confirmans, vt sorex proprio indicio & se, & rem totam prodidit.

Pinartus conuẽtionis Anglicanæ secretum prodit.

Non absimile est, quòd iniurias Eucharistiæ factas & templa violata toties aliàs nihil commotus audiuit. Iarzæũ qui Eucharistiam conculcauerat, auriculas sacerdotibus abscíderat, multos interfecerat, a-

II Iniuriarum in Deum ac religionẽ contemptus.

micorum loco esse iussit. Virduni gubernatorem, qui in die Paschæ vrbem hæreticis dedere spoponderat, secretarióque ad id planè hæretico vsus erat, liberauit. Quin ante quatuor aut quinque annos cum Parisijs ministri hæretici plusquam quinquaginta essent, vt securè agerent, vt huc illuc discurrerent, vt inter se conuenirent permisit. Adeo vt sibi nihil à rege timendum esse hæretici dictitarent,

His cõsentit illud, quod cum iurato mẽsis Iulij edicto, armis hæreticos persequi inuitus cogeretur, ac Duci Mayneo GVISII fratri, in Vasconiam eundi demandata prouincia esset, ne quid propterea vel Catholicis accedere, vel hæreticis decedere posset, triplicẽ in eo artem adhibuit, primùm vt iniquissimo tempore, rigente scilicet hyeme, Ducẽ eò mitteret, deinde vt nullo aut perexiguo commeatu ac pecuniis iuuaret, tertio vt Matignonem in armis stare, in iisdem partibus iuberet, qui auxiliatorẽ se professus, reipsa eius successus impediret, & hæreticos foueret. Ac postremo, ne non hæc satis essent, Valettam Spernonii fratrem adornauit, qui post traditam hæreticis Delphinatus prouinciam

12 Doli ad irrita faciẽda catholicorum arma inuenti.

domi Mayneum turbaret, occupatóque per insidias Auxonio Burgundiæ oppido, quæ Mayneo prouincia data erat, deinde Valétia, quę eidem ex fœdere cõcessa fuerat, domum eum si fieri posset properè reuocaret, atque ita infecto in Vasconia bello, simulhæreticos infensissimi hostis præsentia leuaret, & patentem calumniis rei malè pro fide Catholica gestæ Mayneum efficeret. Ac ne in istis domi esset à fratre GVISIO suppetiæ, nouæ huic paratæ artes atque insidię, vt occupato per fraudem in Campania, quę GVISII prouincia erat, Rocroy. Rocoturo seu Ruperegia, castello munitissimo, dũ huic expugnando GVISIVS incumberet, otium aliis in Burgundia impunè grassandi esset. Quorum vtrumque tamen, Rocoturum & Auxonium GVISII virtute, prudentia, ac diligentia breui receptum est. Vna Valentia in manu hostiũ relicta, dum quæ Valettę arma pro expugnandis hęreticis in speciem data erant, catholicos versa fide oppugnaret, & vrbis per iniquissimã fraudem Catholicis adeptæ, abiisdem recipiendæ spem omnẽ prę-cluderent.

13 Accedunt euocati Regis nomine sub si-

gillo eius ei syngrapha, initóque eadere apud Rupellã anno 1586 cõsilio è Germania & Heluetiorũ finibus Ecclesiæ hostes. Nã hęc illa fuit in Sedanum misericordia, vt essent ex isto specu, qui externo hosti viã ostenderent, & ducatum præberent. Duplex scilicet hinc erat fructus, vt & esset, vn de belli occasione Eccesia spoliaretur, missis Romam, qui pro eo egregiè mentiẽtes, sub hastari bona Ecclesiæ impetrarent, ac peius Euangelico villico, pro sexies centenis aureorum milibus (quod clerus cõsenserat) duodecies centena milia, boni seruiscilicet & ad prędam diligentes conscriberent: Et cæso per Germanos Gvisio, dum huic nihil neque pecuniæ neque militum daretur, simul ille vita priuaretur, & triplici genere maledicti, occasionis belli, spoliatæ Ecclesiæ, ac neglectæ in hostem militiæ laceraretur. Atque ita afflictis Catholicorum, erectis Hæreticorum rebus, sumptáque egregiè de fœderatis vindicta, Turcicum in Gallia imperium (quod meditatum pridem erat) facilius statueretur. Hîc nihil dicimus, vt consilia hæc Deus Opt. Max. infatuauerit, vt eiectus & irrisus Gvisivs, vacuus, nudus, iner-

Acciti è Germania & Heluetiorum finibus hęretici milites

Luc. 16.

Miræ pro affligendis Catholicorum rebus artes.

Guisii insignis ac diuina plane victoria.

mis, collectis quas potuit amicorum copiis, factóque de suo belli sumptu, potentissimum & instructissimum hostium exercitum, Ecclesiæ ac populi opibus conuocatum ac ditatum, cum parua manu diuinitus fregerit, vicerit, internecione deleuerit. Hoc tantum volumus, vt constet tam perfidè fauisse Henricũ Hæreticis, quã strenuè à Gvisio victi illi atque fugati sunt. Quod ne cui dubium sit, data eorum reliquiis testantur auxilia: vt domum scilicet per eum securè redirent, cuius fide vocati domo discessissent.

14 Ioyeusæ ex industria tẽtata & peracta cædes.

Sed & huc spectabat illa crudelis & inhumana strenuissimi, vtinam æquè prudentis, Ioyeüsæ ducis cædes, qui quod sui pro religione Catholica zeli testimonium, re sæpius in Nauarrum fęliciùs gesta, quàm Henricus vellet, præbuisset, ob idque tolli eum de medio placeret, ea arte cum eo actũ est, qua petitus sæpe Gvisivs fallinõ potuit, vt exiguis copiis munitus, iussis quiescere qui futuri auxilio, imo qui in eius castris erant, loco iniquo, præmonito prius Nauarro, & Comitis Suessionensis copiis, qui eò missus erat, recens aucto, impar hosti congredi ferox iuuenis & pugnę

auidus, cuique certius in mortem ire, quã fugere esset, per literas Regis expressè iuberetur: in quo ad inhumanitatis cumulũ hoc accesit, vt disipato per fraudem exercitu, cũ superstes adhuc ipse dux Ioyeüsa esset, à comite Suessionensi inuentus, quieto iam & sedato Marte, crudeliter necaretur. Quod factum vt HENRICO placuerit, docuit post fictas & verè crocodyli de interempto, vt dicebat, fratre lacrymas exceptus beneuolè ab eo Suessionẽsis homicida, vt qui egregiè munere suo fũctus, gratiam hanc Catholici exercitus cæde, ac Regis fratris sanguine meruisset.

1 Ioyeusa contra martis furorem cæsus.

Neque aliud sapit quæ oppressis sæpe iniquissimè Catholicis, libera hæreticis cõtra vtrũque vnionis edictum facta est bonorum possessio. Cum aliud se iudices in scripto, aliud in mẽte regis (fideles serui scilicet) legere dictitarent, & in manifestissima iniquitate, & edicti transgressione regis se seruos (ipsi ab iis audiuimus) pro omni excusatione dicerent. His ministris Centurionem Catholicum virum, qui Moyacũ Moyi viri hæretici, hæreticóque & patre & auo nati castrum, iuxta edictum cæperat, præsidiúmque ibi posuerat, captiuũ

15 Gratiosè cum hæreticis, seuerè eum autholicis actum.

ac detẽtum Syluanecti capite plecti, eiusque milites publicè flagris cędi iussit. Moyum ipsum, Bullonium & Castillionem Colignii filiũ hæreticorum coryphæos, à Catholicis interceptos missos fecit. Rohanię & Laualæę, potentissimis & hæreticis mulieribus, quarum liberi Rupellæ & Sedani alebantur, vt bonis suis vterentur ac fruerentur, contra edictum permisit. Vicecomitem Tureneum, infensissimum pace & armis hæreticum, ab Hispanis in Belgio redemptum, hæreticis adiunxit, Catholicis opposuit. Bibliopolas, qui Catholicos libros vendebant, flagris per suos illos ad quiduis paratos iudices cæcidit. Anglum Catholicum, qui persecutiones Anglicanas excuderat, in vincula coniecit. Qui autem libros contra Papam scripserãt, & eos vendebant, fouit, aluit, & protexit. Charonnerium nobilem Britonem Catholicũ, quòd fœminas duas hæreticas Episcopi apostatę Legionis, in Britãnia Armorica, filias nothas, ab insulis Gerseo & Greneste Angliæ proximis, reuertentes, iuxta edictũ cępisset, reum agi ac peragi præcepit, haud dubiè occidendum, nisi fuga se proripuisset. Quinetiam harum alteram Cancella-

rii Cheuernii nepoti nuptui dedit, quem & ipse nobili militia honestans tribunũ creauit. Sed & eodem modo cum nobili illo actum, qui castri Aunæi aditum, contra Germanos Christianissimo Principi GVISIO aperuerat, vt reus scilicet capitis ageretur, & fuga sibi consuleret, cogeretur.

Nec contemnenda dicti Cheuernii Cãcellarii verba. Cui cùm diceret aliquis, nimis magnum Parisiis hæreticorum numerum esse, respondit *nihil ab iis esse metuendum mali, quòd ipsi inter regis seruos fideliores essent.* Sed & Aureliæ Cheuernii literas, nomine regis missas, 17 Martii 1585 datas, in archiuis vrbis asseruari ab Aurelianensibus optimis & Catholicissimis ciuibus accepimus, quibus scriptum erat, *ne quid religionis causa mouerent, quòd vtramque religionem tueri placeret.* 16 Cheuernii cancellarii verba

Sed & legatio Spernonii (qua bellua nihil terra vidit impurius) ad Nauarrũ 1586, quid non monstri alebat? Hîc enim præclaræ illæ conuentiones factæ, vt Nauarrus fictum se Catholicũ, HENRICVS scilicet HENRICI artibus, simularet. Electoratum Germani si dimidia missa emerent, regnum Galliæ missa vna integra minimũ 17 Legatio Spernonii ad Nauarrum.

coëmendum esse. Hoc enim testatur scripta ea de re à Philippo Mornæo, Nauarrici consilii principè, sub nomine trium interlocutorum, Roquelauri, Marmeti, & Ferrerii historia. Quod vbi nõ successit, & Marmeti hæretici, quàm Roquelauri Politici potiores partes, iudice Ferrerio, extiterũt, non à mutua tamen propterea fide desitũ est, idque actum, vt Spernonius munitissimis oppidis Bolonia, Metis, Caleto, Rothomago, præfecturis item nobilissimarũ prouinciarum Delphinatus, Prouincię, Picardiæ, Normaniæ, denique ærario regni ad libitum auctus & (vt vulgo dicebatur) Rex alter factus, Ecclesię pecuniis Nauarrum sẽstentaret, in omnibus fidum se amicũ exhiberet. Nauarrus vicissim omnem illi amicitiam sponderet, denique in hęc verba abitum, vt cõmunibus votis in Guisium & fœdus (ligam dicunt) conspirarent eámque destruerent.

Rex alter.

18 Erepti iudicio hæretici.

Sed nec aliud probant erepti sæpè iudicio hæretici ac valere iussi, atque inter cæteros Belloij pestilentissimi scriptoris historia, quem carcere claudi HENRICVS instante Apostolicæ sedis nuntio iussit, vt Catholicus videretur. Sed ita, vt in carcere

honestissimè velut in libera custodia aleret, & securum esse iuberet. Ex quo factũ, vt multi etiam ex isto specu ab eodem pestiferi libri postea prodierint.

19 Exanthorati Catholici.

His accedunt exauthorati Parisiis anno 1585 Catholici Capitanei, & in eorum locum substituti partim hæretici, partim de religione suspecti. Et quod ab vrbibus Catholicis per legatos rogatus, vt hæreticos vrbe expelleret (id quippe Metis factum anno 1588) literis palam datis, quæ hæreticos palam expelli iuberent, aliàs occultè misit, quæ publicis illis fidem abrogarent, ac ne quid iis fieret prohiberent.

20 Seruata Blæsis Nauarro fides.

Accedit & denuo Nauarro in comitiis Blæsensibus seruata fides, cum in isto celebri conuentu, quo nihil vidit vnquam Gallia sanctius, nec doctius, articulũ illum quo Nauarrus excluſus regno erat, planè repudiaret, nec adduci omnino posset vt decretum id probaret.

21 Literæ Nauarri publice vænientes.

Quinetiam, biduo postquàm Gvisivs occisus est, literæ Nauarri contra Romanam Ecclesiam blasphemia plenæ Blæsis publicè vænierunt.

22 Episcoporum hære-

Occurrit & hîc Episcoporum ab hæreticorum partibus stantium ab HENRICO

ticis fauẽtium conducta vox.

conducta vox. Eiusmodi superior illa, de qua diximus, Cœnomanensis Epis. fuit, digna matre hæretica, fratribus digna hæreticis, digna denique semetipso, in hæresi primùm educato, nunc dubio omnino & incerto Catholico, hæreticorũ certè amico & fautore manifestissimo, nec à scelere Blæsensi alieno. Sed tempore, quo illa erupit, dignissima, cum de eiiciendo & excludendo à spe regni Nauarro, obterendisque penitus bello hæreticis ageretur, & ille in tempore Nauarri & hæreticorum partes quasi Deus è machina prodiens tueretur. Quid enim tum dici potuit pro Nauarro commodius, quàm diligendos hæreticos, quàm habendã cũ iis pacẽ, quàm benignè reuocandos & minimè cogendos esse? Aut quid sequebatur, nisi vt, quod ille & alij, vel ex purpurato ordine, priuatim fecerunt (non ignota hîc loquimur) Sixti V Pont. Max. in Nauarrum censuram publicè condemnaret?

23 Guisij & fratris Cardinalis cẽdes.

Denique fortissimorum Catholicæ Ecclesiæ pugilum, LVDOVICI Cardinalis & GVISII ducis cædes, quantum hæreticis fauerit, docuit exultans Nauarrus & in Pictauia captis ab eo tẽpore Niorto, Malea-

co, alijsque oppidis viribus longè auctus. Docent Alençonij hæretici, qui GVISIO cadente missam corruisse palam dixerunt. Docuerunt non longè Parisijs & alibi publicæ hæreticorum conciones: Erecti in spem qui latebãt, & se hypocrisi velabant, qui statim prodierunt. Blæsis statim occiso GVISIO, hæretici vel in ipsa regia, Franciscanis aliisque Catholicis publicè insultarunt, imo & ibidem hæreticorum more suos mortuos sepelierunt. In agro Rothomagensi hæreticus quidam liberos triduo ante Catholico ritu sepultos, de terra erutos, in profanum locum abiecit. Sedano aliisque locis, vbi latebant, prodeuntes hæretici HENRICI se copiis vbique adiunxerunt, atque pro symbolo suo, *Viuat Rex*, acceperunt.

Hæreticorum symbolum viuat Rex.

Istiusmodi personis atque factis (qualia de HENRICO diximus) qui delectetur, nisi planè hæreticorum fautor dici debeat, tum nos quid sit fauere hæreticis, aut quis hæreticorũ fautor dici debeat, planè ignorare ac nescire confitemur.

QVOD SIT SCHISMATICVS. Crimen quintum.

Excutiendi Regno schismatici. CAP. 16.

SChismatici vt nonmodo extra Ecclesiam sint, sed omnino extra hominum societatem esse debeant, docuit dudum Moyses, cum populũ è tabernaculis Core, Datan & Abyron secedere iussit, & contingere, quæ eorum essent, sub mortis interminatione prohibuit. *Separamini* (inquit) *de tabernaculis hominum impiorum, & nolite tãgere quæ ad eos pertinẽt, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Quæ ne inania verba, aut panici terroris plena esse quis putet, facit omnipotentis Dei, fidelem suum prophetam facientis virtus, & impleta eo iubẽte minantis vox, cum rupta sub pedibus eorum terra, vna cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia sua deuorati, in infernum viui descenderunt, ignéque à Deo egresso, qui cum iis incensum obtulerãt, extincti sunt. Scitúmque, quod de Schismaticis ex Osee propheta interpretatur Cyprianus. *Sacrificia eorum quasi panis lugentium, & omnes qui*

Num. 16.

24. q. 1. Didicimus. Osee 9.

manducant eum, contaminabuntur. Et quod idem commune esse ait Schismaticis & hæreticis, vt foris sint, nec spiritum sanctũ habeant. Amplius est quod ex B. Hieronymo constat, peius schisma hæresi esse, quòd grauius illud, quàm idololatria (quæ hæresi, vt dictum est, respondebat) diuinitus punitum sit. Siquidem ex tribus criminibus, quę pœnarũ exẽplis, quàm grauia, quámque cauenda essent, Deus demonstrauit, quòd nempe idolum fabricatum, quòd liber Hieremiæ ira regis contemptoris (is Ioachin erat) cõbustus est, quódque schisma tentatum, idololatria gladio, exustio libri bellica eæde & peregrina captiuitate, schisma verò hiatu terræ, sepultis authoribus viuis, & cæteris cœlesti igne consumptis, morte scilicet nec communi nec consueta, iuxta Moysis verbum punitum est. *Quis enim dubitauerit* (inquit) *hoc sceleratius esse commissum, quod est grauius vindicatũ?* Nec lõge discrepat quod ait Augustinus *Maius malum cõmitti in separatione bonorũ, quàm illud est, quod effugimus, ex cõiũctione malorũ.* Quippe quod malorũ admixtio, etsi periculi plena, sæpe tamen virtutis probatio, interdum etiã & necessaria est. Et *hæreses esse oportere* ait

Schisma hæresi peius. 24. q. 1. Non asseramus.

Exod. 32. Hier. 36. Num. 16.

7. q. 1. Aduersitas. §. hinc etiam.

1. Cor. 11.

D. Paulus *vt qui probati sint manifesti fiãt.* E schismate verò, quod à bonis separatio est, vt nihil boni penitus, sic plurimum mali accidere solet. Et vt in corpore, continui solutio, sic in Ecclesia hiatus iste nunquam non periculosissimus & pernicioſissimus esse potest. Quòd si propterea seuerius puniti sunt illi ex Israële contra Mosem schismatici, quòd populo Dei connumerati, discessum à capite molirentur, quid ei in eadem culpa futurum est, qui Christianissimum regnum tenens, ab eo se seiungat, cuius filium se primogenitum sceptri causa agnoscere debeat? Aut quis eum regẽ esse, aut omnino præesse Christianis probet, è cuius consortio fugiendum esse conscientia clamet, & scriptura præcipiat, itaut nec quicquam eorum, quæ eius sunt contingere licitum sit?

Henricus vt schismatis reus:

Cap. 17.

Ad Henricvm verò hæc vt spectẽt, ex iis intelligẽdum est, quæ Schismatis reum iampridẽ esse probauerunt. Eiusmodi sunt illa partim ridicula, partim impia, pro repudiando concilio Tridentiuo à

ministris

miniſtris eius commenta, & ab eo facto ipſo probata eludia, tã multæ etiam in eam rem imperatæ, támque magno redemptæ cadaueris Belloij noctes, vt populum Gallicanum doceret, ab obedientia Pontificis, & à concilij huius confeſsione diſcedere. Quæ ne non ſatis firma eſſent, auſa eſt peſtilentiſsimorum hominum impietas Sorbonæ nomen pro ſe ementiri, cum ea præter quàm quòd Synodi huius decreta ſacroſancta ſemper habuit, eáque priuatim & publicè prædicauit, eſſéque non quid ei detrahatur, ſed quod addatur iudicauit, rogata HENRICI iuſſu ſententiam, anno 1586, imponendam redeuntibus ad Eccleſiam hæreticis Tridentini concilij admittendi neceſsitatem eſſe decreuerit. Et iterum & tertio, anno 1588, cum de ea re Blæſis in comitiis quæſtio, menſibus Nouembri & Decembri agitata eſſet, Tridentinũ concilium ſimpliciter admittendum eſſe reſponderit. Quia quæ contra pro Gallicanę Eccleſię libertate proferuntur, tanti eſſe non debeant, vt propterea à communis Eccleſię conſenſu probari diſceſsio poſsit. Nec ſint illa eiuſmodi, vt non ſperari debeat, fore vti de iis cum ſummo Pontifice

Theologorum Sorbonæ de admittendo cõcilio Tridẽtino reponſum.

(sicuti cum beatę memorię Ioh. Baptista Castelio, Ariminēsi Episcopo, Apostolicę sedis in Gallia nuntio, non semel conueniſſe meminimus) facillimè transigatur. Qua in re ne quis Henrici studiosus CAROLVM IX optimū Principem huic priùs affinem culpę dicat, quod eius tempore schisma istud inceperit, vt verum sit vindices hęreseos adolescentia regis imo pueritia abusos esse, at id sub viro quàm minimè diu facturi fuisset, ostēdit illa Catholici, & curiositatis hęreticę insolētis Regis vox, cum de fide eius curiosiùs rogantibus, ac fortè decipere tentantibus, dignum Christianissimo Rege respōsum dedit, *De religione mea atque fide* (inquit) *loquentur pro me prædicatores ac doctores mei, & pro iis scindet gladius meus.* Qui enim sic animatus pro fide, & capax sani consilij adolescens erat, quid pro eadem feciſſet, nisi vitæ filum ei successoris impietas atque ἀφορμία abscidiſſet? Sed HENRICO nimirum rege & vindice egebat ista causa, cui vt ille suppetias egregiè tulit, nunc ambages nectens, nūc de ea re deliberari velle maturiùs fingens, scriptis interim oppugnari concilium istud, ac Pontificis obe-

Caroli IX egregium respōsum.

Henricus schismati procurando egregiam operam nauat.

dientiam procurans, nullius se iudicio infra Deum subiici affirmans, nullum denique non lapidem mouens, vt vtrunque excuteret, & Galliam si fieri posset de corpore Ecclesiæ abscinderet: prorsus vt cũ premi se contrariis, ideſt sanis cõsiliis videret, satisfacere sibi aliter non posset, quàm si concilii huius assertores trucidaret, sic dignus effectus est, qui solus eo se nomine venditare, bellator scilicet ad nocendum egregius posset, ac Schismatici nomẽ præ cæteris ante se regibus hæreditaret.

QVOD SIT HÆRETICVS. Crimen 6.

Hæretici vt sceptro amouendi. CAP. 18.

SEquitur illud, quod vt reatu facti pene par, ad hypocrisim certè grauius est, cum te Catholicum dicas, hæreticum tamen esse. Huiusmodi verò quã sit indignus regno super Christianos, fusiùs diceremus, nisi locus hic & à multis explicatus, & nulli ambiguus foret. Non enim hîc apologeticorum pro Nauarro ineptias moramur, quibus respõsum tum à nostris, tum ab ex-

a. in nõnullis de iud.

b. authent. Gazaros de hæret.

c. l. dãnato cod. de hæret.

d. authẽt. de hæret. collat. 10.

e. l. 26. c. de hær.

f. authẽt. Gazaros cod. de hæret.

g. authent. coll. 8. de priuil. leg.

h. l. Ariani cod. de hæret.

Regnorũ sub principibus hæreticis clades

ternis copiosè meminimus. Nisi forte hæc partim addere, partim ex aliis cursim delibare placet, quæ sequuntur. Ac primùm vt iure ciuili agatur, cum hęresis [a] crimen publicũ sit, ac propterea [b] maiestatis tũ diuinę tũhumanę ciuili iure hęretici teneãtur, imo nec [c] Christianorum appellatione digni habeantur, sintque eiusmodi, vt nec [d] testamẽtũ cõdere, nec [e] hęredes fieri permittãtur, quin etiã bona [f] eorũ fisco addicantur, honores [g] omni ac dignitate priuẽtur, vltimo [h] etiã suplicio affici iubeãtur, nullaratione fieri posse, vt iis sũma in Christianorũ bona, fortunas, ac vitã potestas cõcedatur. Accidit his periculum ingens, quod inuehi in Remp. necesse est, si in solio regni cuiuscũq; generis hęreticus toleretur. Quod quale sit docuit Romani, sub hęreticis principibus Constantio & Valente Arianis, & Iuliano Apostata imperii clades, cum eadem, quæ illos, Remp. quoque vniuersam, vel flamma consumeret, vel ruina opprimeret. Et quæ in Christianorum fines, per schismaticos atque hæreticos principes, sublato Oriẽtis imperio, immanissimo hosti Turcæ fenestra aperta est. Docuit contra, florens sub Constantino magno, sub

vtroque Theodosio, sub Othone primo, aliisque catholicis principibus respub. Et ne nostra taceamus, constans Francorum regnum à mille ducentis, eóque amplius annis, non aliam ob rem, quàm quòd sceptrum illud, tametsi viros non probatissimos aliquando habuerit, hæreticis tamen semper caruerit. Periturum haud dubiè, iuxta B. Patriarchæ Remigii vaticinium, si ab iis qui tales sunt, teneri se ac fœdari patiatur. Manifesto etiam ex eo præiudicio, quod quæ duo potentissima regna, Vãdalorum in Africa, & Gotthorum in Italia eodem fere tempore cum Francorum regno fundata sunt, non aliam ob rem tam cito perierunt, vt in illo sex tantum, in hoc octo Reges numerentur, quàm quod hæreticos reges habuerint. Prorsus vt quæ causa Frãcorum regni, tot seculis seruandi fuit, eadem si auferatur, futura sit euertendi.

Sub catholicis par & securitas.

Cõstantia regni Gallici ex fidei puritate.

Adde quod cæteris grauius est, prostitutam sub impio rege tot hominum æternæ damnationi salutem, cum exemplo incitati homines, id quod principes sunt, id fere esse studeãt: & vt sub Dauide, Ezechia, Iosia, aliisque piis regibus, veræ religionis a-

Hæretici principes fidem desiderunt.

mans populus fuit, ita sub Hieroboam, Manasse, Achabo, aliisque impiis ad idola turpiter deflexerit. Et vt sub Constantino Catholico pietatem totus orbis amplexus est, ita sub Constātio eius filio Ariano, totus (vt ait Hieronymus) orbis ingemuerit, & se Arianum esse miratus sit. Et vicinæ nobis Angliæ historiam quis nescit, quæ succedente post HENRICVM & Eduardū, impios reges, Maria Catholica, ac post Mariam rursum impia Elizabetha, toties impietatem religione vera, ac religionem impietate commutauit?

Contra Luciferianos.

Principes Hæretici crudeles.

Quibus omnibus si tormenta, cruces, crudele diaboli, qui homicida erat ab initio, in suis mancipiis, principibus hęreticis ingenium, si immanes quales olim legimus Arianorum, oppressis virginibus, altaribus fœdatis, fuso toties sanguine, & illas sub Copronymis, Leonibus, aliisque Iconoclastarum portentis, & quas oculis nostris in Gallia Caluinistarum vidimus, exenteratis, vstis, laniatis, effossis terra hominibus, proiectis in puteum, feruente aqua & oleo suffocatis, in flumen proiectis, crucibus etiam (dictu horrendum) à Nauarro confixis, ac denique per Henri-

Nauarrus crucis suppliciū instaurauit.

cum, vel in media comitiorum celebritate trucidatis, furias adiunxerit, quid erit vltra, quòd hęreticum in regno tolerandum iudicemus?

Principatu ob hæresim eiectorum exempla. CAP. 19.

NAm & exemplis si opus erit, eiectorum ob hæresim principum, prodibit Basiliscus Eutychianus hæreticus, Calcedonensis concilii impugnator, qui post multas Catholicis illatas contumelias, imperio spoliatus, à Zenone vna cum charissimis, in castello quodam mortuus est. Prodibit & successor idem Zeno, qui eadem hæresi infectus, cum Eutychianos Ecclesiis præfecisset, simulatáque cum Orthodoxis pace, factóque edicto Henotico, cũ nihilo secius nobilissimos quosque interfeciſſet, vino obrutus, in sepulchrũ iussu vxoris Ariadnę elatus, viuus sepultus est. Prodibit & Heraclius, qui Orthodoxus primũ, mox hæreticus Monothelita factus, occupatis per Sarracenos nobilissimis Orientis prouinciis, ipse obscæna tentigine periit, reliqui ex eius stirpe partim gladio, partim uffocatione obierunt. His succedet Ana-

Zonar. lib. 3.

Zon. 1. lib.

Ibid.

Ibid.

Zona.& Paul.Diac. lib. 6.cap. 11. Phillippicus. Leo. Platina Sigeb. Zon. Copronymus. Zon. Stauratius. Mich.Balbus. Theophilus.

stasius Manichęus, vociferante & indignũ imperio clamãte populo, verbis pacis turbam emollire coactus primùm, ac deinde fulmine extinctus. Philippicus itẽ Iconomachus imperio eiectus, è publicis etiam actis monetáque & canone Missæ erasus & expunctus. Leo item Iconomachus à Gregorio II. primùm, mox à Gregorio III. Occidentis imperio priuatus quod ad Francos deinceps & Germanos translatum est. Nec melior Copronymi eius filii sors, qui & ipse Iconomachus, luxuriisque ac maleficiis deditus, de imperio primùm, Artabasdo duce, & populi vniuersi ac cleri studio deiectus, eodem recuperato phrenetide interiit. Sed & propter eandem hæresim eiectus est Stauratius Nicephori imperatoris filius. Ac post eum Leo Armenius, qui à monacho quodam pseudopropheta, promissione diuturni imperii, si sacras imagines tolleret, elusus, cum Catholicos vehementissimè opprimeret, ad altare ipsum, vnde imagines abstulerat, est interfectus. Nec felicior Michaëlis Balbi eius interfectoris & successoris, eiusque filii Theophili cõditio, qui omnes pari errore infecti infelici exitu obierunt. Notanda

quoque imprimis Trebellij primi Bulgarorum regis Christiani,& Raimiris 2 Hispaniarum regis historia·Quorum ille cum religionis studio monachum professus, imperium filio reliquisset,ac fidem deinceps à filio desertam esse audiisset, egressus è monasterio pater, ac filium bello adortus, vi captum oculis priuauit & perpetuo carceri addixit, Alter fratrē Alphonsum, fidei quoque desertorem, regno eiectūsimiliter excęcauit,& in vincula coniecit. Denique Hēricus 4, cùm ob alia crimina,tū ob hęresim illā,quę Hēriciana dicta ab eo est,cōcilij decreto,sub Paschali Pōtifice à tribus Episcopis Mogūtino, Coloniēsi, & Vormaciēsi, insignibus imperii exutus, eóque cedere Henrico filio coactus, priuatus ac miser, morbo correptus è vita excessit, ac corpus Pontificis iussu quinque annis insepultum mansit.

Sigebertus. Rhegino lib. 2 Trebellij filius.

Alphōsus Ritius de reg. Hisp.

Hēricus 4. Otho Frising. lib. 7. cap. 10.

Sigon lib. 9. regni Ital.

Henricus vt sit hæreticus. CAP. 20.

HEnricum hęreticum dicere, superuacaneum fortè esset,cū deterius in eo impietatis genus esse credibilius sit,nisi in id datus videretur, vt esset, in quo nequitię omne genus vires suas exprimeret. Nos

verò quia heretici nomen in iis locum habet, qui cum se Christianos dicant, erroribus tamẽ occupantur, & se Henricus Christianum dicit, tantisper etiã quid in eo hæreseos subsit dicemus. Postea enim quid deterius in eo sit, etiam videbimus.

Porrò quæ hæresim in eo sapiant, partim sunt ei cum reliquis hæreticis communia, partim propria & peculiaria. Ad prius spectat illa primum sub Carnaualeto Lutherano, atque sacrilego professo educatio, cũ eo prẽceptore annũ prope duodecimũ agẽs, cantilenas in Rom. Põtificis derisum ab hẽreticis factas cãtillaret, catechismos hæreticos in sacculo secum ferret, vt propterea grauissimos viros, hodie Episcopos ac viuos adhiberi oportuerit, qui eum ea dere admonerent, & ad saniorem mentem reuocare contenderent.

Henrici educatio.

Apertius fuit, quòd ipso sancto dominicæ Parasceues die, vt bellaria quędam vesperi sumeret, à Carolo ix. inuitatus, cum id ille, ob diei, vt dicebat, religionem abnuisset, inter carnium epulas opiparè instructas sedens postea est inuẽtus. Et quod lecto decumbens Carolus idem, iam iam moriturus, Illustris. Cardinali à Crequyo dixit. *Mi*

2 Contemptus Ecclesiæ insignis.

fereri se Galliæ, quam duobus moriens relinqueret, quorum alter hereticus esset, alter etiam & Atheus.

Addunt quidam in Polonia venales carnes hoc Rege, quadrageſimę tẽpore fuiſſe, quod ante non contigerat. 3

Neque iis abſimile fuit quod ſanctiſſimas inaugurationis ſuæ in Rhemenſi Eccleſia cærimonias, atque olei ſacri vnctionem (vt aliquot ante annis Anglicana Iezabel) riſu excepit. Cúmque ad eum locũ vẽtum eſſet, quo Rex cum Archieſpicopo Rhemenſi, pronus humi, meditationi aliquantiſper incumbere debet, ipſe tum in Nauarrum intuens (cui præ geſtus impudentia corona de capite, non ſine omine cecidit) tum puellis aulicis arridens, ingẽti cachinno effuſus, & murmur inter ſãctiſſima myſteria, & ſcandalum præſentibus dedit. Nec defuit in tãta celebritate, quod mali ominis loco eſſe multi crederẽt, quòd & Caroli magni corona, capiti eius impoſita, parum firmiter hæſit, & quin caderet parum ab fuit: tum etiam quòd è pulpito deſcendenti (quò regem veſtimentis regalibus indutum aſcendere moris eſt) tres vel quatuor gradus vna prolapſione deſilire, 4 Irriſio vnctionis. In ſchiſmate Angl.

ac prope omnino corruere contigerit.

5 Solemnis deuotionis omissio.

Vetustum etiã Christianissimorum Regum, nouendialis post cõsecrationẽ, ad sãctum Marculphum deuotionis (vbi creditur virtus scropharum morbũ sanandi regibus nostris insigni priuilegio dari) morem ipse neglexit, postridie scilicet vnctionis matrimonio iunctus, tripudiisque ac deliciis omnis generis intentus. Vnde factum, vt scrophas ab eo non curari, & qui ab eo tanguntur, minimè sanari passim dicatur.

6 Bullæ cœnæ domini improbatio.

Anno 1584 patrem societatis Iesu, qui bullam cœnę Domini imprimi curauerat, vna cum impressore in carcerem trusit, & quin vtrũque necaret, parum abfuit. Collegia etiam flagitantibus ciuibus quibusdam in ciuitatibus fieri noluit, & totam Societatẽ hæreticis maximè inuisam odio habuit. Quin etiam, quo tempore eius frater Alençonius in Anglia erat, sæuitum acerrimè in Catholicos, extincto tum etiam Campiano, Societatis eiusdem presbytero.

7 Professio fidei hæretica.

Accedit missa ab illo 1585 ad omnes Galliæ Episcopos fidei professio, quam ex illis, qui gratioſè loquebantur, suspectam dehę-

tesi, qui autem verè atque ingenuè, planè hæreticam iudicarunt.

8 Obedientiæ pontificis contemptus.

Quin & eodem anno, dum Arresto publico edictum Vnionis primum firmaretur, & de formula iuramenti hæreticis ad fidem redeuntibus præscribenda ageretur, in dubium, si superis placet, reuocatum est, an iurare tenerentur Rom. Pontificis obediẽtiam, & Concilij Tridentini fidem. Vt propterea ea de re consuli Sorbonæ Theologos & patres oporteret. Quorum iudicium quàm ei displiceret, vel in eo patuit, quòd disertis verbis in regia Lupara Parisiis dixit, *Non agnoscere se eos prosubditis fidelibus, qui Papæ obedientiam iurassent.* Quò quid dici potuit ad hæresim apertius?

9 Coronæ dominicæ parui pensio.

Sed & id parum pium multi obseruarũt, quòd ostenso ei in Sacello regio, Parisiis, nobili illo dominicę è spinis Coronę thesauro, quem magno & studio & pretio S. LVDOVICVS de Græcorum ac Venetorum manibus redemptum, in Galliam adferri procurauerat, atque obuiam procedens, cum Episcopis & regni proceribus, multis cum lacrymis & suspiriis, nudis pedibus, affluente vndique & procumbente populo, Parisios in sacellũ illud intulerat,

tum HENRICVS, ad hoc tam insigne redemptionis nostræ trophæum, tecto vt solet capite (nam nec aliter Eucharistiam veneratur) ridens, hoc solum quæsierit, *An tantum caput Christus habuerit.*

10 Hæretici libri eo iubente scripti.

Iam cum iussus ab eo scribere Belloius, & commeatu in id sustētatus, tam multa impiè, hæreticè & prauè contra summū Pontificem, contra Ecclesiæ potestatem docuerit, & hæc tamen HENRICVS ipse (& qui ab eo stant) probauerit, quis neget & hunc pari animi furore atque insania esse?

11 Hæreticus miles ab Henrico stat.

Amplius est, quòd occiso duce GVISIO, regis nomine vndique Sedano, aliisque impietatis latebris, hæreticus miles conscribitur, quòd templa violantes, Eucharistiā conculcantes, sacra omnia profanantes, cæde, latrocinio, incendio omnia permiscentes, pro rege se stare profitentur, &, *Viuat Rex*, pro symbolo vbique hæretici habent.

12 Ministri hæretici.

Et ne quid professioni hæreticæ desit, ministri hæretici suggestum cōscendere Blæsis, HENRICO ibi agente, idque in Ecclesia, & à populo prohibiti, ante dies non ita multos memorantur.

13

Postremo quod Colophonis est instar,

datæ Nauarro dextræ ſocietatis, coniunctę vires, mutua colloquia, epulæ, cõſilia, obla- Societas cum Nauarro.
ta ei generalis militiæ præfectura, mutua-
que adeo fides, vt HENRICVS Hugonoto-
rum, Nauarrus viciſſim Catholicorum,
ideſt, qui cum HENRICO ſunt, Atheorũ pro-
tector atque defenſor ſit. Ne quid videli-
cet eſſet, quod tã ſanctũ fœdus, ob religio-
nis cauſam, perturbare aut tardare poſſet.

Cui fœderi dignum & hoc HENRICO 14
acceſsit, quod ipſi, vel à ſuis glorioſè rela- Cęſurę Põ-
tum, certiſsimè accepimus. Nam cum ei tificiæ cõ-
diceret aliquis, Quid futurũ putas, ô Rex, temptus.
cum fœdus hoc Papa reſciuerit? Certiſsi-
ma enim tum excommunicatio, & Catho-
licorum à maieſtate diſceſsio. Tum HEN-
RICVS, *Apage* (inquit) *Tanti enim, qui à me*
ſtant, excommunicationem illam, quanti ego, fa-
cturi ſunt. Hæcille, tam verè de plurimis,
qui cum eo ſunt, atheis, quibus riſus, vt ipſi,
anathema eſt, quàm optandum, vt plurimi
mendacem eum ſancta ad Deum & Eccle-
ſiam reuerſione efficiant. Sic videlicet in
Sole tandem atque luce partum, quod du-
dum in tenebris occulta hypocriſis ac ne-
quitia parturiebat, ne de eo deinceps liceat
dubitare.

Recētia & hæretica Hērici pro posita.

AD ALTERVM genus spectāt proposita fidei Catholicæ cōtraria, quæ inuēta recēns & ipse palam & publicè cum suis pronuntiat, & opere ipso complet.

1 Prohibiti prædicatores de statu loqui.

Eiusmo di est illud primum, quòd prædicatores, vetat de iis quæ ad Rēpub. seu regnum, siue vt ipse loquitur, ad Statum spectant, loqui. Nam id cùm sæpe alias, tum anno 1586, congregatis, eius iussu, Parisiensis vrbis prædicatoribus, in vigilia natiuitatis Dominicæ fecit cū scriptis ad eos ingentibus ac prolixis literis, ne quidquam de iis, vel tantillum loquerentur sub mortis interminationè prohibuit. Imo etiam secularibus iudicibus, vt in eos animaduerterent, si de iis vel hiscere auderent, negotium dedit. Cautè videlicet in eo agens, vt ne quis, quæ ille contra pietatem ac iustitiam facit, si hæreticis faueat, si Ecclesiæ bona diripiat, si fœdus cùm improbis ineat, si innocētes perimat, sontes iudicio eximat, arguere aut damnare possit, quòd ista ad Statū pertinere dicat. Quod vt scripturæ ac vetusto prophetarum mori, qui reges liberè in similibus reprehenderunt, contrarium, imo, si pertinaciter defēdatur, hęreticum, concionatores & apud eum priuatim

uatim quidam, & publicè in suggesto refutarunt. Cúmque aliud nihil ineptisimo cuique (quæ turba politicorum est) in ore esset, quam vt ἐχεμυθίαν Pythagoricam *in materia Status* (sic enim loquũtur) vrgeret, pulchri etiam ac belli sibi in eo multi viderentur, quòd haberent, in quo prædicatoribus obloqui possent, pontem asinorum, axioma hoc, ad scelus omne obtegendum, ad cornicum oculos configendum, simplicibus illudẽdum, omnia susque deque permiscendum, intrepidè ac cõstanter esse dixerunt.

Pons asinorum cõtra prædicatores.

Nec minus durum illud, quòd negat Sacerdotem aut Parochum, qui suo Regi maledixerit, hoc est, qui acta eius condẽnarit, confitentes absoluere posse, eósque potius eludere. Et quòd crimen grauius nullum agnoscit, quàm si quis Regi suo contradicat. Hæc enim illius Theologia fuit, anno 1587, coram iisdem prædicatoribus, eius iussu in regiam conuocatis, 30 Decemb. vbi & illud sacrum de Status materia silentium denuo imperauit. Quinetiam dignos non esse sacerdotes ac doctores, qui eius pedum vestigia osculentur, fastu incredibili, & minimè tolerando subiunxit.

2 Negat sacerdotem sibi obloquentem posse pœnitentes absoluere.

3 Pernicioſi' iſtud quòd de iis quæ ad Rẽp ſeu Statũ ſpectãt in confeſſione ne verbum facit quidem, nec vt faciat ſe teneri putat. Errore nimirum Sadducæis affini, quaſi ad prouidentiam Dei regna non pertineant, nec ſit ille rex regum, nec ex eius lege debeant regna gubernari. Ignorans videlicet quid ſit illud, quòd Deus regẽ iubet *exẽplar legis à ſacerdotibus accipere, & ſeruare quæ in lege præcepta ſunt.* Et illud, *Duriſſimum iudicium fiet iis qui præſunt.* Et rurſum, *Erudimini qui iudicatis terram.* Et alibi, *Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans, & conteret illud de medio terræ.*

Deut. 17.
Sap. 6.
Pſal. 2.
Amos 9.

4 Idem ſuarum ſe actionum rationem nõ niſi Deo reddere debere ait. Nec vllum niſi Deum ſupra ſe agnoſcere. Sed quem Deũ ille, aut quem eius miniſtrum agnoſcit, cui de actionibus illis ne quidem confitetur?

5 Idem licere ſibi ait, vel cum periurio, Maieſtatis reum (ſic vocat omnes ſibi quouiſmodo repugnantes) occidere. Id enim poſt GVISII cædem, periurii reatum proferentibus Eccleſiaſticis reſpondit. At quid hoc eſt, niſi Deum infra ſe cõſtituere, cuius fidem liceat libidinis propriæ cauſa temerare?

Amplius est quòd se omnino lege superiorem facit, nec se lege teneri putat. Quid enim aliud volebat egregia illa contra GVISIVM & fœderatos responsio, cum diceret nolle sibi fieri legem, cum legem illi aliam nullam, quàm diuinam, quámque ipse iurasset proferrent? Aut quid est parere isti legi nolle, quàm se supra substantiale ipsum ius erigere? Quod cùm ne Christo quidem ipsi concedatur, imo ius ipsum & iustitia eiusdem cum Deo ordinis sint, intelligitur quorsum euaserit illa impietas, quæ se supra Christum ipsum, imo supra omne, quod dicitur Deus, ausit eleuare.

6 Nulla se lege teneri putat.

Neipse quidem Christus est supra omne Ius.

Ex hoc fonte prodierunt pestifera axiomata illa, quæ Politicos, id est Henricianos nostros infecerunt, atque inter eorũ hæreses merito munerantur. Cuiusmodi hoc est, quòd Regis voluntati quicquid ille velit aut præcipiat, parendum in omnibus esse, ad idque teneri omnes, tum per se tum per emissarios, præcipuè aulicos arctè accuratéque deffendit. Prædicatores etiam de hæresi pridem diffamatos, verborum aucupes, & ad gratiam loqui peritos, quos & hodie in comitatu suo habet, qui id publicè, ipso præsente, Parisiis concionarentur,

7 Regis voluntati vniuersepareri vult.

adornauit. Quos ob id cum cæteris execrationi esse audiuisset, macte animo esse, mercedemque dignam à se expectare iussit. Hinc illa virorum frugi (sic enim se nominant) gratiosissima vox, qui se regis seruos nudè ac simpliciter esse profitentur. Dei seruum si quis se dicat, protinus corrugata frõte, vt amentem ac furiosum, rigidi Catones auersantur.

Homines frugi in aula qui?

8 Vsurpat sibi potestatem in clerum & bona Ecclesiæ.

Simile & id, quòd Ecclesiastici ministerii iugum à se excutit, ac plenam sibi in eum, eiúsque bona potestatem vsurpat. Denique se Cleri caput manifestè in eo cõstituit, quòd Clerum suum (Clerum enim Gallicanum, vel regni dicere debuerat) iis verbis, *Vos Clerus meus*, publica in comitiis Blęsensibus oratione, quę & typis mandata prostat, iterum & sæpius dicere non erubuit. Quem errorem quod ei augeret, pileum ab eo Cardinalibus (quod ab Ecclesia sola fieri debuerat) imponi, cerimonias Ecclesiæ, vt ab altero Ozia institui, iudices Ecclesiasticos commutari, aliáque eiusmodi & inuiti vidimus, & sanè indoluimus.

9 Dominum' se personarum esse credit.

His affine est quòd se Dominum non rerum cuiusque tantùm, sed & personarum esse credit. Quippe hominibus exprobrans quòd viuunt, quódque aliquid possident,

quasi id eius beneficio singulis concessum sit. Homines etiam calculis similes esse dicens, quos vt qui computat nunc mille nũc decem millia valere facit, ita penes regem esse, vt quemcũque voluerit de alieno ditet, vel pauperem faciat, & sibi persuasum & omnibus esse cupit. Quatuor videlicet in vno simul peccans. Primum quod nos veluti mãcipia in regis possessione esse, non verò liberos natos esse putat, quod planè Turcicum est. Alterum quod nihil à quoquam vult vt propriũ possideri, quòd est etiam Valdesianum. Tertium quòd se Christo æqualem, qui Dominus in scriptura & symbolo κατ' ἐξοχὴν, siue vt exponit Ecclesia, Solus Dominus est, facit. Magno vtique errore & intolerabili, cum ex quatuor quę Christo conueniunt, quòd Deus, quòd Dominus, quòd Põtifex, quòd Rex, vt duorum postremorum functionem solã hominibus communicat, ita duorum priorum, quòd Deus & Dominus, ne atomum concedit quidem. Primi quidẽ, quia quòd Deus, naturæ est, quæ cõmunicari vtique nõ potest. Alterius verò, quia quòd Dominus, merito obediẽtiæ quæsitũ est, cũ Deus eum cõstituit *hæredẽ vniuersorum*, quod nec

Homines calculis similes facit.

Bellouius lib. de author. regia.

Christus solus Dominus.

Heb. i.

illi imminui, nec in alium transferri potest. Pontificia verò & regia potestas propterea communicatur, quòd hæc obsequia potius & ministeria sint, quàm dominationes. Quartum denique, quòd nulla meriti cuiusquam habita ratione, prout affectus sint iudicio, sine ratione impulerit, honores, diuitias, principatus distribuere se posse credit, quod nec Christus, qui omniũ dominus est, facit, qui dat vnicuique secundũ opera sua. Et constans dudum propositio est, sublato præmio & pœna Rempub. corruere. Idque adeo est ius omne, atque adeo Solem de mundo isto auferre.

10 Regem supra regnũ constituit.

Sed pene par quoque hæc eius insignis hæresis est, quòd Regem regno eiusque ordinibus superiorem esse, pro incõcusso fũdamento habet. Vnde illa eius vox vsque eo frequens. meus status, meum regnum, meus clerus, mea nobilitas, mei subditi. Quòdque ille primus in iis veterem regum in plurali numero loquendi morem immutauit, cum illi, *nostrum regnum, nostri subditi*, & similia dicere soliti essent. Cuius cõtrarium, regnum videlicet & ordines supra regem esse (quod nos ante probauimus) cũ

Lib. 1.

piissimus iuxta atque doctissimus Theolo-

gus, Natalis Baudinotus, ordinis Cluniacensis, in Scholis publicè deffendisset, apprehensus primùm & in custodiam datus, cũ inde euasisset, paulo post nõ lõgè à Sorbonę domo, circa noctis crepusculum, mẽse Nouembri, anno 1578, conducto ad id sicario, cum se domum reciperet, crudelissimè est confossus. Cuius cædis ignota adhuc causa esset, nisi eam in pestilenti suo illo Apologiæ scripto, impurissimus Belloius, interfecto scilicet insultans, ac ministrũ Sathanæ vocans, postea declarasset. Nam hæc sunt Henrici, tum communia cũ cæteris, tum ipsi ac suis propria hæreseos momenta & capita, ne quicquam sit, cùm Henricum Henricianósue proferemus, quominus hęreticos dicere iure valeamus.

Natalis Baudinotus cur interfectus.

Ad obiectionem, quæ ex ficta Henrici deuotione fit, Responsio.

CAP. 21.

QVa in re si quid erit, quòd Henriciani, vt crimen hoc propulsent, vt Henricũ Catholicum ac sanctum esse probent, lugubres saccos, vigilias, deuotiones, communiones, peregrinationes, monachales ritus, & cætera eiusmodi externi cultus in-

dicia proferet, nos preter quàm quod moderatissimè id responderi potest, quod dicunt Theologi, inutilia esse consilia, imò etiam noxia sæpissimè, quæ cum præcepti iniuria fiunt: & id fortasse, durius quod ait Cicero, *Totius iniustitiæ nulla capitalior pestis, quàm eorum, qui tum cum maximè nocent, id agunt, vt viri boni esse videantur*, locũ hunc pro defẽsione Gallicanæ Ecclesiæ, sicut olim contra Cõstantium, ita hodie contra Hẽricum, ex Gallici ingenii tuba ac fulmine B. Hilario sanè peroremus. Sic enim ille contra Cõstantium, falsa pietatis specie homines, vt hodie Henricus, eludentem, dignus qui Gallus Gallis exemplo prẽeat, ac lumẽ de lumine suo accẽdat, sanctus ac minimè politicus Episcopus. *Vtinam* (inquit) *illud potius, omnipotens Deus, & vniuersorum creator, ætati meæ & tempori præstitisses, vt hoc confessionis meæ in te, atque in vnigenitũ tuum, ministerium Neronianis Decianisne tẽporibus explesses. Nec ergo calens eculeum metuissem, qui desectum Esaiam scissem, nec ignes timuissem, inter quos Hebræos pueros cantasse meminissem, nec crucem & fragmenta crurum meorum vitassem &c. At nunc pugnamus contra persecutorem*

Off. 1.

B. Hilarij ad Constantium ideſt Henricum verba.

fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat: non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem: non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat ad seruitutem: non latera vexat, sed cor occupat: non caput gladio decat, sed animam auro occidit: non ignes publicè minatur, sed gehennam priuatim accendit: non cõtendit, vt vincatur, sed adulatur, vt dominetur. Christum cõfitetur, vt neget: vnitatem procurat, ne pax sit: hæreses comprimit, ne Christiani sint: sacerdotes honorat, ne Episcopi sint: Ecclesiæ tecta struit, vt fidem destruat. Te in verbis, te in ore circunfert. In quo ne quid esset, quòd de petulantia accusare eum quisquam posset, subiungit. *Non est istud temeritas, sed fides: neque inconsideratio, sed ratio: neque furor, sed fiducia. Proclamo tibi, Constanti, quod Neroni locuturus fuisse, quod ex me Decius & Maximianus audirent. Contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sæuis, sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus non iam humanorum, sed diuinorum.* Iam verò quę Henrici in religione hypocrisim & mores expressissimè declarent, hæc sunt. *Christianum te mentiris, Christi nouus hostis es. Antichristum præuenis, & arcanorum eius mysteria operaris. Condis*

Henrici in Constantio hypotiposis.

fidem, contra viuens. Doctor prophanorum es, indoctus piorum. Episcopatus tuis donas, bonos malis demutas. Sacerdotes custodiæ mandas, exercitus tuos ad terrorem Ecclesiæ disponis. Conclusos vrbe vnà ministerres, fame debilitas, hyeme conficis, dissimulatione deprauas. Orientales autem dissensiones artifex nutris, blandos elicis, fautores instigas. Veterum turbator es, prophanus nouorum es. Et infra significans, quàm multo deterior sit hostis, qui se pium mentitur, cum non sit, quàm qui aperto marte Ecclesiam persequitur, *At tu* (inquit) *omnium crudelitatum crudelissime, damno maiore in nos, & venia maiore desæuis. Subrepis nomine blandienti, occidis specie religionis, impietatem peragis. Christi fidē Christi mendax prædicator extinguis.* Et rursum, *Ille pater tuus, artifex humanarum mortium* (ideſt Diabolus) *docuit te vincere sine contumacia, iugulare sine gladio, persequi sine infamia, odire sine suspicione, mētiri sine intelligētia, profiteri sine fide, blādiri sine bonitate, agere quòd velis, nec manifestare quæ velis.* Et iterū, *Nox lucē illuminas, & promulgas fidem infidelis, & pietatem impius mentiris, & orbem profana simultate committis.* Hæc ille diuus pater, & diuinæ eloquentiæ torrens, quem inoffenso pede legendum monuit Hieronymus.

Quid facturus foret, si nunc viueret, & qualia videmus, cerneret? Attendite, ô Politici, dissimilem vestri Episcopum, & qualia in nobis arguitis, & supplicio coercenda proclamatis, in sanctissimo viro, confusi, taciti, & elingues suspicite. Iámque eius territi voce, hypocritam hypocritæ pietatis laudibus euehere definite. Hic iudex vester, Gallorum Gallus scilicet, qui de alto vos considerat, idque agit, vt debita tum ignauiæ vestræ supplicia, tum contraria agentibus prȩmia reponantur. Quæ si non satis erunt, vos illa denique Seruatoris vox terreat. *Attendite vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos.* Hæc regula scilicet Cynosura certior. Quæ si Henricum ostendit hæreticum, quid erit quòd vltra Catholicum prudentia imprudens, insipiens sapientia, fraudulenta denique simplicitas velit confiteri?

Ad Episcopos politicos apostrophe.

Hilarius Gallos de alto considerat.

Matth. 7.

QVOD SIMONIACVS.

Crimen septimum.

Simoniæ labes vt reos, vel ipsos etiam reges efficiat. CAP. 21.

Simoniaci extra Ecclesiam. 1. q. 1. Petrus.

NOta illa Ecclesiæ in Simoniacos vetus censura est, quos illa nonmodo iuxta Petri ad Simonem verbum infideles atque hæreticos, sed & hæreticis peiores, quantumuis fidem (quam facto negant) verbo profitentes esse sanxit. *Non est tibi pars in sermone isto, quia cor tuum rectum non est coram Deo* (ait ad Simonem Petrus) scilicet vt extra Ecclesiam esse, qui Simonem imitatur, nemo iam sit qui dubitet. Sed hæretico peior vt sit, hæc etiam satis probant. *Tolerabilior quippe* (ait ad Adrianum Pontificem Tharasius, Constantinopol. Episcopus) *Macedonij & eorum qui circa ipsum sunt hæresis, quia Spiritum Sanctum, quem illi creaturam, Patrisque & Filij seruum esse delirando dicunt, ij seruum suum vendendo emendóque efficiant.* Hinc illud insigne, quod de quodam in Gallia Episcopo, Simoniæ labe infecto memoriæ proditum est. Quem cum legatus Hildebrandus

Act. 8.

Simoniaci hæreticis peiores. 1. q. 1. Eos qui.

(qui postea Greg. 7. Pontifex factus est) conuincere aliter non valens, iussisset dicere, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, iterum & tertiò conatus Spiritum sanctum proferre, non potuit. Indignus scilicet, qui vel eum nominaret, quem tam insigni iniuria, per Simoniam, emendo vendendóque affecisset. Terribilius illud, quod ait Gregorius, *Qui pro sui officij ratione in Simoniacos non vehementer exarserint, partem & ipsos cum Simone esse habituros.* Quippe quos Christi in numularios, Elisei in Giezi, Petri in Simonem zelus in eos satis armat, qui peiores Iuda, non visibilem iam, aut mortalem, sed inuisibilem atque immortalem vendunt: Domum Dei speluncam latronum, iumentorum stabulum, cubilé- que draconum & struthionum efficiunt. Christo etiam, quantum in se est, dignitatem suam, ne ostium, ne sponsus sit, ne regnet, ne gratis det, eripiũt. Imò, quod horrendum magis, Ethnica impietate peiùs, nonmodo sibi idolum (quod auaritia est) fingunt, sed idolo etiam suo omnipotentem ac viuentem Deum immolant & offerunt.

Mart. Polon. in chron. li. 4.

Ibid. Quisquis.

Ioh. 2. 4. Reg. 5. Act. 8.

Simoniæ execratio ingens.

Ephes. 5.

Hæ nimirum Ieroboam atque Antiochi

Principes Simoniaci infelices. 3. Reg. 13.

artes, cum *illi quisquis manum impleuisset, sacerdos excelsorum fieret*, hic misso sub auctionem sacerdotio, Oniam sanctissimum Iasone fratre nequissimo, Iasonem subinde Menelao, Menelaum Lysimacho, ac rursum Lysimachum Menelao commutaret. Quę quàm infausta regibus sit cõditio, docuit euersa vsque ad *mingentem ad parietem*; ideſt, vsq; ad canes Ieroboami domus: putris ac vermibus scatens in morte Antiochus: & in phrenesim lapsus, quòd sacerdotia vili pretio venderet, Iustinus iunior imperator. Docuit & alter imperator Nicephorus, qui cum militares viros Episcopis, aliisque ex cleri ordine, vt seruis vti iussisset, iisdem Episcopia & Abbatias assignasset, in quibus vt propriis ædibus habitarent, omnium odio habitus, miserè à Crunno Bulgarorum rege est interemptus. Vt verò indignum principatu inter Christianos scelus hoc efficiat, vnius Henrici 4 imperatoris sub Gregorio 7 primùm, deinde sub Paschali Pontif. exemplum tanto clarius ostendet, quanto illud ad omnium seculorum memoriam orbe toto illustrius fuit. Nota enim eius historia est, qui cùm à tribus illis quos dixi-

3. Reg. 14. & 15.

2. Macch. 9.

Niceph. lib. 17. cap. 38. & 39.

Annales Constantinop. li. 14.

Otho Frising. lib. 7. cap. 10.

mus Episcopis, Concilij decreto, Augustalibus indumentis exueretur, & tam seueræ in se Patrum sententiæ causam inquireret, vnum ei de tam multis criminibus obiectum est, quòd in conferendis Episcopatibus & abbatiis Simoniæ crimen admisisset. Tanta certè execratione omnium, vt qui ei in ista causa adhærebant, aut omnino eius partibus fauebant, Henriciani hæretici propterea nominarentur, & ab Ecclesia extorres fierent. Quin & qui inuestiti ab eo fuerant, deiecti, & vsque ad Concilij generalis satisfactionem suspensi extiterunt. Et quidem cum hac seueritate iudicij, vt priuatus mortuus, quinquennium totum insepultus iubente Ecclesia esset. Sed & cur Clodoueani seu Merouingi Monarchiam amiserint, historici eorum vitiis tribuunt, præsertim sacrilegiis in Ecclesias, & vsurpatis electionibus Sacerdotiorũ, quibus non modo indignos, sed & laicos intrudebant. Vnde & Childerico Merouingorum vltimo deposito, Pipinum Martelli filium Bonifacius legatus Zachariæ Pontificis authoritate consecrauit. Idem de Carolouingis, à quorũ familia regnum ablatum est, & in Capeuingos trãslatum, quod

Henr. 4 ob Simoniam imperio exutus.

Henriciani vnde dicti.

Sigon.

Genebrard. in Cron.

Aymoinus.

electiones clero eripuissent, & quòd equites abbates constituerent, ac monachis præficerent. Neque id quidem iniuria. Nam si damnatur omni iure, qui per Simoniam ordinat, aut etiam ordinatur: aut quod perinde est, qui ad beneficia promouet, aut etiam promouetur, quanto magis is damnetur, qui hæc vti fiant feneſtram aperiat? qui exemplo ad id suo cupidos homines alliciat? Ecclesiam latronibus repleat? & quem ad eius defensionem gladium cepit, eodem ille ad eius perniciem abutatur?

Henrici Simoniæ. CAP. 22.

NOuum scilicet & id HENRICI, non imperatoris, sed regis, Henriciani fine dubio facti caput. Quod ne cui dubium sit, id tum ipsa eius facta, tum suscepta criminis deffensio probat. Nam ad prius illud spectant, data toties mercedis loco, regiæ libidinis ministris, pueris, infantibus, militib⁹, parasitis, hęreticis, blasphemis, atheis, cynædis, scortis, lenonibus pinguissima quæque & honoratissima beneficia, Episcopatus atque Abbatiæ. Quódque mirere magis, mulieribus virorum, viris mulierum ac mo-

Henr. Simoniam & exercuit, & deffendit.

Horrenda beneficiorum dissipatio.

ac monialium commissa & translata claustra. Vnde factum, vt nouo genere prodigij, & abbas mulier, & vir abbatissa diceretur. Suos etiam, si superis placet, Monachos fœmina, suas Nonnas vir ac miles vocans & nominans audiretur. Quo quid dici potuit in Ecclesia Dei luctuosius? Aut vnde plures & Diabolo lucrifierent, & Christo animæ deperirent?

Accedunt venditi ipso consentiente ac probante, sæpe etiam suadente ac monente, Episcopatus atque abbatiæ. Impositæ, commutatæ, redemptæ pensiones confidentiariorum, ac suppositarum personarum, fruendis per iniustissimos possessores, imo execrandos fures ac raptores, per nobilissimas quasque domos & familias, Ecclesiarum fructibus, ac crucifixi patrimonio, spoliādisque Dei ministris atque pauperibus, innumera turba.

Ad alterum verò, quod mali caput est, ius publicè sceleri in iudicio datum, cùm sicubi contra confidētiatios aut Simoniacos lis ad Regis tum magnum seu ambulatorium, tum priuatum concilium defferretur, perpetuò illi vt iusti & bonæ fidei possessores & causa meliore freti obtinuerint,

Simonia iudicio probata.

actores excluſi ſint. Eiuſdem generis ſunt confirmatæ iudicio, mulieribus aſsignatæ pro dotibus Abbatiæ, aſſertæque familiis, vt iis, inſtar patrimonii, frui æqua portione liberi, ſucceſsionis iure poſsēt. Quid enim eſt confidentiariorum ac Simoniacorum cauſam tueri, ac potiores in iudicio partes facere, quàm licitam eſſe confidentiam atque Simoniam (quæ peſtilentiſsima eſt hęreſis) aſſerere? & ſi hæc olim iuſta fuit Henricum IIII. expellendi, cur non & hodie HENRICVM III, tam inſigniter Henricianum factum abdicādi? Et qui cum eo Henriciani, ſunt execrandi?

Tributa ſuper matrimoniis, baptiſmis, ac ſepulturis.

Adde meditata ſuper matrimoniis, pueris baptizandis, ac mortuis ſepeliendis dicta ac tributa, vt pro matrimoniis ſolidi quindecim, pro maſculis baptizandis decem, pro fœminis quinque, pro ſepeliendo mortuo alii quinque penderentur. Dignum vtique doctore Diabolo inuentum, & ad religionem euertendam imprimis efficax, vt vbi ſoluendo non eſſet plebecula, pro matrimonio, vaga libidine omnia miſcerētur, relicti ſine baptiſmate pueri, duplici morte interirent, & inſepulti eſca fierent volatilibus cœli & beſtiis terræ.

Quæ profecto obtinuissent, nisi validè tam execrandæ Simoniæ Gallicanus clerus restitisset. Et huic ad Simoniam quicquam addi potest, qui beneficia sic prostituerit, insuper & sacramenta vendere cogitarit? nihil denique pensi inter sacrum & profanum habuerit?

QVOD SIT SACRILEGVS.

Crimen octauum.

Sacrilegij rerum pœnæ diuinæ.

CAP. 23.

SAcrilegium cùm duplex sit, vnum rerum, alterum personarum, quæ Deo sacræ sunt: Prius vt Deo exosum sit, Nabugdonosoris ad belluæ vitam abiectio, Balthasaris vasa sacra polluentis cædes, corrosus à vermibus Antiochus, flagellatus ab Angelis, & vix semiuiuus relictus Heliodorus (qui missus à Seleuco, templi thesauros auferre conatus fuerat) infælici morte cùm omnibus copiis à Parthis extinctus Crassus, ob direptum Hierosolymæ templum, docuerunt. Sed & id fortè amplius, quòd vel in profana religione, sacrilegos ob insignem contemptum Dei pœna nihi-

Sacrilegium duplex.
Daniel. 4.
Dan. 5.
2. Macch. 9.
2. Macch. 3.
Ioseph. lib. 14. Antiq. cap. 12.

Diod.lib. 12. lo fecius diuinitus est comitata. Sic Xerxis copias ad Apollinis Delphii, Cambysis ad Iouis Ammonii templum diripiendū missas, illas fulmine & tempestate, has arenarum molibus oppressas interiisse historiæ prodiderūt. Sic Artaxerxem Ochum à Bagoa Eunucho interfectum, Brennum Gallorum ducem manu propria cōfossum, ob sacrilegiū fuisse veteribus persuasum fuit. Hinc auri Tholosani, quod à Brenni militibus sacrilegio Tholosam apportatum, & à Q. Cæpione nouo sacrilegio direptū, & ipsi, & eius exercitui interitum attulit, datus prouerbio locus. Et quod Phocensiū principibus, qui Delphicū tēplum diripuerunt, Philomelo, Onomarcho, Phaillo & Phaleneo accidisse refert Diodor. Quorū primus casu belli aduerso de alto se præcipitē dedit: alter, de cruce suspēsus est: tertius diuturno confectus morbo cōtabuit: quartus infœlix & ærumnis plenus vixit. Quin & eorum vxores duæ, quæ se duobus templo dicatis monilibus exornauerant, sic punitæ, vt altera prostituto corpore, in contumeliam incideret: altera domo à filio furore capto incensa, viua in eadem cremaretur. Et quod Valerius Carthagine

Iust.lib.2.

Iust.lib.24.

Iust.lib.32.

Iust.ibid. Gell.lib.3. cap.9.

Diod.lib. 16.

Valer.Max. lib.1.cap.2.

à Romanis oppressa, Apollinem veste aurea indutum id egisse ait, vt sacrilegæ manus inter fragmenta eius abcisæ inuenirẽtur. Nec omittendum quod refert Lactãtius, Appium Claudium cẽsorem, cum aduersus responsum, ad seruos publicos sacra Herculis transtulisset, luminib us orbatum esse. Quin & Potitiorum gentem, quę sacra illa prodiderat, intra vnius anni tempus extinctam esse. Lact. lib. 2. cap. 8.

Propiora sunt nostris, quod Iulianus apostatæ auunculus, qui vasa Ecclesiæ Antiochenæ in thesauros imperatoris condiderat, femore cõputruit, & à vermibus corrosus interiit. Et quod milites qui basilicam sancti Vincentii Agennẽsis vrbis diripuerant, diuinitus sic punitos fuisse refert Gregorius Turonensis, vt aliis manus arderẽt, fumúmque velut ex incendio emitterent, alij à dęmone correpti baccharentur, & martyrem inclamarent, alij propriis se iaculis confoderent. Et quod Gundericus Vandalorum Rex, cum capta Hispali, manus in Ecclesiam ciuitatis intendisset, à Dæmone correptus interiit. Et quod Dagobertum Galliæ Regem ob destructas res Ecclesiæ, coram throno Dei accusatum: hist. trip. lib. 6. c. 10. Hist. Frãc. lib 7. c. 35. Frãc. Tarapha de regibus Hisp. in Honorio.

Carolum Martellum ad inferos ob eãdem causam deportatum, visionibus constitisse retulit Trithemius. Certius id, quod de Matisconensi Comite, propter occupata tyrannicè Ecclesiæ bona, à Dæmone equitis forma apparente, inuitum domo extractum, & equo nigro impositum, non amplius comparuisse, refert Petrus venerabilis. Sed & similem historiam, de Cabillonẽsi comite, & ipso Ecclesiis infesto, refert Paulus Æmilius. Quæ omnia eò spectant, vt qui se sacrilegii scelere contaminarint, timere aliquando incipiant. Néue quòd differtur vltoris Dei manus, propterea tutos se in crimine suo putent, quos eo seuerius, quo tardius vindex ira Dei est assequtura.

Trithẽ. in Breuiario.

lib. 8. de mirac.

lib. 5.

Sacrilegii rerum pœnæ humanæ.

CAP. 24.

Sed quia id agimus, vt non Dei tantũ, sed & hominum iudicio ac pœnæ sacrilegos, atque inter eos HENRICVM subiacere constet, hîc etiam quid contra eos legibus cautum, quid exemplo factũ sit proferemus. *Sacrilegi* (inquit Paulus) *capite puniuntur, qui sacra publica compilauerunt.*

l. Sacrilegi lib. 9. ad leg. Iul. pecul.

Et Vlpianus varias profert indictas olim in sacrilegos pœnas, quòd alii ad bestias damnati, alij viui exusti, alij furca suspensi sint. Apud Constantinum Harmenopulum lex in sacrilegos eiusmodi continetur *Qui noctu vel interdiu sacrariũ ingressus, quicquã ex rebus sacris, quæ in eo sunt extraxerit, excæcator.* Necminor vtiq; quàm peculatui, pœna iis debetur, quæ fuit olim aquæ & ignis interdictio. Certè Aristoteles grauitatẽ huius criminis in eo satis ostendit, quòd eum qui vasa sacra, vel parui ponderis abstulerit, *quauis in re peccasse ait.* Et Plato. *Pœna* (inquit) *sacrilego mors malorum minimum est: vituperatus autem, vt exemplo alios iuuet, extra fines perdatur.* Refert Diodorus, apud Græcos omnes lege sanxitum esse, vt insepulti sacrilegi abiiciantur. Sic apud Romanos Verres ob sacrilegia in Sicilia commissa infamis exulauit. Et notãdum, quod ait Ælianus. Puer cùm auream laminam, quæ ex Dianæ corona deciderat, sustulisset, ei in iudicium adducto iudices crepundia, talos, & laminam auream proposuerunt. Qui cũ iterũ ad aurũ inclinaret plexus est tãquam sacrilegus, nec ætati veniã dederunt, sed flagitium & scelus vindicarunt.

lib. 48. pand. titul. 13.

vlp. l. sacrificii lib. 6. cod.

Lib. 6. prõptu. Iuris. lib. 3. Cod.

1 rhet. ad Theod. c. 14.

Lib. 9. de leg. in principio.

Diod. lib. 16.

De var. hist. lib. 5. cap. 16.

23. q. 4. Quid ego. 17. q. 4. Attendendum. 12. q. 2. Can. indignè. Greg. C. Conquestus. de foro compet. 11. q. 1. canonica.

Iure Pontificio sacrilegus Iudæ proditori similis dicitur, vt & eandem pœnam mereatur. Quam triplicem sacrilego Vrbanus irrogat, perpetuam infamiam, carcerem, vel perpetuum exilium. Symmachus anathemate ferire iubet sacrilegum. Idipsum Gregorius IX. statuit. Et concilio Arausicano Ecclesiæ violatores à gremio sanctæ Ecclesiæ eliminantur. Quæ si vera sunt, intelligitur ex eo quàm regno indignus sit sacrilegus, quàmque iustè de eo decidere debeat, qui ne solo quidem ac cœlo, non vita, non sepultura, non communione fidelium dignus habeatur.

Principes ob sacrilegium exclusi.

Sic Dionysius Syracusanus regno ob sacrilegium pulsus est, cum templa spoliãs Deorum se bonitate vti velle diceret. Sic detractum Assyriis regnum, & in Medos trãslatum ob sacrilegium est. Dignúmque omnino id obseruatione est, quòd in bello illo (quod anno sexto Philippi exortũ est inter Locrenses & Phocenses, & sacrum propterea dictum est, quòd contra sacrilegos esset) cum Philomelus Phocensium dux, direpto templo Delphico, milites ad bellum conquireret, *Nullus probus vir* (inquit Diodorus) *ei militiæ nomen suum dedit*

Dan. 4.

Diod. lib. 16.

Nota. Nemo probus dat nomen sacrilego.

propter pietatem erga Deos. Tantum qui erant "
summæ inprobitatis, & lucri gratia Deos contẽ- "
ptui habebant, alacri animo ad Philomelum con- "
tendebant. Et nota illa. B. Iniurioſi Turonẽ- Gregor.
ſis Epiſcopi ad Clotharium regem verba, Turon. lib.
cùm ille, vt omnes regni ſui Eccleſiæ ter- 4. cap. 2.
tiam fructuum partem fiſco diſſoluerent, indixiſſet. *Si volueris* (inquit) *preces Eccleſiæ tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet, quia iniquum eſt, vt pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum ſtirpe tua horrea repleãtur.* Qua voce Rex territus, & à propoſito deſtitit, & errati veniam eſt precatus. Sed & cur Clodoueani ſeu Merouingi primùm, mox etiã Carolouingi Monarchiam amiſerint, eorum ſacrilegiis in Eccleſias, & vſurpatis electionibus ſacerdotiorũ, tributum fuiſſe antea monuimus. Sed & Adrianus iiij. Põtifex Max. Gulielmum Siciliæ regem ex- Platin.
communicauit, & ſubditos à fidelitatis ſacramento liberauit, quòd bona Eccleſiæ rapuiſſet. Et Ioannes Angliæ Rex, quòd decimas Eccleſiaſticas in ſuo regno exigeret, Stephanum Cantuariẽſem Epiſcopum eieciſſet, Ciſtercienſes tria marcarum argenti millia dare negantes ſpoliaſſet, ab Innocentio tertio anathematis fulmine

perstrictus, mox etiam regno priuatus est. Qui à commissis deinceps absolui potens, Angliæ Hyberniæque regna Innocentio ac successoribus eius Romanis Pontificibus tradidit. Quæ continuò Innocētius ei atque eius successoribus reddidit, ea cōditione, vt ipse & successores eius, quolibet septennio, ex regno Angliæ septem millia marcarum argenti, ex regno Hyberniæ tria millia reciperent. Quàm pensionem ab eo tempore in hanc vsque diem Angli Hyberníque Romam portant. Ait Hector Boëthus. Lib. 15.

Huc spectant terribilia illa prophetę verba. *Omnes principes eorum qui dixerunt hæreditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos.* Et illud in Tyrios, Sydonios, & Babylonios, qui templum Dei spoliauerant, dictum, *Cito reddam vicissitudinem: argentum enim meum & aurum tulistis.* Psal. 82. Ioel. 3.

Quòd cōminationis genus quàm terribile, & principibus exitiale esset, intellexerat fortasse Petrus ille de Vineis, Friderici

Imperatoris secretarius, tametsi dignus, qui in eo Balaamo pessimo consultori cõparetur. Nam cum eum Imperator Alexãdri iij. Põtificis odio, certis de causis excęcasset, ac demum facti pœnitẽs, in concilium interius admisisset, tum hic vltionis cupidus, hoc consilium iniit, vt Imperatori de re pecuniaria sollicito consuleret, quia illi cum Pontifice bellum erat, Ecclesiæ vires suismet opibus conterẽdas esse. Conflanda ergo ad belli vsum esse Ecclesiastica ornamenta aurea atque argentea. Quod cum ille feciſſet, tum Petrus se egregiè vltũ de Imperatore esse dixit, quòd qui priº hominũ odia sibi comparauerat, nunc Deum sibi ex sacrilegio feciſſet inimicũ. Omniáque illi deinceps infeliciter esse cessura. Quod euentus postea comprobauit.

Otho. Frising. in Frid. 2.

Bocatius in facetiis.

Sacrilegium personarum quale crimen. CAP. 25.

DE personarum verò sacrilegiis, cuiusmodi sunt quę personis Deo sacris stupra inferuntur, præter antiqua illa Romanæ seueritatis in Vestalium virginum corruptores exempla, quos illi in publico ad necem vsque cædebant, ciuili quoque iure

Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 12.

C.lib.1.tit. 5.Leg.54. iis qui Virgines sacras seu sanctimoniales nommodo rapuerint, sed & rapere vel volentes tentauerint, & qui raptores comitati in inuasione & raptu fuerint, capitale mortis supplicium, cum bonorum amissione irrogatur. *Quia illic scilicet crimen non ad iniuriam tantum hominum, sed etiam ad ipsius omnipotētis Dei irreuerentiam committitur.* Cæteris autem qui conscij & ministri huius criminis reperti fuerint, etiam capitalis pœna, cuiuscunque dignitatis fuerint, statuitur. Et iure pontificio, qui sanctimonialem constuprauerit, si clericus deponitur, si laicus excommunicatur. Quin & in Cōcilio Triburiensi à sacra communione in perpetuum (dempto mortis tempore, & quidem si dignè pœnituerit) arcetur. Amplius est, quod à Bonifacio 8 decretum primùm, in Tridentino consilio denuo est confirmatum, ne cui liceat sub anathematis pœna intra septa monialium ingredi, cuiuscunque sit sexus, conditionis, status, ętatis, nisi venia à superiori scripto obtēta, idque in causa manifesta & necessaria.

7. q. 1. Si quis.

Ibid. c. virginibus.

Sess. 25. cap. 5.

Principes ob stupra monialium electi. Ludouicus 3.

Certè quàm indigni sint imperio, qui sic Deo sacras polluerint, testati sunt dudum maiores nostri, cum Ludouicum 3 (qui ni-

hil faciens dictus est) ob illatum moniali Callensi stuprum, de solio regni deiectum, monasterio incluserunt. Sed & eadē quoque fuit Adolphum imperatorem principatu abdicandi, imò infestis armis persequendi ac perdendi, substituto in eius locum Alberto Austriæ duce, quòd Virgines, moniales & viduas fœdè constuprasset. Ob eādem quoque causam inter alias, ætate superior Andronicus Connenus regalibus vestimentis exutus, asinæ versa ad caudam facie impositus, omniúmque ludibrio exceptus, miserè tandem à populo est discerptus. Quin & inter Henrici 4 imper. scelera, qui de imperio amotus est, hoc etiam fuisse, quòd virgines corrumperet, ac monasteria diriperet (quod vtrumque sacrilegij scelus est) antea monuimus.

Adolphus. Cuspini. in Cęsar. Andronicus Connenus. Append. Glyc. Henricus. 4.

Nec felicior fuit in eodem scelere Iohānis Galeacij Sfortiæ Mediolanensis ducis conditio. Qui cum expugnata innumerarum virginum Mediolanensium pudicitia, ad moniales se conuertisset, ac sororem Andreę Lampugnani Mediolanensis ciuis Deo dicatam cōstuptasset, ab eodem Andrea, assumptis secum Carolo vicecomite, & Hieronymo Alciato, in æde S. Ste-

Ioh. Galeacius. Sfortia. Sāsouinus Guazzus, alijque scriptores Italici.

phani confossus est. Tanto commissi criminis odio, vt eum in interfectores inquireretur, adduci nunquam potuerit Alciatus, vt diceret facti se pœnitere. Quin & cum exenteraretur, natus annos viginti tres, caput extollens, vt sua sibi viscera extrahi cerneret, *Mors acerba* (inquit) *fama perpetua, stabit vetus memoria facti.*

Henrici vtriusque generis sacrilegia. CAP. 26.

AT HENRICI vita cum ne sic quidem instituti potuerit, quin peccaret in vtroque grauissimè, prioris generis hæc minima primùm exempla fuerunt. Quòd R.P. Tristandi Bizeti, Episcopi Sanctonensis, ordinis Cistercienſis, audito decumbentis morbo, quo & ipse obiit, in eius pecuniam inuolans, triginta librarum milia, eóque amplius, de peculio eius ademit. Archiepiscopo Burdegalensi cētum librarum milia vi rapuit nec exoluit. Sed peiora hæc, quòd patrimonium Ecclesiæ toties rapuit & cōsumpsit: impetratis ea de re miro artificio, ac boni prætextu, ab Apostolica sede, ad alienanda Ecclesiæ bona literis, fucum ac fraudem in iis fecit, additáque

particula, *inuitis clericis*, quæ & à Senatu reiecta est, literarum se Apostolicarum corruptorem adulteratorémque exhibuit. Illustrissimi Cardinalis Pelleuei bona per vim occupauit. De fabricis Ecclesiarũ (id enim anno 1587 factũ est) vectigalia sic extorsit, vt calices & alia in minutioribus Ecclesiis ornamẽta, qui prẹfecti illis erãt, vẽdere cogerentur, imo etiam vt facerent, regio diplomate iuberentur. Certè vt id illi in mente fuisse videri possit, quòd Iuliano olim Apostatæ, qui post tẽpla Christianorũ prophanata ac direpta, post ablatas Catholicorum opes, id ridens se in Christianorum gratiam feciſſe, magnóque se eos beneficio obstrinxisse dicebat, quod pauperes iuxta Christi verbum faceret, vt facilius regnum dei introire possent. Non enim obscura consilij huius in Henrico signa fuerunt, cum Capuccinos & Foglianinos laudaret, atque huius instituti hominibus omnia replere tentaret, in speciem vtique deuotionis zelo, reipsa autem, vt in Ecclesiæ opes, quibus illi facilius carent, inuolare posset.

Iuliani dicterium.

Capuccini & Foglianini ab Hẽrico cut laudati.

Omnium pessimum, vendita primùm, deinde rapta furtim sãcta illa Crux, & ligni

Crucis dominicæ sacrilegium.

vitalis nobilis portio, quam à maioribus suis magna veneratione Parisios delatam, è sacello regio surripi, fractis noctu fenestræ exterioris cancellis, iussit ac mandauit. Deinde in raptorem, ideſt in seipsum, censuris animaduerti iussit. Iniectis etiam in nonnullos falsi criminis suspicionibus, in carcerem insontes coniecit, vnde nō nisi multo pretio abire permisi sunt. His nō absimile illud, quòd se B. Mariæ Carnotēsi deuotum mentiens (nam & illûc sępius pedibus itauit) ex gemmis & donariis, quę feretro illi seu capsæ, in qua sacra virginis camisia, seu tunica interior conditur, & magno honore habetur, oblata dudum magna deuotione fuerant, ipse ad pretium vsque sexaginta millium aureorum sacrilegè arripiens, leuem aliquam summam in ornamenta Ecclesiæ, magni beneficij ac pietatis instar dedit, deuotique in eo ac sancti principis laudem quæsiuit. Similis vtique Dionysio Siciliæ tyranno, qui detracto Apollini aureo pallio, laneum dedit. Sed iis quoque recens istud accesit, quod Turoni, Andegaui, aliisque locis, vbi pedem ponere, patrato facinore potuit, in sacras reliquias passim conuolauit, atque

Sacrilegium Carnotense.

Henricus Dionysio similis.

in

in belli sumptus impendit. Eos etiam à quibus illę celabantur occidit. Sed & Carthusianos, in agro Turonico, eam ob rem laqueo suspendit.

Personis verò sacris vt abusus fuerit, prę- Sacrilegiũ personarũ.
ter illas in Sacerdotes iniurias atque cædes, docet vis illata monialibus, nõ vno vel monasterio, vel tẽpore, sed passim in Gallia multis, atque tum præcipuè, cum se deuotionis causa peregrinationes obire mentiebatur. Id in Laudunensi, id in Parisiensi, Eburonensi, Rhotomagensi agro, alijs etiã præterea locis egit, cum hac turpitudinis intemperie, vt quas ipse compressisset, aliis etiam comprimendas in conspectu suo Horrendæ in moniales iniurię.
daret, imò, quod dictu horrendum est, ipse super genua sua tenẽs, & lychnum turpitudini admouẽs, alienæ incensor ac minister libidinis, in re pessima exultaret. Accedit Henricus ne in fuga quidem a scelere abstinet.
quoque, quod mirari quis iure possit, quòd nec illa tanta Parisiensis fugæ trepidatio ad meliorẽ mentem eum reuocauit, quin eo tempore isto se scelere Vernonij, Eburonum oppido contaminaret. Planè vt ho- Henricus Cynicus, ac Diogenis æmulus.
minem minime Christianum, sed Cynicum, ac Diogenis verè discipulum liceat agnoscere, quẽ nihil esse iniquum duxisse

quidpiam ex templo accipere, imò nec iniustum esse humanis vesci carnibus, sed nec conspectum hominum in veneris flagitio abhorruisse, canis videlicet instar, re-
Laert. lib. 6 tulit Laërtius. Mirúmque omnino, cum in sacro illo, quod diximus, Phocensium
Diod. li. 16. bello, qui Philomeli sacrilegi militiæ nomen daret, probus nemo esse voluerit, esse tamen qui HENRICO sacrilego nomen dantes, se dicant & dici velint Christianos, imo etiam Catholicos.

QVOD MAGICÆ IMpietati ac superstitioni deditus. Crimen nonum.

Magicæ impietatis execratio quanta. CAP. 27.

Magica impietas ethnica peior.

INfandum hoc criminis genus, atque omnibus diris atque suppliciis merito vindicandum, vt quod idololatriæ, atque Ethnicæ impietati meritò comparetur. Imo peiores etiam Ethnicis efficiat, quia quem illi Deum arbitrantur, hi dæmonem cum esse non ignorent, eiurato omni quod dicitur Deus, pollutisque sacris omnibus, fidem omnem abnegantes, honore, cultu,

votis, obsequio prosequuntur. Eo vsque etiam deiecti vesaniæ, vt sub teterrima hirci specie, in parte obscœnissima eum obsculentur. Vt qui Theürgi vel sortiarij siue sortilegi honesto nimis vocabulo dici solent, iure propterea Διαβολοβρήσκοι seu Διαβολολάτραι, ideſt cultores vel adoratores Diaboli, seu magis vno vocabulo, diabolicolæ, vel Diaboliſtæ dici possint. Non enim aliò spectant ridiculæ illæ in elementis, figuris ac verborum portentis obseruantiæ, quãvt & à fide Christiana, & eiusdẽ sacramentis incautos abducat, fingens se videlicet iis cogi, quæ nihil in eo virium penitus habent: Et vt diuinam virtutem, quæ accedente elementis spiritu operari solet, improbus hostis imitetur, & pati si fieri possit, vt de baptismo Tertullianus ait, cultu honoretur. Prorsus vt verum sit, quod scripsit in Tryphonem Iustinus, superstitionem omnem à vera religione originem traxisse. Digna vtique Schismaticis, digna hæreticis, Sacrilegis verò dignissima professio, vt qui se ab vnione corporis Christi, quod est Ecclesia, abscíderunt, qui fidem eius temerarunt, qui domum Dei diripuerunt, atque prædati sunt, quod

Diaboliſtę.

Magicæ superstitionis obseruantiæ ad religionis desertionẽ & diaboli cultum relatæ.

Tertul. de baptiſ.

Iust. in Tryph.

Quibus gradibus ad magicã impietatẽ seu diaboli cultum perueniatur.

reliquum erat, id eis quoque accideret, vt Dæmonis militiæ nomen darent, eius caracterem acciperent, in castris eius deinique apertè militantes, religionem superstitione commutarent. Nam prioribus illis impietatibus ac postremę huic vt bene conueniat, docent illæ in Simone Mago, in cæteris, qui prima ætate Ecclesiæ fuerunt, hæreticis, coniunctæ impietati atque errori præstigiæ, vt quos lubricum carnis, quos cupiditas transuersos agebat, auxiliũ inde nequitiæ suæ peterent, vnde primum erroris venenum suxissent.

Hæretici ad magiam procliues.

Hinc illa omnipotentis Dei, ariolos & magos consulere vetantis vox. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini ab eis.* Cui præcepto cùm pro omni ratione adiungit, *Ego Dominus Deus vester*, manifestè se indicat ab iis qui se isti impietati addixerint, esse derelictum. Quamobrem & se vicissim illis pro aduersario fore alibi profitetur. *Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis* (fornicari autem alienum Deum colere est) *ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi mei.*

Leuit. 19. In magia certissima est a Deo discessio.

Leuit. 20.

Magica impietas

Et quidem tantò hęc detestabilior pestis

est, quanto certior hinc populorum ac regnorum clades, atque ruina est. In regibus verò tantò deterior, quantò fœdior eorum casus ex isto crimine cum populo esse solet. Manifesta enim in Deuteronomio Dei vox est, Cananeorum ruinam impietati isti nominatim, tribuētis. *Quando ingressus fueris terrā, quā dabit Dominus Deus tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium. Nec inueniatur in te, qui lustret filium suū aut filiam, ducens per ignem. Aut qui ariolos scitetur, & obseruet somnia atque auguria. Nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones cōsulat, neque diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus. Et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* Sed & aduersus regnum Babylonium terribilis ex eadem causa apud Esaiam comminatio est. *Venient tibi duo hæc subito in die vna, sterilitas & viduitas. Vniuersa venerunt super te propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorū tuorum vehementem.* & apud Hieremiā, *Nolite audire prophetas*, nō vtique Dei, sed *vestros & diuinos, & somniatores, & maleficos. Quia mendacium prophetant vobis.* Adquid tādem? *vt longè vos faciant de terra vestra, & eiiciant*

regno rum ac regum ruina.

Deuter. 18.

Cananæi propter Magicam impietatem deleti.

Esa. 47.

Hier. 27.

vos, & pereatis. Vehemẽnsque omnino indignationis Dei significatio est, quòd apud
Esa.57. eundem Esaiam ille Israëlitas *filios auguratricis, semen adulteri, & fornicariæ vocat.*

Regibus verò vt exitialis hæc impietas,
Exod.7. vt digna exauthorãdi causa sit, docuit Pha-
2.Tim.3. raonis ab incãtatoribus Iamne & Mambre
1.Reg.28. dementati, Saülis Pythonissam adeuntis,
4.Reg.1. Ochosiæ Beelzebub dæmonium Accaron consulentis infelix exitus. In Manasse verò rege Iuda id punitum etiam prolixius, vt
4.Reg.21. quia ariolorum, augurum, Pythonum, ma-
2.Par.33. gorum, maleficorum numerum exemplo suo, ariolus ipse, augur, Python, magus, & maleficus auxerat, non in eum tantùm, sed & in filium eius Amon, imo & Iosiam nepotem sanctissimum faba ista cuderetur. Nota enim Manassis regno priuati, compedibus vincti, & in carcerem Babylone coniecti, propter impietatem, historia est.
Ibid. Sed nec fœlicior Amon filius eius fuit, qui paternæ impietatis imitator, imo peior factus, à suis est interfectus. In Iosia verò id mirum magis, quòd cum de eo scriptum sit, similem ante eum non fuisse regem, *qui*
4.Reg.23. *reuerteretur ad Dominum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in omni virtute sua iuxta*

omnem legem Moysi, nec postea surrexerit similis illi, subiungat tamen scriptura. *Verũ tamen nõ est auersus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor eius contra Iudam, propter irritationes, quibus prouocauerat eum Manasses.* Vnde & ipse Iosias à Nechao Ægypti rege in prælio est interfectus. Sed & simile quid in Salomonis causa antea fuerat, cuius impietatis pœnas non in ipso tantum exegit Deus, cum aduersarios ei suscitauit Adad & Razon, sed & in filio eius Roboamo, ac posteris eius, vt maiore regni parte priuarentur. Quinetiam in regem Babylonis, quod sortilegio vsus esset, vindex ira Dei apud Ezechielem promittitur. *Stetit rex Babylonis* (inquit) *in biuio, in capite duarum viarum diuinationem quærens, commiscens sagittas, interrogauit idola, exta consuluit. &c.* (Nã hîc sortilegij descriptio quędã est) Propter quod futurũ ait Deus, *vt manu capiatur.* Sed & hæc Pompeio infelicis exitus ac mortis etiam causa fuit, quod Pythonissam Erictho adiisset: & Bassiano Caracallæ imperatori, vt à Macrino interficeretur, cũ ipse in Mesopotamia agens, de exitu suo Romę incantatores consuli per Maternianum mandasset. Nec felicior in eo, exc-

2. Par. 35.

3. Reg. 11.

3. Reg 12.

Ezec. 21.

Lucan. lib. 6. Phars.

Dion in Caracall.

Herodian. lib. 4.

crandus Apostata Iulianus, cui suæ illæ execrabiles τελεται atque præstigiæ damnabilem & horrendum interitum attulerunt.

Am. Marcell. lib. 21. & 22.

Mali huius expurgandi in Gallia quanta sit necessitas. CAP. 28.

QVo magis nobis in id incumbendum, vt malum id à nobis procul auferatur, & qui isto se crimine Rex polluit, de solio exturbetur, quanto plus verendum, ne qui tantùm in Gallia maleficorum numerus accreuit, isto rege diutius perseuerans, imo vt cancer quotidie serpens, eam tandem nobis iusto Dei iudicio, perniciem afferat, vnde reuocare gradum, superásque euadere ad auras nō amplius tribuatur. Nam vt numerus iste sit in Gallia frequens, ex hæresi videlicet, schismate, & morum corruptela natus, docuit quondam sub Carolo IX. Cœnomanus ille Descalceus, primi nominis suo tempore Diabolista siue sortilegus, cum centum & quinquaginta primæ notæ ac nobilitatis in Gallia viros ac fœminas execrādis mysteriis initiatos detulisset. Quos si pius alioqui & bonus Princeps castigasset, si de medio, vt ne-

Des Eschelles. Primæ notæ viros sortilegij defert.

cesse erat, sustulisset, si non faciem potentum & necessariorum, contra legem Dei veritus, crimen id silentio compressisset, viuum fortasse haberemus, nec ereptum nobis, iusto iudice Deo, lugeremus. Vsque adeo verum illud est, *Quia amisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius.* Leuit. 19. 3. Reg. 20.

Sed & illa Parisiis, anno 1578. in Diabolistas, vel è primariis familiis, viros ac mulieres, crudelis misericordia, cum deprehenso execrandæ societatis libello, in quo singulorum nomina, Christianismi eiurationes, ritus, & blasphemiæ continebantur, vnus pro omnibus suspensus est, infœlix quidam corpore atque mente cæcus, eorum Archimystes & cærimoniarum magister, quid non nobis damni, & iustæ Dei iræ inuexit? Aut quæ tandem digna afflictio esse potest, qua tam horrendum scelus expietur? Aut quis ista cum audierit, non protinus illud propheticum ingeminet, *miseri-* Thren. 3. *cordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius?* Nam & ex eo, vt ex vngue leonem, cuiusmodi tum iudices, Gallia habuerit, intelligi potest, quibus ludus & iocus fuerit, quicquid in Deum blasphemiæ dici aut congeri posset. Quo- Misericordia in sortilegos Galliæ pestis.

rum beneficio, quàm creuerit detestabilis Goëtorum seu Diaboliſtarum numerus, vt definire incertum est, ita qui ad sexaginta millia, eóque amplius in Gallia accreuisse dixerint, non desunt qui referant, & ipsorum confessione acceptum commemorẽt. Certè vt in aulam execratio ista penetrarit, cùm vsus ille frequens edocuit, eorum quos illi Mathematicos & Philosophos (sic enim Diaboliſtæ, arioli, magi, Pythones nominantur) honesto vocabulo vocant, vt ferè ex eorũ responsis atque oraculis quidquis ex eo numero multi agant & moliantur, inscriptis caracteribus sanitates quærant, & philacteriis suis medicos se passim insignes profiteantur, tum verò præcipuè, quòd nõ desunt, ex iis scilicet, qui se HENRICO penitiùs addixerunt, qui inter illos egregios pœnitentes primarias partes tenuerũt, & hodie, iurata sancta vnione, perfidè ad castra HENRICI redierũt. Homines videlicet sine Deo, sine sensu, quibus anima pro sale est, vt pingues & nitidos Epicuri de grege porcos possis agnoscere, qui se Sortiarios, & Diaboli caractere insignitos esse glorientur, imo vbi vinum incaluit, detestabile symbolum id, nudata

Diaboliſtę aulicorum Philosophi, ac prophetæ.

Diaboliſtę de numero pœnitentum.

carne, iucunditatis causa ostendere non vereantur.

Sed & nos, heu, impietatis huius scholas, & abditos cõuentus, cùm alibi, tum in illa florentissima pietatis ac doctrinæ magistra Parisiensi Academia fuisse, dolentes ægríque accepimus. Certè nusquam frequentior annulorum, Pythonum, ac precipuè chartularum numerus. Vsque eo, vt ad honestas sæpè mulieres, imo & viros, & quidem Catholicos, insania hæc penetrarit. Tanta pertinacia, vt quia se fructum ex eo capere, sanandis hominum, equorum, ac pecorum morbis putant, nihil sit, quod difficilius ex eorum mentibus auelliaut auferri possit. Et quidem non ita pridem, qui annulos pro febribus, in quibus barbara nomina scripta erant, faceret, & exiguo pretio, publicè, sine scrupulo vẽderet, artifex Lutetiæ est deprehensus. Cuiusmodi & nos vidimus, tenuimus, & execrati impendio sumus. Quæ non ideo proferimus, vt patriæ nostræ dedecus proferamus, sed vt quibus malis iactata in ea sit Ecclesia Dei, quibúsque cum difficultatibus luctari bonos necesse fuerit, & adhuc sit, aperientes, quámque magnis artibus egerit Sathanas,

Superstitionis philacteriorũ pertinacia.

vt nos perderet declarantes, & commiserationem Christianorum omnium excitemus, & commune precum, studiorum, generis denique omnis auxilium impetremus. Hîc enim verè dicere licet, *nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma & Gomorrha essemus*. Vsque adeo totis velis in Galliam se ista ętate effudit impietas, vt nisi verbi Dei prædicatores, è matre illa pietatis Sorbona extitissent, iam dudum in fauillas redactam in Gallia religionē videre contigisset. Qua in re, si pro eo ac voluimus, parū profecimus, neque verò id aliūde esse potest, quàm quod doleret regni caput, & eodem, quo corruptissima quæque membra, affectum morbo foret, id quale sit supereſt vt dicamus.

Esa. 1.

Henricum Theürgicæ impietatis quæ suspectum reddant. CAP. 29.

NAm vt mirum hoc & incredibile in Christianissimo rege esse debeat, in HENRICO certè ne mirū sit, facit primùm eius sub iis educatio, qui hoc nomine diffamati extiterunt. Quique subinde progressus huius disciplinæ atque vitæ fuit, vt suis gradibus eò tādem perueniret. Et quidem

vt incerta, quæ præcesserunt, fuerint, tum verò quæ comperta nouissimè, luce ipsa clariora sunt, prioribus fidem merito attulerunt. Eiusmodi sunt, præter fatalem annulũ, qui Carolo fratri Victriaci in profectione Polonica datus est, deprehẽsi apud Spernoniũ & Myroniũ γοητείας libri, cũ aliis impietatis monimentis, vnguentis ac virgis corylæis, ad nocturnos, vt creditur, conuentus, & Hirci mysteria comparatis. Sed & Spernonium ex eo numero esse, ac Pythone vti, præter quam quod fama publica est, vel sortilegorũm, qui se eum vidisse in conuentibus illis dixerũt, testimonio confirmata, certissimo id experimento, à viro quodam nobili compertum esse didicimus, cum eo præsente, cursori in itinere obuiam factus Spernonius, rege tum Gyani agente, eum ille pro petendo à rege Episcopatu ad regem festinare diuinauit, ac misso alio cursore, qui currentem præcederet, Episcopatum illum à rege impetrauit.

Pythonis in Spernonio experimentum.

Accedunt descripti in charta virginea (incertum infantisne, an cuiuscunque animalis) cum figuris atque caracteribus ignotis, circuli numero octo & triginta, æqua-

Circuli Goëtici Henrici vota continentes.

les omnes, vno excepto, qui in medio est, cæteris quadruplo maior, admixtis cum sacris & notis, aliis barbaris & horrendis nominibus, quæ vota HENRICI Valesij, aureis literis, super cærùleo colore, superstitiosissimè scripta nominatim continebât. Ne quis scilicet ei gladio, vel alio quouismodo nocere possit, vt inuictus ipse, illæsúsque permaneat, vt triũphet de hostibus: Signis videlicet illis credens, quæ cæsis ad Auneum castrum Alemannis (nam & nos similia quędam, inter cęsorum spolia capta tenuimus, ac risimus) valde illuserunt, vt de iis dici merito posset, *vbi sũt Dij, in quibus habuistis fiduciam? Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Quod ostẽti genus apud Myronium, hominem Iudaico genere extractum, eius scilicet Archiatrum, vel potius impietatis archimystem, Lutetiæ inuentum, multorum & quidem eruditorum hominum oculis, cum execratione visum, & manibus tritum, ad sanctissimum D.N. SIXTVM Papam V. transmissum est.

Alemanni characteribus superstitiosis frustra vsi.

Deut. 32.

Accedit & nouum in secreto illo deuotionis Hieronymitanę adyto, quod ad Castrum Vicenarum tertio ab vrbe miliari ab

Crux dominica Satyris hinc

ipso constructum est, à Parisiensibus ciuibus inuentum ostentum. Crux aurea videlicet, puluinari serico affixa, vitalis, vt creditur, ligni partem habens, duabus hinc inde circundata (dictu horrendum) confectis ex argento inaurato, Satyrorum seu dæmoniorum, tergo ad crucem verso, vasscula è cryſtallo, atque in iis nescio quid execrandi pulueris ferētium, figuris. Non enim (quod Politici dicūt) candelabra esse potuerunt, cum nihil hîc ferendo cereo seu candelæ, vel acutum promineret, vel cōcauum subsideret. Neque verò tam sancto operi figura hæc idonea esse potuerat, quæ nullo Christiani vsus exemplo ad hæc mysteria transferretur. Sed hæc singula quid sibi velint, plenius inquiramus. inde circundata.

Theoria in prædicta signa seu ostenta. CAP. 30.

DIgna quippe hæc Theürgis, execrandisque mysteriis signa. Primū vt virga illa Mosem in virga mira operantem æmulentur, vnde & de eorum baculis seu virgis illud ex propheta interpretatus est Arias Montanus, *Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annuntiauit ei.* Vnguen- Virga & vnguenta quid sibi velint. Virga. Osee 4.

Vngüenta.

tis verò id agere illos, vt sacramenta irrideant, & infantium cædem ad illud conficiendum, sæpiúsque iterandum procurẽt, vel ipse in Danielem testatur Hieronymus. in Dan. 2. Et ex Apuleio, vt veram historiam sæpius citat Augustinus. in Asino aureo cap. 19. Sed & de coniectis Lutetiæ in ignem sine baptismo infantibus, vnde sacrificium procul dubio Satanæ fieret, crudelẽ ante aliquot annos historiam stupentes audiuimus. Cum id se fecisse inuitã & coactam obstetrix quædam quereretur, quæ domi suæ in tenebris per vim rapta, oculis velata, curru per vrbem circunducta, vt nesciret quò pergeret, in cubiculum tandem detestabile introducta, à viris personatis, infantulũ natũ recèns, præsente infelice matre, moritura ni faceret, in ignẽ coniicere, & crudele morientis spectaculum intueri coacta est.

Coniecti in ignem infantes sine baptismo.

Circulis porrò Dæmonem delectari vsus ipse execrabilis mysterij probat, cum fere ducto in terra circulo eũ apparere, & oracula dare, ipsorũ, à quibus inuocatur, cõfessione compertum sit. Siue id facit, vt leonem referat, qui quam deuoraturus bestiam est, ducto per caudam circulo claudit. Vt illud hîc compleatur, *Circuit quærens quem*

Circulis cur vtantur Diabolistæ.

1. Pet. 5.

quem deuoret. Nam & ille *circuire se orbem*, in libro Iob profitetur. Etobliquus semper, & veluti in circulum serpentis motus est. Et vt ait Gregorius, *Omnium studia rimatur, ventilat curas, scrutatur affectus.* 2. Seu quòd Deum se mentitur, quem Ægyptij in circulo ob perfectionem designabant. Et Persę Iouem cœli circulum nuncupabant. Et Deus *Gyro vallare abyssos.* & *Gyrare cœlũ in circuitu gloriæ suæ*, in sacris dicitur. Et Plato mundum in orbem factum esse ait, vt Deũ artificem imitetur. 3. Siue quòd circulus adorationis signum est, qua imprimis delectetur: Nam & Pythagoras circumactu corporis adorare iubebat, iis verbis, προσκυνεῖν περιφερόμενος. Et Numæ institutum fuit, vt adorantes in orbem se verterent, deinde procũberẽt. Vnde fortè προσκυνεῖν deriuatum est à κύων, quod est canis, quod siquem veneratur hoc animal, in circulum se quodãmodo ducit, deinde procumbit. Et apud Suetonium Lucius impudẽs adulator describitur, qui cum primus Caium Cæsarem adorari instituisset, aliter adire non audebat, quàm capite velato, circumuertẽnsque se, deinde procumbens. 4. Seu denique quod Cruci, quę quatuor angulos

Iob. 1.

Pro. 8. Eccl. 43. in Timæo.

Circulus adorationis signum.

Pier. in Hierogli.

Sueton. in Vitellio.

ducit, contraria omnino figura circulus est. Et ex eo se hostẽ crucis improbus Dæmon profitetur. Nam & quòd inter alios caracteres, etiam crux in circulo includitur, plana apud Naziãzenum Iuliani Apostatæ Diaboliſtæ insignis interpretatio est, cùm ille apparente in extis animaliũ cruce coronata, seu circulo incluſa, cęteris stupentibus, ipse vnus, vt peritior reliquis, audentior factus, respondit opprimendam vndique Christi religionẽ in eo designari. Sed nec contemnenda numeri 38 circulorum ratio est, siue id propterea factum, vt numero annorum eius responderet. Siue quia numerus iste (vt ait Augustinus) *langoris potius est, quàm sanitatis.* Quippe quadragenario, qui plenitudinem charitatis significat, dualitate, quæ imperfectionis ac mali symbolum est, inferior. Qualis langor paralytici fuit, cuius triginta octo infirmitatis anni erant.

Orat. 1. In Iulianum.

Quid numerus 38. Circul.

Tract. 17. in Ioh.

Ioh. 5.

Neque fortasse alius Satyrorum seu Dæmoniorum, qui crucẽ illam hinc inde circunstant sensus, quàm quia fortè affligi vndique & contemni Ecclesiam cum Dæmone conuentũ sit. Certè legimus illata à Philistęis in templum Dagon arca, & iuxta

Quid Satyri crucem circunstantes.

1. Reg. 5.

eum cõstituta, idolum pronum in terram, super faciem suam, ante arcam corruisse, restitutúmque in locum, denuo iacẽs, abciso capite & manibus, inuentum esse. At hîc contrarium quæsiuit improbus hostis, vt huic terga verteret, quam ne conspicere quidem potest, & quasi triumphum agens, erectus stansque propè eam cerneretur. Sed & duos Cherubin ex vtraque partè oraculi seu arcæ fuisse scriptum est, qui alas expanderent, & se mutuo, versis in propitiatorium vultibus, respicerent. Hæc figura scilicet patientis in cruce Christi fuit, quæ verè salutis arca, ipse verò *propitiatiõ est pro peccatis nostris*. Sed & piarum mentium typus, quæ in salutis authorẽ, vt Cherubin, intendentes, & ipsum omni studio atque industria, & se mutua charitate complectuntur. Quid faciat improbus hostis, nisi vt cultores suos cõtraria omnino edoceat? Iuxta crucẽ, quę arca est, pro Cherubin, spurcissimas bestias (nam Behemoth bestiæ sunt) adhibeat, pro deuotionis alis, clauam & execrabiles ad nocendum mixturas proferat, auersis denique vultibus, salutem abnegare, & sempiternis odiis seruire instituat? Nam ne se mutuo quidem

Satyri ad crucem terga vertentes.

Exod. 25.

1. Ioh. 2.

Dæmones sibi terga vertunt.

Dęmones respiciunt, quod nulla in iis charitas sit, & alter alterum execretur, caudísque tantùm ad nocendum, vt Samsonis vulpes, non iudicio aut ratione cohęreant. Quamobrem ne in execrabilibus quidem choreis illis, conuersis vultibus, sed auersis tantùm saltare Diabolistæ permittuntur, & quod detestabilius, non à fronte, sed à tergo turpissima bellua adoratur, & osculo honoratur. Veréque omnino hîc hypocriseos simul & Apostaseos signum, vt ij scilicet declarentur, qui cruci Christi tantisper appropinquant, Christianosque se & catholicos venditant, & sacramentis immiscent, vt ea non tãtùm auersi irrideant, sed etiam conuellant, *labiisque Deum sic honorent, vt cor eorum longè abesse*, & iuxta crucem crucis inimicos esse iustè idẽ conqueratur. Adde Satyrorum petulans & lasciuum genus, vt hæc sacra scilicet Bacchanalibus & Lupercis similia esse intelligas, in quibus lasciuiæ omne genus cum deuotionis specie misceatur. Quin & Hirci symbolum in Satyris capripedibus, villosisque fœmoribus agnoscatur. Qua figura quòd suis illis cultoribus apparet Dæmon, non sine Deo vtique permissum est, vt intelli-

Iud. 15.

Auersis vultibus Sortilegi saltant.

Hypocriseos symbolum.

Esa. 29. Matth. 15.

Cur diabolus in hirci specie cultoribus suis appareat.

gant qualem ipsi Dominum venerentur, cúmque in hirco figuratum olim peccatum sit, (prorsus vt Christus ipse, qui pro nobis factus peccatum est, immolandus hœdus diceretur) nihil sit quod excusare eos conscientia possit, quin perditissimi peccatores, ac peccati serui, vel ipsorum iudicio, cẽseantur. Et qui damnationis authorem sub hœdi figura coluerunt, segregati ab ouibus in extremo iudicio inter hircos seu hædos iustissimè numerentur, & communi cum Hirco damnatione confundantur. Iam cui vsui illa è crystallo vascula sint incertum, nisi adolendis, quos sub nomine planetarum septem, totidem dæmoniis distinctos offerre solent, pulueribus inseruiant. Vnde illa fortasse Satyrorum horum tenebricosior facies, quæ ex fumo videlicet illo colorem acceperit.

Exod. 12.

Matth. 25.

Vascula crystallina.

Superstitionis Magicæ in Henrico manifesta indicia. CAP. 31.

ADde quòd quæ duo execrandæ huius impietatis signa sunt, atque in miseris illis perpetuò vera, iuncta cum deuotionis specie rerum sacrarum profanatio, & insatiabilis vindictæ cupiditas, in HENRICO

insignia extiterunt. Digna quippe Theürgis ista duo, quòd iis vtraque charitas Dei & proximi insigniter violetur. Hinc enim illud, quòd in templis assidui, ac præsertim mulieres, quòd sacris vocabulis, scripturis, diebus, candelis, benedictionibus, quódque peius est, Eucharistia, Missa, aliisque sacramentis abutuntur. Qualis illa fuit olim Manichæorum (qui de numero isto erant) apud. D. Augustinum, Eucharistiæ ex humano semine execrabilis confectio, & Pepuzianorum Cataphrygum, expresso minutis punctionibus, ex infantium corpore sanguine. Quinetiã Ophitarum, qui lambendam Eucharistiam Serpenti porrigebant, vnde & nomen habuerunt. Quod ij vtique æmulantur, qui venenatis buffonibus eam admouere, pungere, execrari, aliisq; indignis modis tractare nõ dubitãt.

Et nota illa est Hirci, in nocturnis illis cõuentibus, ad suos præceptio, vt inimicos sibi faciant, ac de iis vindictam sumant. Vnde maleficiorum prouentus, in ijs quidem, quibus aliam nocendi viã vel debilitas, vel metus eripit, ligaturę, morbi, tabes, interitus pecorum & equorum: in alijs verò crebræ per fraudes, gladios, cætera no-

Theürgi cur in templis frequentes.

Ad Quodvultdeum de hæres.

Eucharistiæ per Diabolistas profanatio.

Diaboli odij & vindictæ ad suos præceptum.

cendi instrumenta iniuriæ. Quorum vtrumque genus (profanatio dico ac vindicta) vt in HENRICO fuerint, eius acta docuerunt.

Ad prius spectat, quòd tecto capite, nouo & inaudito inter Christianos more, ante Eucharistiam, priuatim & publicè, vel in ipsa communione, cum scãdalo, perpetuò esse solet. Deterius illud, quòd sæpius quo die Eucharistiam sumpsit, nocte vel præcedenti, vel sequente, imo etiam ipso die cum scortis est volutatus. Id Venetiis in reditu Poloniæ factum audiuimus, sed & Parisiis, Vernoni, Rothomagi, atque alibi admissum esse domesticis testimonijs didicimus. Peius illud rursum, iuratã toties cum diris atque execrationibus, in sacrosanctæ Eucharistiæ sumptione, fidem violasse, eodémque ore ac tempore, quo sacrum illud viaticum sumebat, mentitum Deo & Spirituisancto esse. Simile est, quod comitem Suessionensem, quia cum hæreticis contra Catholicos pugnauerat, & ducem Ioyeüsam occiderat, excommunicatum, nec absolutum, ficta absolutionis Roma missæ specie, in Eccleſiã adduxit, corpori Christi communicare publicè fecit, & canibus

1 Henricus ante Eucharistiam operto capite esse solet.

2

3 Periuria in Euchar.

4 Excommunicatis porrigi Euchar. iubet.

4 Illudit cõfessionis sacramento.

dari sanctum Dei procurauit. Nec reuerentius habita confessio, cum ea quæ ad Remp. spectant, hoc est quæ publicè crimina patrat, qualia sũt quę supra diximus, ad eum nihil pertinere arbitretur.

5 Clauibus.

Clauibus verò Ecclesiæ illusit apertissimè, cum sancta Cruce per sacrilegium Parisiis ablata, ipse in authorẽ sceleris, ideſt in seipsum, fulminari anathema iussit. Sed & quòd vnctionis suæ Chrisma irrisit, quid nisi rei sacræ insignis profanatio fuit?

6 Chrismati.

His accedunt irrisi, contempti, carcere clausi, denique occisi sacerdotes. Profanati dies sacri, cum ipsa hebdomadæ sanctæ feria quinta, anno 1585, nobilem matronam, quæ libellum supplicem proferebat, intro admissam, ab aliquot ex suis vi comprimi atque violari, ipse spectator sceleris fecit, effusęque risit.

7 Dierum sacrorum profanatio.

Huc spectant factæ in locis sacris scortationes, constupratæ intra septa moniales, irrisa scripturæ & mysteriorũ Christi verba, & ad turpitudinis vsum prostituta: cum passim in aula, ipso audiente ac colloquente, venerea & obscœna verbis sacris, & è scriptura petitis, intolerabili impudentia proferuntur.

8 Item & verborum sacrorum.

Prorsus vt quæ fœda cogitatu, & horroris plenissima, in isto

genere, ab aulicis dicta audiũtur, hîc pigeat vel scribere. Sepulti eius iussu in Ecclesię sancti Pauli Parisiis adv trũque magni altaris latus, qui in duello propter scortationẽ ceciderant, erectis iisdem ex marmore statuis, addito vni ex iis, cui Mongironio nomen fuit, qui blasphemans & Deum negãs expirauit, hoc plane Ethnico, & minimè Christiano elogio. *Mortem tulit, non tulit iniuriam.* Quod occasionem extraneo nescio cui, sed vero tamen poëtæ, condendi huius versiculi dedit, Loci sacri prophanati.

Aspicite, ô Galli, vestri deliria regis,
Erigit his statuas, qui meruere cruces.

Homo pius scilicet & mortuorum studiosus, qui occisos à se Dei seruos sepeliri vetat, in frusta concidit, flamma consumit, cineres in aërem spargit: & sacras impurissimorum capitum dæmoniis & æternæ maledictioni reliquias, ad ipsum agni immaculati, & omnipotẽtis Dei altare cõdit, & statuas vt sanctis erigit. Quin & illud ipsi ridiculum, bonis omnibus merito execrandum, quod Vicenis castro, cum suos illos monachos, die quadam in officio diuino diu stare, prætextu religionis voluisset, iussit prius vinum conditum sumere,

prouidus scilicet pastor, ne orando illi aut meditando deficerent, ac deinde ostia clausit diligenter. Ex quo factum vt inclusi, & eo condimento laxati, ventrem in sacello exonerare cogerentur.

Nec absimile, quòd choreas & conuiuia, laruatus ipse & personatus, ineunte quadragesima passim celebrauit. Sacrum etiã Parisiensis Episcopij locum, in quo sacramenta populo exhiberi, verbum Dei prædicari, doctores Theologi promoueri solent, anno 1588, sacro illo tempore, isto genere spurcitiæ, ferentibus ac locum ornãtibus, quos id prohibere oportuerat, fœdauit atque cõspurcauit. Scilicet, ne quid omnino sacrum esset, quod libidinẽ eius fugeret, quod non denique profanaret.

Henrici insatiabilis vindictæ cupiditas.

Hunc verò vt vrat crudelis animi & vindictæ studio ardentis cupiditas, cùm laudatum Mongyronij factum, ac principum Gvisiorvm cædes docet, tum verò execrandum id multo magis, quòd anno 1585, & deinceps anno 1588, se potius Sathanæ traditurum, quàm iniuriam, sibi à fœderatis illatam, inultam relicturum, aut fœdus Catholicorum durare permissurum esse dixit. Sicuti nos à viris fide in eo di-

gnis, qui dicentem audiuerunt, ac meliora precati sunt, accepimus. Sed & notãda nobilis illa eius responsio, quæ sæpius ei in ore est, si quando de reconciliatione cum eo agatur. *Satis sit illi* (inquit) *quòd ei pepercit Deus. Ego enim nunquam parcam.* In vno certè Henricus veteribus in Gallia paganis fuit dissimilis, quòd cum illi, vt retulit Cæsar, Diis suis nefarios & criminis reos tantùm immolarent, hic quos suis immolet Dæmoniis iustissimos quosque, & orbi vtilissimos elegerit.

Henricus ἀκατάλλακτος & irreconciliabilis.

QVOD HEN. PLANE IMPIVS SIT.

Crimen 10.

Atheismi impietas vnde.

CAP. 32.

POstremum supereſt, perfectúmque adeo vt numero, sic nequitia crimen, cum in profundum peccatorum impius venit, & progressa eo vsque est impietas, vt *dicat in corde suo, Non est Deus.* Huc quippe nequitia omnis, huc hæresis, Simonia, hypocrisis, tendit, vt qui Deum opere dudum negauerunt, & corde tandem negare

Prou. 18. Psal. 13. Nequitiæ omnis finis atheismus.

incipiant, in labris interim ad eludendos, homines & in ore tantum habeant. Hicque adeo terminus est, vbi *Omne in præcipiti* (iuxta poëtam) *vitium stetit*, nec vltra quo iam progrediatur habet. Vnũ vt superfit, vt cũ dixerint pax & securitas, repentinus illis superueniat interitus, qualis olim incredulis temporibus Noë hominibus, ac pessimis Sodomitis, aliísque paris nequitiæ æmulis superuenit.

1. Thess. 5.
Genes. 9.
Genes. 18.

Quæ nequitia vt homines peruadere possit, incredibile omnino esset, nisi nota dudum impietatis huius & omni seculorũ memoria peruagata monstra, stupente natura, essent. Eiusmodi ille ex Aristippi & Pyrrhonis schola Theodorus. Et ille seu patriæ vitio, seu proprio ingenio Diagoras Melius. Sed & Democriti auditor Protagoras Abderites. Et impij Theodori impius discipulus Bion Borysthenites (quamquam hunc longa infirmitas, vt Deum esse fateretur, tandẽ coegit) Et ille Christianorum terror, Turcarũ princeps, Mahometes II: & illi impietate nobiles Florẽtini Nannes Grossus, & Lucas Orafus, quorum alter moriẽs crucifixi imaginem afferri sibi, sed nõ alterius, quàm Donatelli manu factam

Athei.
Laër. lib. 2. Hiidas
Laër. lib. 9. lib. 4.
Cuspin.

curauit: alter potentiori se commendauit, seu Deus ille, seu dæmon esset, cum hoc horrendo Epiphonemate, *Chi piu puo, piu tiri*, id est, *qui plus potest, plus auferat*. Aliique nostro seculo in Gallia plurimi, athei extiterunt. Tales & ii in sacris, Holofernes, *qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israel contempsit*: & Nicanor, qui potentiam suam super terram Dei in cœlo potentiæ ausus est opponere: & qui vt propheta ait, *Posuerunt in cœlum os suum, & dixerunt, Quomodo scit Deus? & si est scientia in excelso?* Tanto detestabilior pestis, quanto mirabilius est extinctum in iis esse illud, quod *signatum est super nos lumen vultus Domini*, & quod cæli testimonium dant, qui *enarrant gloriam Dei*. Siue illud propterea factum, quòd mentem, iuxta Platonem, ipsa nequitia eripit, siue vt in sacris dicitur, *excæcat illos malitia eorũ*. Seu quòd eos abiicientis ac minimè affligẽtis illos Dei, patientia eludit, vnde illud, *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*. Quod nec poëta, perditissimus alioqui, de Selio quodam atheo ignorauit.

Bap. Gellus dial. 2.

Iudith. 13.

2. Macc. 15.

Psal. 72.

Psal. 4.

Psal. 18.

Sap. 2.

Psal. 72.

Nullos esse Deos, inane cælum
Affirmat Selius, probátque, quòd se
Factum, dum negat hæc, videt beatum.

Mart. lib. 4. Epigr.

Seu denique hæc summa ratio est, quia quod odio habent, quòdque horret horum iniquitas, & non esse impendio cupit, vindicem scilicet & vltorem Deum, id ne esse quidem sibi facillimè persuadent.

Psa. 93. Quales illi, qui *viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt, & dixerunt. Non videbit* Dominus, *nec intelliget* Deus *Iacob*. Et

Sap. 2. qui in Sapientiæ libro impij describuntur: *Ex nihilo* (inquiũt) *nati sumus, & postea erimus, quasi non fuerimus. Quia extinctus cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aer.* Et rursum *Nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum.* Quia videlicet animã cum corpore mori percupiunt, id futurum sibi pollicentur. Quid verò inde consequitur? vt luxuriari scilicet impune, & in omni crudelitatis genere bacchari liceat, qui duo sunt atheorum fines. *Venite* (inquiunt) *& fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, &c.* Et infra. *Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterano, nec reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex iniustitiæ. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis,*

& contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Et infra. *Cõtumelia & torméto interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum. Erit enim ei respectus ex sermonibus eius.* Tales videlicet Sadducæi erãt, & ipsi athei, resurrectionis negatores. Quos ob id immites, crudeles & inhumanos, hoc est Politicis nostris similes, quorum illi typus erant, fuisse Iosephus refert. Istiusmodi qui sit, vt regno pelli debeat, dicendum fortè esset, nisi vel id naturæ ipse sensus aperiret, & vt impietates omnino omnes vna hæc continet, ita huc antecedentia omnia concurrerẽt, vt quem nec dignũ est præesse bestiis, multo magis qui hominibus præsit, nedum Christianis, imo Christianissimis indignum esse proclamarent. Id videndum, num & vsque eo Henrici impietas progressa sit. Quod vtinam ne esset! Neue radix illa inter nos dudum foret, quæ acerbam illam vuam procrearet, vnde dentes nostri obstupuerunt.

lib. 2. de bello Iudaico ca. 7.

Hier. 31. Ezec. 18.

Henricum quæ impium esse probẽt.

CAP. 33.

QVod ne cui dubium sit, faciunt meditata illa iuxta Machiauellum, qui perpetuus ei in sacculo atque manibus est, de Galliæ regno in Turcicum commutando consilia: quæ præclara illa proposita peperierunt. Supra omne ius esse regem. Nullum eo superiorem esse. Dominum omniũ esse. Quiduis ei in subditos licere. Vt pius videatur, tametsi nõ sit, satis esse. Quę hominẽ eo perduxerunt, vt Mahometi 2. Turcarum imperatoris instar, tantisper sibi religionem colendam putet, quantum suo cedere commodo iudicabit. Quæstum videlicet, non pietatem, sed pietatis laruam ratus, qua ad cogitatos illos suos furores abutatur. Nam & hęc Politicorum vniuersè religio est, vt tantisper ei inseruiant dum commodum rebus suis erit, præclari videlicet Eebolij, Mahomete Christum sine dubio mutaturi, si amplior inde rei faciendæ spes affulserit. His accedit, quæ vera eius indoles est, & animi affectio, quòd sui iuris perpetuò esse vult, vt quicquid libet, id liceat. Hancque adeo amplitudinem suam esse putat, voluntati atque affectui suo vbique inseruire. Vt quicquid quantumuis turpe, absurdum, atrox, & horren-

1 Machiauelli proposita.

Politicorũ religio.

2 Sui iuris perpetuò esse vult.

horrendum menti occurrerit, id protinus opere compleat. Nullus ei resistere aut obloqui possit: Vt Dæmonis ludibrium possis agnoscere. Nã cũ religio à religãdo dicta sit, vt qui religionem habeat, vicissim ab ea haberi necesse sit, quid sequitur, nisi vt qui nulla lege teneri vult, nec religionẽ omnino vllã, ac propterea ne Deum quidem habere iudicetur. Henricus Dæmonis ludibrium.

Proxima huic coniectura ἀστοργία, seu affectus carentia est, quæ φιλαυτίας, ideſt suiipsius amantes comitatur. Fere enim vt quisque sui amantissimus est, ita proximi cõtẽptor esse solet. Vnde & simul ista à D. Paulo coniunguntur. Quod quàm magnum impietatis argumẽtum sit, aperta Apostoli sentẽtia est. *Qui non diligit, non nouit Deũ, quoniã Deus charitas est.* Quippe cùm nobis id à natura insitum sit, vt imaginem quisque Dei alter in altero veneremur, & qui eodem profecti fonte, iisdem initiati sacris, eodem quoque properamus, mutua nos charitate complectamur. Vnde illa contemptum prę ἀστοργία Deum conquerentis, prophetæ vox. *Nunquid non pater vnus omnium nostrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisque vestrũ fra-* 2. Tim. 3. 1. Ioh. 4. Charitatis mutuæ fons. Mal. 2.

trem suum, violans pactum patrum nostrorum? At HENRICVS quid deperiret, ac perditè amaret, scorta, cynædos, & Reip. faces vidimus. Quid diligeret, aut in quod piè afficeretur, vel etiam afficiatur non vidimus. Sed nec dicere ille, quid diligat, potest, qui, vt Timon alter, interitu se hominum potius, quàm salute delectari confitetur. Id odia omnium, id neglectæ pauperũ voces, fletus matrũ, infantiũ gemitus, contemptæ omniũ, vel suorũ querelæ docent, quibus nihilo magis, quàm Marpesia cautes cõmouetur. Vt hic simile aliquid reperias, quale in infernali Alecto describit Virgilius. *Cui tristia bella,*

Henricus alter Timon.

Æneid. 7.

Iræque insidiæque, & crimina noxia cordi.
Odit & ipse Pater Pluton, odere sorores
Tartareæ monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam sæuæ facies, tot pullulat atra colubris.

4. 2. Tim. 3.

Iam longa illa apud D. Paulum descriptio hominum, qui in nouissimis temporibus futuri sunt, *seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, calumniatores, intemperantes, immites, bonorum negligentes, proditores, præcipites, inflati, cæci, voluptatum amãtes potius quàm Dei, habentes speciem pietatis,*

virtutem autem eius abnegantes, quid nisi impios & atheos significat? At ista singula quàm bellè HENRICO conueniant, ignorare prorsus, nisi qui de illo nunquam audierit aut viderit, nemo potest. Nulla vt sit tam aqua aquæ similis, quàm ista vniuersa HENRICI moribus ac vitæ similia sunt.

Quid illa periuria, execrationes, sacramẽtorum profanatio, contemptus Ecclesiæ & 5
clauium, scurriles in templo gestus, insulsæ cærimoniæ, horrẽda denique flagitia, nisi excluſum penitus eius omnis, quod dicitur Deus, sensum probant ac testantur? Quorum enim vel memoria sola percellit homines, atque horrescere facit, quomodo eum illa, Deum esse si crederet, nõ cogitantẽ modo, sed facientẽ nõ mouerent?

Iam quòd Atheos amplectitur, & *homi-* 6
nes seruitij vocat, cum id verum perpetuò sit, qualis quisque est, talibus & delectari, satisne se significat ex genere illo esse?

Sed & illa animi affectio, hinc luxuria vn- 7
dique diffluentis, hinc crudelitate omni sæuiẽtis, qualis ante ex Sapientię libro descripta est, vt atheorum propria est, ita vt in eo locum habeat, dubitabit, qui illinc execrabiles eius delicias, quas nec pictores

dissimularunt, qui illum inter mulierum choros, quas Gratias nuncupabant, nitidum & mollem, sertis & floribus vndique redimitum, ipso plaudẽte & seipsum Narcisi instar admirante, pinxerũt: hinc clausos carcere venerabiles Cardinalis Borbonij canos, cæsos optimos principes, & alia sæuitiæ genera intueatur.

8 Huc etiam spectant, quæ celatum dudum in pectore virus, erumpentes ex gutture voces prodiderũt. Qualis illa primum ad quendam Capuccinum fuit, cum quo differens, & de rigore vitę atque professionis de more interrogans, mirabundus ac dubitanti similis dixit, *An verò fieri potest, vt sit vnus Deus?* Congruè videlicet cum eo loquens, quod alter quidam de aula eius primarius, cum de fratre Angelo, nuper Buchiagij comite nunc, Capuccino sermo esset, eodem vtique spiritu animatus, moréque suo iurans dixit. *Papæ, quàm deceptus opinione sua est Angelus, si neque Deus est, neque Paradisus.* Sic enim honestissimè id, quòd ille spurcissimè dixerat, referendum fuit. Quo vno quid ad impietatem apertius? Quæsiuit olim Pharao, *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israël? Nescio*

Henrici & aulicorum impiæ voces.

Exod. 5.

Dominum, & Israël non dimittam. At vt ille Deum Israël, ideſt, Deum verum & ſolum ignorauerit, nō tamē omnino, An ſit Deus dubitauit. Sic affectus nimirum, vt tametſi qualem Deum habere oporteat (vt Fabius lib. 2. inſtit. ait) ignoraret, habēdum tamen ſciret. Nam & Moſi non obſcurè dixit, *ite, ſacrificate Deo* Exod. 8. *veſtro*, vt tametſi eum Deum ſuum non agnoſcat, intelligas tamen Deum minimè diffiteri. Propior in impietate Protagoras Laërt. lib. fuit, qui quòd librū ſcripſiſſet, in quo quærebatur, *Dij necne eſſent*, fuga elapſus, certiſſimæ ſe morti eripuit, & liber publicè combuſtꝰ eſt. Talis olim fuit authore poſt Liuiū Liui. lib. 40. Lactantio Numa Pompilius, in cuius ſe- Lact. lib. 1. pulcro cum inuenti eius libri eſſent, qui- cap. 22. bus Deos deſtruebat, quorum in ſpeciem tam ſtudioſum ſe cultorem præbuerat, & eius cognita eſt hypocriſis, & libri publicè exuſti ſunt. Miſeráque omnino noſtrorum ex aula Pyrrhoniorum, ſeu Ephecticorum conditio, qui quia apud D. Thomam quæſtio eſt, *An ſit Deus*, propterea licitum eſſe 1. p. q. 2. volunt, An Deus ſit dubitare. Sed & eodem modo quia quæritur apud Theologos An Sodomia ſit peccatū, dubium id quoque eſſe multi ſibi perſuaſerunt, vt ſe iſta

execrabili vitio liberiùs inquinarent. Et hi sunt qui serui commodi, seu vt dicunt, *homines seruitij*, hoc est ad quodlibet scelus designandum parati, omni excusso Dei timore, nuncupantur.

9 Non absimile quòd religioso quodam viro de pœnis inferni coram eo differenti, cùm dixisset Myronius, *An credis, ô Rex, infernum esse?* Tacuit ipse, & scelerati hominis impietatem silētio comprobauit.

10 Nec minus id insigne cum Parisienses audiens frequentes in precibus ac supplicationibus esse, *Orent* (inquit) *quantum volent, non tamen effugient manus meas.* Deinde subiūxit, se fœderatos bōbardarū ictibus, ac fulmine orare edocturū. Quid enim hoc est, quàm Rabsacis & Nabugdnosoris blasphemiā imitari, *Quis est Deus* (inquiebāt illi) *qui possit vos eripere de manu mea?* Quinetiam Cyclopicum hîc aliquid videas licet, quale illud est, apud Homerum Polyphemi, cum Dei metus huic obiiceretur.

Henr. Rabsacis blasphemiam imitatur.

4. Reg. 18. Dan. 3.

Odyss. 9.

Νήπιος εἶς, ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας,
Ὃς με θεοὺς κελεαι ἢ δείδιέμεν, ἢ ἀλέασθαι.
Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
Οὐδὲ Θεῶν μακάρων.

Stultus es, ô hospes, vel de regione remota,

Qui me formidare Deos & numina mandas.
Non Cyclopes enim metuunt Iouis ægida, Diuos
Nec superos curant.

Et quod æmulatus Euripides Cyclopem loquentem facit.

Ζωὸς δ' ἐγὼ κεραυνὸν ὦ φέλοσω ξένε.
Οὐδ' οἶδ' ὅτι Ζεὺς ἐστ' ἐμοῦ κρείσσων θεὸς.
Non ego, ô hospes, fulmen horresco Iouis,
Præstantiorem me nec agnosco Deum.

Vbi & expressam aulicorum nostrorum vitam obserues licet, quibus nihil æquè ridiculum, quàm si quis conscientiæ memineri, aut Dei timorem vrgeat, esse potest. Digni scilicet domino serui, vt qui metum Dei omnem excusserunt, iis reliquum sit, vt quot seruiunt turpissimè affectibus, tot etiam sibi Deos, imò Deos seipsos perditissimè constituant. Aulicorum vita Cyclopica.

Postremum est, quòd Deum se veluti facit, non tantùm quòd se supra ius constituit, sed & quòd adorari cupit. Id quippe docet imago eius in templo collocata, & quòd indignos sacerdotes dicit, qui eius vestigia osculentur, eos etiã sæpius diu ante se procũbere & genua flectere, vt nuper Romathomagi, delectetur. Similis in eo Herodi, qui auro insignis & fulgens, vocẽ suã, vocẽ II

Act. 12.

Dei dici lętabatur. Et Domitiano, qui Dominũ se dici ac Deum imperiosè iussit, vnde illa blandientis poëtæ vox,

Matt.

Edictum Domini Deíque nostri.

Et impiissimo Caligulę, qui fax generis humani dictus imaginem suam in templi vestibulo adorandam exhibuit. Tolerabilior fortè HENRICO in eo, qui suã non in vestibulo tẽpli, sed supra altare maius, vbi residet sacrum Christi corpus, in Augustinensium Eremitarum Parisiensium æde collocauit, vbi se in throno sedentis, operto capite, maiestas ostẽtabat. Dignus vtique, qui vt impiissimorum hominum scelere imitator fuit, eorum quoque exitum aliquando imitetur.

Henricus imaginem suam supra altare constituit.

Quòd anathema propter superiora & fuerit Henricus, & adhuc sit.

Anathema ab obedientia subditos soluit.

CAP. 34.

SVperioribus annexa est Anathematis quæstio grauis, quod vt ab obedientia subditos soluit, & id HENRICVM incurrisse, palam est, nec ipse diffitetur, ita eius vinculo teneri adhuc, neque ipsum tãtum, sed & qui cum illo sunt, serio profitemur.

Ac primùm vt ab obedientia anathema seu excommunicatio soluat, nota Gregorij VII in Romana synodo præsidentis sententia est. *Nos* (inquit) *Sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate & sacramento constricti sunt, apostolica autoritate à iuramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem seruent omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* Et quod ait Vrbanus, II. *Fidelitatem, quam subditi Christiano principi iurarunt, Deo eiusque sanctis aduersanti, & eorum precepta calcanti, nulla coguntur authoritate persoluere.* Et in cap. Venerabilem. Inter notoria ducis ac regis impedimenta (vt antea notatum est) ne eligatur aut electus teneatur, *excommunicatio publica, diuulgata persecutio & periurium* recensentur. Obidque fere excommunicationis & depositionis sententię a Pontificibus simul coniunguntur. Neque id quidem sine causa. Primùm, quòd indignum sit mortuum & excisum membrum viuo corpori imperare. Deinde quòd cum præcipua basis regni inter Christianos pietas sit atque fides, ne dignus quidem regno dici possit, qui de isto fundamento excussus sit. Accedit quòd parere

15. q. 6. Nos sanctorũ.

Nota.

c. Iuratos. de elect. & electi pot.

Cur anathema subditos ab obedientia soluat.

2

3

excommunicato criminis eius quidem
4 probatio est. Neque verò aliter populus
fœdus, quod cum Deo pepigit, tenere po-
test, quàm si ab eo, qui alienus ipse est, di-
5 siungatur. Sed & lepræ instar excommuni-
catio est. Quæ si potuit olim regno Oziam
priuare, cur non & excommunicatus de
suo iure in Christianos debeat decedere?
6 Omnino scilicet ab eo, qui excisus est, po-
pulum separari necesse est, ne quod sub
Achabo accidit, peccatis huius inuoluatur.

Henricus multis nominibus anathema. CAP. 35.

AT HENRICVM ne excommunica-
tum esse dubitemus, bis septenum nō
numero (id enim amplius est) sed specie
crimen facit, vt ex duplicato vniuersitatis
numero quicquid dirarum & execrationū
in Ecclesia est, in eius caput constet redun-
dare.

1 Primum in iis Assasinatus crimen est, de
quo aperta Innocentij 4 in Concilio Lug-
dunensi sententia est, vt excommunica-
tionis vinculo qui id cōmiserit innodetur.

2 Secundum est presbyteri, Episcopi &

Cardinalis percussio. Quod crimen, præter quàm quòd clarissimè iure anathemate ab Honorio & Pio V. Pont. damnatur, singulis etiam dominicis inter anathemata recensetur, quinetiam ciuitates & magistratus, qui intra mensem canonem non fecerint obseruari, excommunicantur, clarius etiam exemplis eorum principum constat, qui ob illatas sacerdotibus iniurias excommunicati extiterunt. Sic quippe Innocẽtius 1. Arcadium imperatorem, & vxorem, & omnes etiam Ecclesiasticos facti participes, ob iectum in exilium D. Iohannem Chrysostomum, excommunicauit. Sixtus 4 hoc nomine inter alia Florentinis sacris interdixit, quòd Archiepiscopum Pisanum ad fenestras suspẽdissent, sacerdotem necassent, Cardinalem sanctî Georgij Raphaëlem Riarium captiuum tenuisset. Adrianus Papa vrbi Romæ sacris interdixit, ob trucidatum à Romanis Vidonem Cardinalem, & Roma ipse excessit, & aliquandiu abfuit. Bonifacius VIII tum aliis de causis, tum ob hanc ipsam Philippũ Pulchrum Galliæ regem excommunicauit, quòd legatos suos in libera custodia tenuisset. Vrbanus II. regem Galliciæ cum

Principes ob illatas sacerdotibus iniurias excommunicati.

Niceph. lib. 13. cap. 34.

Plat.

Sigon. lib. 12. regni Ital.

Cranzius lib. 8.

tota dioceſi Sancti Iacobi anathema fecit, quia prouinciæ Epiſcopum cauſa inaudita coniecerant in carcerem. S. Methodius alter Morauorum cum B. Cyrillo Apoſtolus, Regem excõmunicauit, & regno ſacris interdixit, quòd in ipſum ſacra peragentem canes venaticos immiſiſſet. Heraclius Sãctonenſis, teſte Grezorio Turonenſi, Nantium comitem ob interfectum presbyterum ad communionem nõ admiſit. Sãctus Antoninus octo viros Florentinos excommunicauit, quòd duos Sacerdotes in crimine deprehẽſos, & nocte à ſatellitibus captos, publicè deduci, clangentibus buccinis ad ignominiam feciſſent.

Platina.

Æneas Syl. hiſt. Boëm. cap. 13.

Greg. lib. 5. Hiſt. cap. 36.

Cap. 3.

3 Tertium eſt, quòd hæreticis fauit. Tales quippe in Concilio Lateranenſi excommunicari iubentur. Sic enim Dioſcorus Conſtantinopoli damnatus eſt, quòd Eutychis patrocinium ſuſcepiſſet. Et de Raymondo comite Tholoſano ante dictũ eſt.

Euag. lib. 1. cap. 9.

4 Quartũ quod Schiſmaticus. Tales enim cum hęreticis foris eſſe dici, & à Moyſe pridem excommunicatos fuiſſe etiam monuimus. Et aperta Bullæ in Cœna Domini verba ſunt, *Excommunicamus Schiſmaticos,*

24. q. 1. Dicimus.

Num. 16.

& eos qui in animarum suarum periculum se à nostra & Rom. Pontificis, pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahere, seu quomodo libet recedere præsumunt.

Quintum, quòd hæreticus. Cuiusmodi qui sunt excommunicatos esse scriptura satis & vsus Ecclesiæ pronunciat. Sed & Bulla in cœna Domini omnes cuiuscunque generis hæreticos excommunicatos esse iubet. 5 Mat. 18. Epist. 2. Io.

Sextum, quòd Simoniacus. Nam in tales pridem B. Petri fulmen desæuiit, & canone idem iteratur. 6 1. q. 1. c. Petrus. 6. reperiũtur.

Septimum quòd sacrilegus. Aperta enim hic Lucij pontificis censura est. Omnes (inquit) *Ecclesiæ raptores, atque eius facultatum alienatores à liminibus eiusdem matris Ecclesiæ amathematizamus, authoritate apostolica pellimus, damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus, neque tantum eos qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et Greg. ix. *Inuasores rerum Ecclesiæ, tanquam sacrilegi, sunt anathemati, vsque ad satisfactionem congruam supponendi.* 7 17. q. 4. omnes. C. Conquestus de forocomp.

Octauum, quòd duellorum approbator, & excommunicatorũ sepultor in Ecclesia D. Pauli Parisiis extiterit. Istiusmodi enim à Concilio Tridentino disertè con- 8 Sess. 25. cap. 19.

demnantur & anathemate feriuntur.

Nonum quod moniales sæpius in clausſtris corruperit, vimque per alios inferri curauerit. Nota enim Bonifacij VIII, & poſt eum concilij Trident. conſtitutio eſt, ne quis cuiuſcumque ſtatus, conditionis, ſexus, ætatis intra ſepta monialium, niſi obtenta ob neceſsitatē venia, ingrediatur, ſub pœna anathematis. Quanto magis ſi vim intulerit? Sed & in concilio Tribuſienſi, qui id commiſerint, communione ad mortis vſque articulum priuantur.

Seſſ. 25. cap. 5.

27. q. 1. virginitas.

Decimum eſt, quòd cum hæreticis, Iezabele Anglicana, & Nauarro fœdus inierit. Expreſſus quippe in eo Concilij 8 generalis canon. *Si quis frater, aut palam, aut abſconsè cum excommunicato fuerit locutus, aut iunctus communione, ſtatim cum eo excommunicationis contrahit pœnam.*

11. q. 3. Si quis. & c. excellentiſſimus.

Vndecimum, quòd bona Eccleſiæ inconſulto Pontifice occupârit. Apertus enim hic Gregorij VII. canon. *Quicunque militum, vel cuiuſcunque ordinis, vel profeſſionis perſona, prædia Eccleſiaſtica à quocunque Rege, ſeu ſeculari principe, ab Epiſcopis inuitis ſeu Abbatibus, aut aliquibus Eccleſiarum rectoribus, ſuſceperit vel inuaſerit, vel ſine eorum conſenſu*

12. q. 2. Quicunque.

tenuerit, nisi eadem prædia Ecclesiis restituerit, excommunicationi subiaceat. Et Gregorius XIII. in Bulla Cænæ Dominicæ apertiùs. *Excommunicamus omnes, qui iurisdictiones seu fructus, ad Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas pertinentes vsurpant, seu quauis occasione vel causa, sine Rom. Pontif. expressa licentia sequestrant, aut collectas, decimas, taleas &c. absque simili Pontif. Rom. speciali & expressa licentia imponunt & exigunt, aut sponte etiam dantibus & concedentibus recipiunt, &c. cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis &c. aut quauis etiã Pontificali dignitate præfulgeãt.* At manifestæ in eo sunt HENRICI contra Ecclesiam iniuriæ, cum & decimas inconsulto Pontifice imposuit, & è fabricis Ecclesiarum vectigalia anno 1587 quæsiuit.

Duodecimum quòd falsarius literarum Apostolicarum extiterit. Sic enim in eadẽ Bulla idem Gregorius. *Excommunnicamus omnes falsarios bullarum, seu literarum apostolicarum & supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium, per Rom. Pontif. vel S.R.E. vicecancellarium, seu gerẽtes vices eorum, de mandato eiusdem Rom. Pontif. signatorum, aut sub nomine eiusdem Rom. Pont. aut vices gerentium easdem extendentes, &c.* At HENRICVS id

fecit manifestissimè cum ad eiusdem Gregorij Bullam, clausulam, *inuitis clericis*, addi procurauit, quæ à Senatu subinde reiecta est. Peius etiam quòd absolutionem excõmunicato falsam suppositit, & eum Eucharistiæ adhiberi iussit.

Decimum tertium est, quòd superstitionibus theurgicis deditus sit. Cõstans enim hic Gregorij minoris sententia est, *Si quis ariolos, aruspices, vel incantatores obseruauerit, aut phylacteriis eorum vsus fuerit, anathema sit.* Et Leo IIII, *qui sortes, diuinationes aut maleficia exercuerit*, anathema esse iubet.

26. q. 5. Si quis.

Ibid. Sortes.

Decimumquartum est in scelere perseuerantia, Cardinalisque & Archiepiscopi Lugdunensis, cum insigni Ecclesiæ contemptu detentio. Tanto rursum ad execrationẽ deterior, quanto frequentius in isto scelere perseuerans sacramentis se immiscere, & Eucharistię communicare, hoc est, sacrilegè ea profanare toties non veretur.

Reges Franciæ ab anathematis censura non eximi.

CAP. 36.

Hæc

HÆc sunt nimirum, quę HENRICVM, anathema pridem factum, ab Ecclesia nominatim siue ab homine excluſum vel etiam excludendum iure probent. In quo quia duo nonnulli obiiciunt, vel quòd Regem Franciæ excommunicari posse negant, vel quòd dicunt sic HENRICVM absolutum esse, vt nefas sit denuo condemnari (nam hæc sunt, quæ emissarij passim insusurrant) quale vtrumque sit paucis videamus. Nam prius illud tria sunt quæ reiiciant. Primùm quia iuri communi contrarium: deinde quia nulla ratione aut argumento nititur: postremo quod exemplis contrariis conuincitur. Iuri communi aduersari dicimus. Quid ita? quia plena Pōtifici in omnes Christi oues, parque adeo potestas est, vt si inde eximi Francię regem credendum sit, vel non esse eum de ouibus Christi, vel vana Christi verba, Petro oues suas committentis, & *Pasce oues meas, Pasce agnos meos, Pasce oues meas*, tertiò inculcātis. *necessario esse oporteat*. Item & illa *Quæcunque ligaueris super terrā, erūt ligata & in cœlis*. Quæ hic enim regis Francię exceptio, quæ à Iure communi secretio continetur? Aut quomodo tolerari præsumptio ista potest, quæ

Ioh. 21.

Matth. 16.

nec sine blasphemia in Christū valeat cogitari? Addeiuratā solēni more ànostris, idest Franciæ regibus, non qualemcunque, sed diuinitus imperatam obedientiam, quæ ne quidem esse potest, nisi eius correctioni subiaceant, cui se illi parituros profitentur.

2 Reges Frāciæ quia Christianissimi, hoc ipso magis Censuræ Ecclesiæ obnoxij.

Nam quòd nonnulli pro ratione afferunt splendidos Regum Franciæ titulos, vt quod Christianissimi, atque Ecclesiæ primogeniti vocantur, videant illi, vt se proprio gladio iugulent, cum hoc ipso Francię Reges in officio contineri magis conueniat, quia Christianissimi, quia primogeniti Ecclesiæ esse consueuerunt. Scilicet vt id quòd sunt esse pergant, & ne priuato Regum vitio accidat, vt nomen toti regno pereat, quod magnis & laboribus & in Ecclesiam meritis maiores nostri quæsierunt, & seruandum posteris omni ratione reliquerunt. Nisi verò tolerabile est, in id dici primogenitum, vt paterno iuri se eximat, non potius vt primus ipse patri opem ferat, ac minoribus natu fratribus exemplo officij omnis, honoris, virtutis, & obedientiæ præeat. Sed & si id demū est Christianum esse, quod supremo Christi vicario obe-

Primogeniti conditio quæ?

dientem esse, & decretis Ecclesiæ parere, quis ferat Christianissimi nomẽ in id vsurpari, vt eius iugum excutiat, cui qui se non subiiciat, ne Christianus quidem esse possit? Quod si quis insolentem nonnullorum Pontificum in censuris leuitatem obiiciat, quam necesse sit refrænari, satis huic sit indicare, quàm nihil planè ad rẽ id faciat, cum sermo hîc non de iniusta aut temeraria excommunicatione (quam non excusamus) sed omnino de toto iure, Franciæ reges excommunicandi, quod illi vniuersè tollunt, habeatur.

Pontificum in cẽsuris leuitas ius animaduertendi non tollit.

Sed neque hîc valent, quæ citata à Molinæo, à multis obtruduntur Romanæ sedis priuilegia, ne Franciæ reges excommunicentur. Primùm quòd illa nusquam extẽt, quæ cryptis abscondita memorãtur. Deinde quòd si sint, vim nullam sint habitura, cùm par in parem potestatem non habeat. Tertio, quòd nec æquum est, quæ bonis ac syncetis Regibus data priuilegia essent, hęc in malis & peruersis valere, vt iis ad libertatem nequitiæ abutantur. Quarto, quòd in causa periclitantis fidei, qualis hodie in Gallia est, priuilegia cessant, fauente ad id vel regula iuris, *Nẽ quis ex eâ rẽ cõmodum*

In causa fidei priuilegia cessant.

L. ita tamen §. qui suspectam. ad Senatusconsc. Trebell.

capiat, quam nititur impugnare. Nam si qui suspectam hæreditatem dicit, commodum ex testamento consequi lege prohibetur, quomodò priuilegio Ecclesiæ is gaudeat, qui in Ecclesiam armatur?

Postremò id accedit, quòd reuocari priuilegiũ istud in qualibet materia potest. Vt & illud, quo de agitur, in Bulla Cœnę Domini nominatim reuocatur. *Non obstantibus* (inquit) *priuilegiis, indulgentiis & literis Apostolicis, generalibus vel specialibus, cuiuscunque generis & conditionis hominibus datis, etiamsi Pontificali, Imperiali, aut Regali dignitate præfulgeant, sub quauis forma, ac cum quibusuis clausulis, etiam continentibus quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint.*

Regum Franciæ excommunicatorum exempla. Cap. 38.

NEque verò ignota illa Franciæ regum exempla sunt, qui excommunicati, cùm à summis Põtificibus, tum etiam ab Episcopis extiterunt.

Agapetus Papa Clotarium Francorum regem, quòd Galterum Yuetoti dominum interfeciſſet, cõminatione interdicti compulit, vt interempti familiæ satisfaceret,

atque eā immunem redderet. Et tres Philippi Galliæ seu Franciæ reges à summis Pōtificibus excommunicati fuerunt. Philippus I. ab Vrbano 2. authore expeditionis in infideles, anno 1088, quòd vxorem Bertham repudiasset. Alter Philippus Augustus à Celestino III. anno 1191, ob similem causam. Tertius Philippus Pulcher anno 1301, à Bonifacio VIII. Nicolaus I. Lotharium regem excommunicauit, ni Valdrada pellice relicta, Thethbergam coniugem reciperet. Et in continuatione Aymoini habetur. *Gregorius* IIII. *excommunicaturus Ludouicum Pium veniebat in Galliam.* Qui & idem, cum iniustè dicto LVDOVICO regnum abrogatum, per concilium Episcoporum Lugduni comperisset, & decretum illud Concilij rescidit, & LVDOVICVM regno restituit.

Yuo Carn. Æmyl. Guliel. Nang.

Rheg. lib. 2.

Æmyl. lib. 3.

Adrianus quoque II. interdictum minatus est, Carolo Caluo, ni relinqueret Lotharij regnum, filio ipsius LVDOVICO fruēdum. Et Paschalis LVDOVICVM Crassum, quia clerum affligebat excommunicauit.

Aymo. lib. 4. c. 24.

Sed & per Episcopos idem factum. Nam S. Germanus Parisiensis Episcopus Heri-

Reges Frāciæ per Episcopos

excommunicati. Rheg. lib. 7.

bertum Parisiorum regem, Lotharij filium, ob iniustũ diuortium, & incestas cum Merophleda ancilla nuptias, excõmunicauit. LVDOVICVS Crassus, quòd in ordinem Ecclesiasticum sæuiret, bona eius sibi vsurpans, se inconsulto Episcopos & Abbates eligi nolens, à Stephano Parisiensi Episcopo est excommunicatus. Vnde cum ab Honorio Rom. Pontifice absolutionem obtinuisset, eam D. Bernardus scriptis ad Honorium literis improbauit. Nicetius quoque Treuerensis Episcopus Clotarium regem *pro inuisis sæpe operibus excommunicauit*, ait Gregorius Turonensis in vita patrum Gallicorum.

Bernard. Epist. 46. ad Honor.

Cap. 17.

Quî enim id non fieret, cum sicuti obseruatum ab eodem SIXTO V. summo Pontifice, in graui illo suo sermone sapientissimè est, Princeps non vnius regni, vt Franciæ Rex, sed orbis dominus, clarissimus imperator Theodosius, cui Gallia, Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Græcia, Asia, Syria, Ægyptus, Africa seruiebant, cuius tot in Ecclesiam pietatis merita, tot datæ diuinitus victoriæ erant, ob vnius cædis Thessalonicæ factæ crimẽ, à Pontifice, non vniuersalis Ecclesiæ, sed priuato Me-

SIXTI V. Pont. obseruatio Romæ in consistorio mense Ianuario, 1589.

diolanensis vrbis Ambrosio, anathemate percussus, paruerit vltro, & se restitui Ecclesiæ omni obedientia, officio, ac summissione fategerit?

Qua in re si quid nostris quondam Francis fuit, quòd inconcussa Regum, qui tum erãt, fide atque pietate freti, nõnihil succẽserẽt, & ne vltra anathema procederet impedirent, nobis hodie tanto studiosiùs, vt sua ei plena in Gallia virtus atque authoritas sit, danda opera est, quanto molestius est, in hæc tempora incidisse, qualia nec viderunt maiores nostri, & in quibus, nisi id fiat, summum Ecclesiæ Christianæ periculum immineat. Accedit quòd vbi publica regni, vt nunc fit, vota conuenerint, tum nihil est, quòd quisin eo, nisi se de perditissimorum hominũ genere esse fateatur, possit succensere.

Anathematis in regem in Gallia necessitas nunquam maior.

Henricus non fuit absolutus.

Cap. 38.

Alterum sequitur, vt quia absolutũ fuisse Henricvm dicunt, vi priuilegij scilicet, quod ei datum esset confessarium eligendi, qui eum de quouis delicto, etiam reseruato absoluere posset, id quàm vanum

sit, explicemus. Primùm enim suspecta valde, nec tam facile credenda huius Breuis commissio est. Qui enim tot mendacia fecit, qui tam sæpe summo Pontifici imposuit, cur ei in re tanta tam facile & liberaliter credatur? Nam & de impetrata Suessionẽsi absolutione, simile quid antea audiuimus. Quòd tamen non ita esse, nec ab Apostolica Sede impetrari potuisse postea accepimus. Sed vt verum ac minimè ficticiũ priuilegium illud sit, absolutum tamen nõ esse constanter asserimus.

1 Primùm, quia vt anathemate à iure (quale contraxit HENRICVS) solutus quis dici possit, cum illud in vtroque foro & interiori & exteriori liget, vtriusque absolutionem obtineat necesse est. Porro sine præuia aut saltem adiudicata satisfactione parti lęsæ, exterioris fori solutio nunquam datur. Sed neque etiam interioris. Cum de satisfactione igitur HENRICVS ne cogitarit quidem, quomodo absolutus dici potest?

C. Nuper de sent. excom.

2 Sed nec perseuerãti in delicto, vnde contractũ est anathema, absolutio dari potest. HENRICVS verò in detentione illustrissimi Cardinalis Borbonij, & Lugdunensis Ar-

chiepiſcopi (quæ iuſta ipſa per ſe excommunicationis cauſa eſt) & aliorum, fracta publica fide interceptorum, perſeuerat.

Adde quòd contra mentem committẽtis non poteſt intelligi commiſſio, nec in eo abſoluendo valere illa poteſt, ad cuius abſolutionem ipſe delegans probabiliter non fuiſſet commiſſurus. Valet nempe in eo regula iuris, ne in generali conceſſione veniant illa, quæ quis in ſpecie non eſſet veriſimiliter conceſſurus. Sed & in canone habetur generalem commiſſionem Legato à Papa factam non extendi ad cauſas fidei. At in iſtis criminibus HENRICI Aſſaſſini, percuſſoris Cardinalis, fautoris hæreſeos, ſimoniaci, ſacrilegi &c. quæ probabilitas eſſe poteſt, ad hęc ſummum Pontificem ſuo illo Breui cõmitttere voluiſſe? 3

C. in generali de reg. Iur.

16. q. 1. Confrater.

Sed & generalis regula eſt, priuilegia ceſſare in fidei cauſa. Certe Gregorius XIII. declarauit poteſtatem abſoluendi in Iubileis aut Breuibus datam ad hæreſim non extendi. Quid ſi ergo HENRICVS eſt hæreticus (vt antea probatum eſt) qualiter abſolui Breui illo poteſt? 4

Præterea conſtat, licet in Iubilæis & Breuibus quidam tantum nominatim caſus 5

C. ad audientiam. de cleric. non resident.

excipiantur, non desinere tamen extendi exceptionem ad alios similes casus. Multo ergo magis extendetur ad casus grauiores, quales sunt de quibus hîc agitur.

6 Sed neque contra ius commune & constitutiones conciliares intelligi priuilegium potest. Neque de peccatis committendis, quæ quis in mente habuerit, sed commissis. Alioqui hoc esset peccandi libertatem dare, & proprio gladio Ecclesiá iugulare.

7 Amplius nec specialiter à Papa delegatus absoluere potest, nisi posita per eum qui absoluendus est cautione, quòd mandatis Ecclesiæ sit pariturus. At HENRICVS nec cautionem dedit, nec paret Ecclesiæ, retinens in carcere Cardinalem & Archiepiscopum Lugdunensem.

C. ad hæc. de sent. excom.

8 Adde quòd priuilegium istud, de occultis intelligi debet, non verò de manifestis. Nec dat iurisdictionem in foro contentioso, qualis hîc necessario requiritur.

9 Quin etiam qui pluribus excommunicationibus subiacet, absolutus non censetur nisi de singulis absoluatur. At HENRICVM pluribus excommunicationibus teneri dictum antea est.

C. cum pro causa. de sent. excō.

Qui cum Henrico stant & præliantur, omnes quoque excommunicati. CAP. 39.

EX quo fit vt cum par ratio eorum iuxta apostolum sit, *qui* crimen *faciunt, & qui consentiunt facientibus*, pariter quoque in eos, qui ab HENRICO stãt, quique vel in eius castris præliãtur, vel eius causam quomodocunque promouent, anathematis fulmẽ desæuiat. Hinc illa in sacris canonibus tã expressa in eos qui talibus cõmunicãt verba. Quale illud B. Fabiani Põtificis ac martyris vetustum atque authenticum decretum est. *Sicut* (inquit) *Apostoli statuerũt, dicentes cum excõmunicatis non esse communicandum, si quis cum excommunicato, auertendo* regulas (ideſt canones contemnendo) *scienter, saltem in domo, simul locutus fuerit, vel orauerit, ille communione priuetur*. Et illud Calixti. *Excomunicatos quoque à sacerdotibus nullus recipiat, ante vtriusque partis* (ideſt excommunicantis & excommunicati, ne scilicet iniusta fortè excommunicatio sit) *examinationem iustam: nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet. Nec aue eis dicat. Quia quicunque in iis vel aliis*

Rom. 1.

Rom. 1.

11. q. 3. Sicut Apostoli.

prohibitis, scienter excommunicatis communicauerint, iuxta Apostolorum institutionem & ipsi similiter excommunicationi subiacebunt. Et in Consilio Carthaginensi. *Qui communicauerit vel orauerit cum excommunicato, si laicus est excommunicetur, si clericus, deponatur.* Sed & id grauius rursum, quòd communicare cum sacerdote, qui cum excommunicato communicasset, sub eadem anathematis pœna vetat Gregorius. Vt parem omnino excõmunicati, & eorum qui cum eo sunt, causam ac rationem esse intelligas.

Ibid. Rogo & moneo.

Quæ si quis tum vera esse obiiciat, cum sacerdotis, vel Pontificis voce anathema pronunciatur, non verò cum reatus occultè tantum incurritur, quid futurum illis quod respondeant tandem erit, cum scriptum audierint, sic excommunicatum esse facto, vt *nulla tenus alia seu diffidationis seu excommunicationis sententia requiratur?* Quòd cũ in percussores per Assassinos dictũ sit, id profecto sequitur, non tantùm qui HENRICO fauẽt milites, sed & qui ab eius parte stant Episcopos, & anathema incurrisse, & dignitate omni, iure ipso excidisse. Non enim si compedes aureos habent, propter quos discedere se posse negant, propterea

Ibid. audi denique.

De homicid. in 6. Pro humani.

Compedes aurei politicorum.

minus aut anathematis fulmẽ in eos desæuire, aut reos coram Deo atque hominibus esse credendum est. Scilicet eos qui iudicent, fratres Capuccini erunt, qui vt terrena ista mole vacui erant, ita prudenti vsi consilio, statim audito scelere, petenti HENRICO communionem denegarunt, & eo relicto abierunt.

Quòd facilis esse in Henrici crimina *Apostolicæ sedis gratia non debuerit, aut etiam debeat.* CAP. 41.

SEd ne quis perperam quid, aut seuerè nimis in tam sacri capitis damnatione a sede Apostolica factum esse, aut fieri etiam posse criminetur, quàm minimè hîc remissa illa indulgentis animi facilitas locum habere debeat, vel ex vno, & ipso Gallici ingenij patre Bernardo, in vna percussionis clericorum causa intelligendum est. Vt cum cætera illa, quæ diximus, in HENRICO occurrerint, tanto æquior ista, tot congestis criminibus, seueritas appareat, quanto acrius eam, in crimine vno sancti viri non tam postularunt, quàm importuno flagitio extorserunt, Hęc quippe illa eius ad Innocentium tertium Pontif. verba, cum ille

Henr. Sacrum caput.

de cæde Thomæ prioris sancti Victoris aduersus Theobaldum Noteriũ authorẽ, & Ludouicum Crassum dictatorem sceleris quereretur.

Bernard. Epist. 158. *FERA pessima* (inquit) *quæ deuorauit Ioseph, canum nostrorũ* (id est prædicatorum) *importunitatem non ferens, ad vestræ dicitur defensionis auxilium confugisse. In quantam misera deuenit amentiam, vt vaga, & profuga, & tremens super terram, illuc potissimum fugam inierit, vbi plus timere oportuit? Sceleratissime, tu summæ æquitatis sedem putas esse speluncam latronum, aut cubile leonum? Tu filij recentem adhuc cruorem ore rabido, ac ferali spumans & masticans, fugis ad sinum matris, patris audes apparere conspectibus?* Deinde exponens qualiter admittendus sit, vt pœnitentiã scilicet accipiat, nõ vt suã causam agat, aut deffendat, aut etiã pœnã euadat, adiũgit. *Si pœnitentiam* (inquit) *petat negãda ei non est. Quod si audientiã, accipiat illam si placet, quã*

Exod. 32. Num. 15. 1. Mach. 2. Act. 5. Matth. 21. *vel Moyses indulsit populo ante conflatile curuanti genu, vel Phinees fornicanti Israëlitæ, vel Mathathias Dæmonibus immolãti: vel certè vt vobis de vestris aliquẽm proponamus, quam à B. Petro Ananias, & Saphira meruerunt: quam denique audientiam dedit negotiãtibus in templo Saluator.*

Nonne vox sanguinis fratris tui clamat aduersum te de terra? Credimus & nostri martyris Spiritum, quem nouissimè diebus istis tua crudelitas morti dedit, cum cæteris animabus interfectorum, voce valida sub altari clamare, & flagitare vindictã, eóque instãtius, quo recentius ipsius sanguis effusus est super terrã. Et paulo post. *Si ergo iste, qui causa, qui incentor, qui etiam exitiit & dictator facinoris, si is inquam impunè ferat (quod vtique mira impudentia de vestra Apostolica authoritate præsumit) quanta putamus impunitas ista in Ecclesia parturiet puniẽda?* Et paulo infra. *Atque ita quid Christianæ legi & disciplinæ, quid reuerentiæ sacerdotali, quid denique diuino timori relinquitur, si metu potẽtiæ sæcularis, nullus mutire iam audeat contra insolentiam aulicorum? Quid enim insolentius, quidue indignius in Ecclesia esse potest, quàm vt sibi quisque Ecclesiasticas vendicet dignitates feritate armorum, non morum probitate?*

Sanguis martyrum vindictam clamat.

Impunitas multa parit punienda.

Idem D. Bernard. ad eundem de Archebaldi Subdecani Aurelianensis cæde conquerẽs. *Vox*, inquit, *Archebaldi Subdecani Aurelianensis inualuit. Nam ecce (proh dolor) iuxta Prophetam sanguis sanguinem tangit, & simul iuncti fortius clamant ad vos de Francia. Clamat, inquã, & vociferatur vterque sanguis, cla-*

Epist. 161.

Osee 4.

„more tam valido, vt valeat ipsum quoque pala-
„tium cœleste concutere: tam pio, vt saxea pectora
„debeat emollire. Quid facis amice sponsi, custos
„sponsæ Christi, pastor ouium Christi? Putasne suf-
„ficies excogitare remedium, quod huic obuiet pesti
„tam nefandæ, tam inauditæ? Id sane necesse est in-
„ueniri, quod & recenti Ecclesiæ vulneri impræ-
„sentiarum medelam afferat, & posteris valeat ad
„cautelam. Ergo accingere gladio tuo super femur
Psal. 44. Psa. 105. „tuum potentissime. Si non steterit & nunc Phi-
„neés, & placuerit, non cessabit quassatio

Quin potius iisdem verbis SIXTVS V. Pontif. Max. HENRICVM compellare possit, quibus olim Innocent. I. Imperatorem Arcadium ob Iohannem Chrisosto. Constantinopolitanum Patriarcham, non occisum, sed in exilium missum.

Niceph. lib. 13. cap. 34. *Vox fratris mei Iohannis* (nunc LVDOVICI Cardinalis) *clamat ad Deum contra te* (ô Impe-
„rator) *sicut quondam Abel iusti contra parici-*
„*dam Cain. Et is modis omnibus vindicabitur.*
„*Persecutionem magnam aduersus Deum & Eccle-*
„*siam eius concitasti. Eiecisti e throno suo* (at HEN-
„RICVS, occidit) *re non iudicata, maximũ totius*
„*Greciæ* (nunc vero Gallię) *præsulẽ, & vnâ cum*
„*eo Christum persequutus es. Itaque ego minimus*
„*& peccator cui thronus magni Petri Apostoli*

creditus

creditus est, segrego & reijcio te à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri. Epiſcopum etiam aut clericum ordinis ſanctæ Dei Eccleſiæ, qui adminiſtrare aut exhibere ea vobis auſus fuerit, dignitate ſua excidiſſe decerno. Arſatium, quem pro magno Iohanne in thronum Epiſcopalem produxiſtis, etiam poſt obitum exauthoramus, vnâ cum omnibus, qui conſultò cum eo cummunicarunt, Epiſcopis. Cuius etiam nomen ſacro Epiſcoporum albo non inſcribatur. &c. apud Nicephorum. Quæ ſi tam ſeuera in eos ſententia fuit, qui electori pontificis communicare, auſi eſſent, quid de iis futurum, qui fauere interfectori, qui crimen probare ac tueri non verentur? Et ſi in vita functos anathema dictum propterea eſt, quomodo id viui effugient, quod nec mortui euitare potuerunt?

Etiã poſt obitum ſceleris probatores damnati.

Atque hæc Henrici criminum, quæ ad Eccleſiæ iudicium ſpectãt, capita ſeu categoriæ extiterunt. Quæ ſingula quid valeãt, quia expoſuimus, de iis quæ Remp. contingunt ſequitur vt dicamus.

Libri ſecundi finis.

DE IVSTA HENRICI TERTII ABDICATIONE E Francorum regno, Liber Tertius.

Seu de causis legitimis, quæ Remp. spectant, Henricum iij. abdicandi.

CAP. I.

HIC iam nouæ occurrunt, & vel è sola natura petitæ, contra Henricum querimoniæ, vt etiamsi anathemate ferire eum Ecclesia distulerit, imo etiam si pœnitentē absoluerit, habeat, tamen Respub. quod in eum animaduertere, quódque adeo iniurias in se, & præteritas vlcisci, & futuras propulsare suo iure possit. Perinde videlicet vt in latronibus, homicidis, falsariis, & aliis sceleratis accidit, quos quantumuis, ab Ecclesia absolu-

Ius Reip. etiam citra anathema. Henricum abdicandi.

tos non desinit Respub. debitis castigare suppliciis. Neque id quidem sine causa. Quia in iis quæ ciuilia crimina sunt, vt culpam absolutio tollat, non pœnam tamen aufert, cuius penes Remp. irrogatio semper suo iure manet, vel in Sacerdotibus ipsis exigēda (exauthorati ab Ecclesia modo, & permissi iudicibus extiterint) si quid abiis contra Rēp. aut ciuiles leges cōmissum sit. Quominus ponderanda isto loco regis vnctio est, ne castigetur, néue quod iustum est patiatur, quāto minor illa quàm Sacerdotum, vt pluribus infra dicendum est, æstimari debet. In HENRICO verò tanto maior huius rei causa est, quanto plures eius sunt, & grauiores in Rempub. offensiones. Quas nos sanè ad octo capita referamus. 1. Quòd publicam fidem violarit. 2 Quòd maiestatē Reipub. ac Regni læserit. 3 Quòd regni opes dissiparit atque decoxerit. 4 Quòd Tyrannus. 5 Regno inutilis. 6 Hypocrita. 7 Vitiis omnibus infamis. 8 Denique proprio ore non semel damnatus sit. Quæ nos propterea singula ordine exponemus.

Absolutio culpam, non pœnā aufert.

Vnctio regis minor quàm sacerdotis.

Ciuilium Henrici criminum capita. 8.

QVOD HENR. FIDEM PVBLICAM VIOLARIT.

Crimen primum.

Fidem publicam violare quale crimen sit. CAP. 2.

Fides quid. Offic. 1. Vnde dicta.

FIdem, quam *dictorum conuentorúmque constantiam & veritatem* definit Cicero, dictam ex eo esse, *quòd fiat quod dictum est*, vetus eiusdem ac recepta dudum interpretatio est. Quæ cum alia publica sit, quæ à Repub. vel principe alicui vel Reip. aut principi, aut etiam priuato datur, alia priuata, quæ priuatim est hominum inter ipsos, vtranque violare, ac publicã præcipuè, quàm graue crimen sit, viderunt dudum illi, qui istud aut cum periurio idem, aut ad criminis grauitatem par esse iudicarunt. Seu quòd ad fidem publicam intercedit sæpè iuramẽtum, quod simul cum illa violari necesse sit, seu quòd quæ in publicum fraus fieri solet, ad insignem quoque Dei, qui publico præest, & in cuius manu regna omnia sunt, iniuriam crederent pertinere.

Perfidiam cum periurio idem esse olim persuasum.

Pœnæ violatæ fidei

Hinc illa diuinitus in fidei publicę viola-

tores facta iudicia, cuiusmodi illustre in Pharaone exemplum fuit, quem populum Hebræum, violata ea, quam de libero dis-ceſsu dederat, fide, armis infestis petētem, maris vortices, vltore ac vindice Deo, in-uoluerunt. Nec maledictionem Iacob euaſerũt Simeon & Leui, quòd (licet iusto do-lore incitati) Sichem & Hemor cum omni populo eorum, contra fidem datam, truci-dassent & deprædati essent. *Maledictus* (in-quit) *furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam in Israël.* Sed & nota Achitophelis hi-storia, qui quòd fidem Dauidi datam vio-lasset, manu propria se suspendēs, dignum perfidiæ supplicium luit. Nec aliunde iusta Dauidis in Hanonem Ammonitarum re-gem ira, vt bello eum opprimeret, vt re-gnum eius vastaret, quàm quòd legatos consolationis ergò à se missos, ille barba semirasa, vestibúsque ad nates vsque præ-cisis, insigni contumelia affectos remisisset, iúsque, in eo gentium ac publicam fidem violasset. Idem expertus Antiochi militiæ dux Andronicus, qui quòd datis securita-tis dextris, Oniam sacerdotem è præsidio ac munimento, quo se continuerat, egre-

exempla sacra. Pharaō. Exod. 12.

Simeon & Leui. Genes. 34.

Genes. 49.

Achito-phel. 2. Reg. 17.

2. Reg. 10. & 11. Hanon Ammonita

Andronicus. 2. Macch. 4.

dientem occidisset, iussu postea Antiochi purpura exutus, & per totam ciuitatem circunductus, eodem loco, quo sacerdotem occiderat, Deo iudicium suum, vel per nequissimum hominem exercente, vita priuatus est.

Cleomenes.

Nec minus insignia, vel inter Ethnicos, diuinæ vltionis in tales homines exempla extiterunt. Eiusmodi illud Cleomenis, Lacedæmoniorum non iam regis, sed Tyranni fuit, qui post occisos per fraudem custodes Reipub. Ephoros, cum datas Argiuis septem dierum inducias tertia nocte violasset, & nec opinantes oppressisset, quòd se non noctium, sed dierum inducias fecisse diceret, victus à cæsorum mulieribus, atque inde in furorem versus, ridens cachinnánsque accepto cultro à plãtis pedum ad partes vsque corporis vitales seipsum dissecuit. Notandáque illa Agesilai in Asia contra Tisaphernem Persam belluni gerentis vox. Nam cum factas trium mensium inducias Tisaphernes violaret, & in Græcos imparatos irrueret, cæteris stupẽtibus, lætitiam præ se ferens Agesilaus. *Gratias* (inquit) *habeo Tisapherni, qui sua perfidia Deos sibi hostes, nobis verò socios fecit. Securi er-*

Plutar. in Apophth.

Tisaphernes.

Polianus lib. 2.

go prælium ineamus, qui tam bonis sociis freti sumus. Atque ita excitatis suorũ animis, collatis signis perfidum fudit ac fugauit. Certè Alexandri perfidiam in Callisthenem, quem occidit, vsque eo execratur Seneca, vt quoties occisa Persarum ab eo millia, victus Darius, terminatum Oceano imperium, superati virtute reges omnes ad eius commẽdationem proferrentur, totiesopposita Callisthenis cædes laudem hanc esset oppressura. Alexander. Lib. 6. Natur. quæst.

Sed & hæc causa euertendæ Romanorum armis Corinthi fuit, quòd eorum legatos Corinthij sordibus perfudissent. Expertus quoque & pœnam hanc Ptolemæus Ægypti Rex, cui nomen Ceraunus, idest fulmen fuit Qui Cassandriam Thraciæ vrbem munitissimam, in qua eius soror Arsinoë erat, expugnare non valens, cum data pacis fide, modo ei soror nuberet, vrbẽ ingressus, omnia cæde impleuisset, à Gallis postea victus, & capite cæsus, eodem hastæ affixo, passimque ad terrorem circungestato, vt perfidos diuina vltio maneat, edocuit. Idem propè accidit alteri Ptolemæo, cui nomen Dionysius, qui quòd in Pompeium, tutorem olim suum, atque de se op- Corinthij. Strabo lib. 8. Ptolemæus Ceraunus. Polyb. Ptol. Dionys. Appian. & Dion.

timè meritum, eius se fidei credentem obtruncasset, vltore Pompeij vel ipso hoste Iulio Cæsare, ingenti bello victus, Nili fluuij vndis fugiens absorptus est. Nec omittenda Diodoti, cognomento Tryphonis, Syriæ tyranni, digna fidei violatæ pœna, qui cum occiso Antiocho, Alexandri Regis Syrire filio, regnum occupasset, ac Ionatham Macchabæum, pacis specie, data fide, Ptolemaidē ingressum obtruncasset, Apameę ab Antiocho Sedete obsessus, manus sibi violentas (vt refert Strabo) intulit.

1 Macc. 21. Ioseph. Appian.

Id quoque perfidię merito consequutus est Pœnus Annibal, vt quia fidē non aliter seruare, quàm cū sibi vtile erat didicisset, ne hominem quidem, qui se ei credere vellet, victus ipse ac profugus reperiret. Vt quantumuis ille bello clarus, ac strenuus, & Romanis inimicus esset, hunc tamen Antiochus Syriæ rex, neque in consilium adhibere, neque suæ contra Romanos militiæ præficere, neque monitis eius, quantumuis vtilibus, credere aut obtemperare auderet, quòd sibi à perfido homine, si quid ei succesisset, semper metueret. Cui digna tandem perfidiarum hæc pœna fuit, vt victo à Romanis Antiocho, ad Prusiam

Liuius lib. 35. & 30.

Fides Punica Pœno Annibali exitiosa.

Bythiniæ regem confugiens, hominem æquè sibi perfidum, &, vt dicitur, Cascus Cascum reperiret. A quo iam iam Romanis tradendum se intelligens magnis querelis atque imprecationibus in alio perfidiam, cuius ipse exemplum dederat, execratus, hausto, quod secum ferebat, veneno miserè interijt. Nec minus digna perfido homine Bassiani Caracallæ pœna, qui cum Augarum Ostreniorum regem, amicitiæ ergò ad se venientem carcere inclusisset, ac regno priuasset, Artabanum quoque Parthorum regem, cuius ille filiam in vxorem sibi magnis promissis ac muneribus ambierat, ipse in Parthiam nuptiarum prætextu veniens, obuiam sibi prodeuntẽ, & in amplexum ruẽtem, inermem ac nihil tale de genero suspicantem, armato milite subito oppressisset, à Macrino præfecto suo, cùm aluum exoneraret, est interfectus. Idem expertus Syphax Numidiæ Rex, cùm Sophonisbæ Carthaginensis mulieris illecebris occupatus, datam Romanis fidem temerasset, & se Pœnis adiunxisset, victus ipse à Scipione, ductúsque Romæ in triumpho, regno, quod ad Masiniſſam fidelem & constantem magna exparte translatum est, priuatus, ac vita miserè functus.

Bassianus Caracalla. Herodian. lib. 4.

Syphax. Liuius. lib. 29. & 30.

Commi-nius lib. 7. c. 78.

Car. Burg. perfidus a perfido proditus.

Alex. Borgia cap. 24. princ.

Stilico Ruffinus Eduard. 2. Adgl.

Sensit & Carolus Burgundionum dux (vt quæ propiora sunt nostris referamus) cum præter fidem tradito in Ludouici XI Francorum regis manus sancti Pauli comite, qui & ab eo cæsus capite est, ipse vno & altero prælio ab Heluetiis præter morē victꝰ, demum Campobacchij Itali, cui se ille crediderat, fraude, à Lotharingiæ duce ante Nanciacum, quod ille obsidebat, subita facta eruptione est interfectus. Accedit iis Alexandri Borgiæ, quam Tyrannis pro exemplo Machiauellus proponere non erubuit, digna cædes, cum ille quatuor duces, Vitellosum, Oliuerottum, Pagonum & Vrsinum, sub pacis specie circumuentos, perfidè strangulasset. Quibus si Stiliconis in Honorium, Ruffini in Arcadium, si Eduardi II Anglorum regis in suos, si aliorum ex eodem genere hominum funestum ac perfidis dignum interitum adiunxeris, abundè erit, quòd scelus id execrari, ac vindicem Deū è vestigio ad futurum possis iudicare.

Violatores publicæ fidei cur Regno indigni. Cap. 3.

SEd nos quia in hac causa quod humanum est meditamur, & quid hominibus in homines, qui scelus id commiserint, liceat inquirimus, quænam illa sint profectò, quæ regno indignos ac priuandos, qui tales sunt esse probent, hoc loco proferamus.

Occurrent igitur imprimis illa, quæ publicam fidem commune societatis humanæ vinculum esse, à sapientissimis, partim è media gentilitate, partim etiam nostris hominibus dicta, dudum esse docuerunt, vt qui illam fregerit, cum neviuere quidem dignus sit, qui id per quòd viuitur de medio sustulerit, multo minus dignus sit aliis imperare, alienæque, imo omnium vitæ & mortis potestatem habere. Eiusmodi sunt illa, quòd *commune omnium presidium*, quòd *iustitiæ fundamẽdum*, quòd *nihil esse quod Rem pub. vehementius contineat*, Tullius ait. Et quòd Plato *eam firmitatẽ, veram sinceritatem, veram philosophiam vocat*. Et quòd Valerius max. *Venerabile fidei Numen ac certissimum humanæ salutis pignus esse dixit*. Et quòd propterea veteres, vt venerandam ac seruandã fidem homines docerent, publicæ Fidei (si Halicarnasseo credimus) templum cõ-

1 Fides commune societatis humanæ vinculum.

Pro Sexto Roscio. offic. 1. 2. de diuinat. Plat. Epist. 10. Valer. lib. 6 in princip. Halic. li. 2.

Lib. 1. & lib. 24. secrarunt. In quo (vt Liuius refert) fœdera, iuduciæ, pacta, & alia similia publicè iurabantur. Quæ qui violasset, eius caput Diis manibus sacrum erat. Scitúmque est quod Cyprianus ait, *nihil esse, quod in vita geri possit, nisi credulitas præcesserit. Quòd sine ea nec matrimonia contrahi, nec pueri discendis artibus tradi, nec imperij insignia suscipi, nec semina terræ spargi possint.* Quod denique ait Cyrill. Hierosolym. *Fidè omnia humana negotia consistere, non apud nos tantum, verum etiam apud eos qui sunt extra.*

In Simb.

Catech. 5.

Perfidus ad contrahendum inhabilis.

2 Amplius est quòd qui fidei naufragium fecit, ad contrahendum nisi per fideiussorem omnino sit inhabilis. Ex quo fit, vt cum perfido principe conuentio nulla esse possit, qui nec fideiussores habet, nec si adsint, qui cogat, aut repetat, aut omnino in eos iure agat vllus sit futurus.

Regum existimatio necessaria.

3 Accedit illa in principibus & regibus necessaria existimatio, ne si illam semel abiecerint, quod Annibali ad postremum vsque exitium contigit, nulla his deinceps, nonmodo cum exteris, sed ne cum suis quidem agendi spes aut securitas reliqua sit. Quæ cum rege indigna sint, fit vt ne regio quidem nomine dignus sit, qui fidem

temetendo id ipsum præstiterit.

Accedit & periculum ne si sæpius fallere perrexerint (quod in semel perfidis fere fit) quæ maxima regum ac regnorum pestis est inde consequatur, vt & ipsi odio habeantur, & eorum exemplo ad fallendum, fidémque de medio tollendam reliqui inuitentur. Cum scilicet id sibi quisque priuato licere existimet, quod principem in publico facere non puduerit. Vnde illa humanitatis omnis in Repub. subuersio, vt id accidat, quod Poëta ait,

4 Principis perfidia pessimum ad imitandum exẽplum.

Non hospes ab hospite tutus.
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est. Metam. 1.

Et quod ait M. Aurelius. *Nihil in mundo calamitosius esse, quàm cum fides ab amicis violatur, sine qua virtus nulla secura esse potest.* Dion in Marco.

Adde quòd cum rege publica fides necessariò coniuncta est, vt ne Rex quidem sine ea esse possit. Pẽdet enim id ex mutuo contractu illo, quo Rex populo fidem suã, huic vicissim suam populus obligauit. Mutúmque adeo promissum est, vt dum populus summum ei imperium defert, & vt in publicum commodum vertat obtestatur, id vicissim princeps facturum se reci-

5 Rex sine publica fide esse nõ potest.

piat, ac iuramento firmet, tanto existimationis studio, vt fidei nomine ac laude nihil antiquius reges habere videri perpetuò velint. Vnde illa promissi *in verbo regis*, ac *fide regis* maiestas & superciliū, quod illi vt ineluctabile fundamentum, ac testimoniū omni exceptione maius esse volunt. Ex quo fit, vt qui fidem illam semel abiecerit, ei reliquum nihil sit, quo regis nomen tueri iure possit, vt ob id titulo isto merito sit priuandus.

Verbi regis ac Fidei regis superciliū.

Denique cum vnicuique à natura concessum sit, vt se suáque omni ratione in tuto collocet atque constituat, neque verò tutò in perfidi manu esse possint: sed neque etiam dici possit, quod cuilibet è multis licet, id reipub. vniuersæ nō licere, nulla ratio esse potest, propter quam hunc respub. pro principe habeat, cui semel perfido, ne priuatus quidem quisque fidem iure sit habiturus.

Henricus vt publicam fidem violarit. CAP. 4.

1 AT HENRICVS publicam priuatámque fidem vt læserit, cùm aliàs sæpe, tum in hoc præcipue crudelissimi parricidij cri-

mine apparuit. Fecit id aliàs, cùm promissam, Carolo fratri strenuè obeũdæ contra Rupellanos hæreticos militiæ, fidem fregit, cum eius pecuniam furtim dissipauit, fidelissimos regis ministros ac fortissimos Ecclesiæ pugiles morti certissimæ, ignauus ipse obiecit. Denique turpissimum fœdus cum fractis, & iam iam cessuris hostibus, numerato, quod plus quam religionem sitiebat, auro pepigit. Atque ita regis ac regni imo totius Ecclesiæ spem nequissimè eluſit ac fefellit.

Perfidia in Carolũ. 9.

Fecit id extra Galliam cordatæ & illustri Polonorum genti, & quidem de illo tam optimè meritæ, quàm de illa ipse pessimè meritus est, cum præter fidem sanctissimè datam, occupatis expectatione celebritatis exequiarum Caroli fratris omnium animis, nocte intempesta, paratis ad cursum equis, per posticum transfuga leuissimus erupit. Sequentibúsque à tergo Polonis, atque inde fidem datam, inde procerũ regni ac populi vniuersi turbationem atque offensionẽ, hinc nobilium Gallorum, quos in Polonia reliquerat certissimum periculum proferentibus, pro omni responso reuersurum se deierans, data etiam

2. Fides Polonis fracta.

prouincia, sua negotia, interim dum reuertitur, procurandi, montes aureos pro ista tam fideli sollicitudine promittens, fidem quam denuo falleret, sublato è digito suo
3 annulo, iterum dedit.

Fecit in Galliam reuersus, cùm datam in
4 vnctione de expurgando ab hæresi regno
5 fidem non seruauit. Fecit cum publico nomine acceptam è domo vrbis pecuniam non exoluit. Fecit cum priora comitia,
6 Blæsis anno 1576. facta irrita fecit, & pacta
7 iurata neglexit. Fecit cum edictis in hæreticos factis, vt contrarium à iudicibus fieret, occultis literis, artibus, gratiis, exemptionibus, & aliis eiusmodi procurauit.
8 Fecit denique in omni conuersationis ac vitæ progressu, cùm nullum omnino, quod ille cum vllo hominum genere (Anglicanum & hæreticum solum excipimus) pactum aut conuentionis genus feciſſet, vsquam seruauerit. Cum hæc ars illi perpetua fuerit, verba dare omnibus, & cum eluſiſſet, affatim ridere & cachinnari.

Henricus cum solis hæreticis pactum seruat.

Henrici ars verba dare omnibus.

In postremo verò isto actu tam fœdè id patrauit, nihil vt huic sceleri ad perfidiæ exemplum addi potuisse videatur. Cùm quicquid humanæ fidei esse potest, hîc in

omni

omni parte sua violatum insigniter appareat. Fidem hominis dederat, vt quod auxilium posset, homo hominibus daret. Fidem amici dederat, vt officium omne exhiberet. Fidem patris dederat, vt filiis subueniret. Fidem fratris dederat, vt fratribus natura æqualibus, solo instituto & conuētione hominum inferioribus opem ferret. Fidem pastoris dederat, vt oues protegeret, & in pascua deduceret. Fidem medici dederat, vt ægras partes sanaret, vt remedium adhiberet. Fidem denique Regis dederat, vt subditos tot malis fessos ac penè exanimes recrearet. At qui se pro homine pessimam feram, pro amico insidiatorem, pro patre carnificem, pro fratre hostem, pro pastore lupum, pro medico homicidam fecit, pro rege denique sicarium ac latronem exhibuit, quid fidei esse potuit, quod non ille perdidissimè ac nequissimè violarit?

Henrici perfidia quàm multiplex.

Denique id eo principe atque duce contigit, vt quod consequens necessariò erat, quotquot ei se addicerent, periuri ac perfidi publicè essent. Vt fere nō ab aliis quàm qui à catholicis detenti primùm, mox, iurata sanctissimè vnionis Gallicanæ fide di-

Henrici serui, instar domini, perfidi fere, ac periuri omnes.

missi sunt, bello iidem opprimantur, nullá-que à quoquã atrocior iniuria, oppidis interceptis, vastatis cæde, incẽdio, rapina agris, quàm ab istis perfidis, perfido vtique HENRICO domino atque duce dignis, illata sit.

Henricianæ perfidiæ exaggeratio.

CAP. 5.

OBstupescat cœlum, & quod in Gallia futurum nulla creditura fuit ætas, id in ea contigisse admiretur. Credibile hoc in Pœno, in Turca, in Tartaro aut Arabe extiterit (si tamen id in iis credi potest, qui violatam aut non seruatam sibi fidem, tam seuerè vindicare solent) at in Gallo, in Franco, in principe, in rege, in Christianissimo, atque adeo Valesio, quis vnquam, nõ Francorum dico, aut Christianorum, sed omnino hominũ credidisset? Notus quippe apud omnes dudum Gallorum & Gallici ingenij candor, vt quod aperti, simplices, teretes ac rotũdi, veraces atque ingenui sunt, ab iis interdũ taxẽtur vt leues, qui dissimulandi artẽ & veteratoriã calliditatẽ magnę prudentię loco esse putant, quíque quod scriptura damnat apertissimè, quæ

Gallici ingenij candor.

homines *duplices animo, bilingues, in corde & corde loquentes* execratur, id ſibi ſi ſuperis placet laudi ducunt. Nota & Francici nominis apud exteros atque infideles terror, vt Chriſtianum aut Chriſtiani nominis vindicem dicere ſi velint, non alio quàm Frāci nomine eum ſoleant deſignare. Sed & mendacium apud nobiles in Gallia tam olim turpe atque vile fuit, vt qui eo notati eſſent, viles, infames, abiecti, de nobilium numero eradendi vulgo dicerētur. Principis verò atque regis fides apud eos quàm ſancta ſit, publica docet audientium veneratio, cum vox ſemel loquentis in fide principis vel regis increpuit. Chriſtianiſſimi verò nomen vbi inſonuit, tum illud eſt neſcio quid, quod homines percellit quaſi attonitos, ne fides ei deſit, cui ſupra communem hominum naturam acceſſerit, vt tam inter fide Chriſtiana tinctos is excellat, quantum fide illa imbuti cæteris hominibus antecellunt.

Iac. 1. Pro. 8. Pſal. 11.

Francici nominis apud infideles terror.

Mendaciū Gallis nobilibus quàm olim exoſum.

Chriſtianiſſimi regis quanta veneratio.

At qui vno tempore iſta fregit, qui ſe doloſum, veteratorem, perfidum, manu altera ignem, altera aquam ferentem, mendacem, abiectum, vilem, barbarum, fœdiſſimo periurio, nequiſſimo parricidio, crude-

Henricus vno tempore vniuerſam Galliæ ſeu Francię laudem extinxit.

Henrici perfidiæ nihil simile à seculo visum.

litate plusquã barbara, exemplo certè tam horrendo, nihil vt ei vnquam simile à seculo auditum sit vel visum, præstitit, exhibuit, comprobauit, quid in eo reliquum esse potest, quo se Christianissimũ, quo Regem, quo principem, imo quo nobilem, quo Frãcum, ac denique Gallum ausit vẽditare? Aut quæ vlla Gallis, Francis, nobilibus, principibus, Regibus omnimodo Christianis occasio esse potest, huius vt partes tueantur, qui eos omnes diffamarit, cõspurcarit, fœdauerit, qui dignitate, splẽdore, honore, grauitate spoliarit, alga denique & luto, quantum in se est, viliores præstiterit?

Henricus omnium principum ac nobilium dignitatem fœdauit.

Fran. I. valesii fides & integritas. Ducatus Mediolanensis.

Senfit olim in Francisco primo (ne hoc vnum de genere eius taceatur) quid valeret fides Valesia Carolus V. Imperator, cùm vilius nobilissimo principi clarissimi principatus pretium quàm fidei suæ esset, & ditionis amplæ naufragium, quàm fidei pati mallet. Tam digna scilicet in auo rege, aduersus infensissimum hostem virtus, quàm turpis in nepote erga amicũ, propinquum, æqualem, vtriusque militiæ socium, quódque amplius est, vitæ, coronæ, ac dignitatis vindicem atque assertorem, perfidia.

Aui & nepotis antithesis.

vt quod ille ad Pyrrhum, stricto gladio imminentem, iam iam moriturus, & iusta indignatione plenus, patris virtutem filio exprobrans, Priamus dixit,

At non ille, satum quo te mentiris, Achilles Æneid. 2.
Talis in hoste fuit Priamo,---

non tantum hîc vsuueniat, sed & iustæ locum, vt querimoniæ, sic pœnæ esse oporteat.

Ad obiectionem, pro futura Henrici fide, Responsio. Cap. 6.

NOn enim nos hîc ea mouent, quę dicere nõnulli isto loco solent, parcendum iis qui offenderunt, neminem esse qui non peccet, futurum vt resipiscat, nec licere hominibus, quem Deus pœnitentem admiserit hunc repudiare aut abijcere. Pœnitere si quis neget, nos de iis quæ intra' hominem sunt, non posse iudicare. (Hæc enim sunt, quę Hẽriciani Politici modestissimè inter nõ suos, sed ineptissimè tamẽ effutiũt.) Non, inquã, nos hęc mouent, qui vt parcendũ nocentibus esse admittimus, ita permittendum esse vt amplius Reip. noceant constanter denega- Politicorũ vox.

Deut. 13. & 21. mus, & illud sacrum, *Auferte malum de medio vestri*, & illud, *Vtinam abscindantur, qui conturbant vos*, hîc etiam proferimus.

Sed & quod nemo est qui non peccet, id nos sic agnoscamus, vt priuatæ iniuriæ tolerentur, non publicæ condonentur, quin potius quæ regno, quæ Reipub. imminent mala penitus abscindantur.

Luc. 15. Iam vt resipiscere eum qui peccarit optandum est (quis enim quantumuis perditi hominis saluti cum sanctis angelis non gratuletur?) at qui publicam fidem læserit, quantumuis pœniteat, huic vt regnum cœlorum per pœnitentiam restitui posse confitemur, ita regnum hominum posse tã audacter hîc negamus, quàm ridẽda aliter sentientium inscitia, quàm ineptus scrupulus est. Quid ita verò? Quia per quos Regnum alicui iure datur, vel restituitur, aut etiam permittitur, his de merito eius constet, cui donatur, necesse est. Porro ad cœlorum regnum nihil publica est fide opus, cum ad id interior conuersio & charitas sufficiat, quæ vt homines lateat, Deum regni largitorem latere nõ potest. Hominibus verò (penes quos conferendi auferendiue regni ius esse probatum

Violata fide publica regnum cœlorum restitui potest, hominum non potest.

est) vt quis imperet, vsque eo publica fides requiritur, vt cũ ei qui ea careat imperium deferri sit nefas, non tantum quòd eo indignus sit, sed etiam quia id ei dari, periculosum reipub. sit atque iniurium: in eo porro qui eam violarit, nulla ratio esse possit, per quam constet fidem in illo esse posse, quia quàm certa eius perfidia fuit, tã incerta eius, quæ Deo soli nota est, resipiscẽtia sit, fit profecto, vt quod Politici proferunt, propterea nõ esse abiiciendũ, qui fidẽ violarit, quia quid deinceps in animo gerat ignoremus, tam iis inutile sit, vt nihil contra eos fortius occurrere possit, cum hoc ipso quòd in eius sensum penetrare non possumus, & quicquã hîc facere nisi certa accepta fide conscientia prohibeat, propterea quãtumuis verè pœniteat, imperiũ huic deferre nullo modo debeamus.

Henriciani Politici suo ipsorum gladio iugulati.

Nam deuotionem illi externam si proferent, ad alios nænias istas remittemus, qui toties larua ista elusi, quid hic veneni lateat experimento didicimus. Vt qui denuo fidem iis adhibendam putet, dignus sit, qui oculis, vt mentis, sic corporis priuetur. Cui scilicet Remp. semel periclitatam esse non sit satis, cum vulpem bis la-

queo non capi in prouerbio sit, verúmque sit illud tritum olim ex poëta adagium.

Pub. *Improbè Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.*

Machiauel. in hist. Cesar. Borg. *Non si debbe offendere il Principe edipoi fidarsi di lui.*

Sed & reconciliato Tyranno minimè fidendum esse, vel Machiauellus ipse docet. Vt nos scilicet eius, à quo tractati iniquissimè sumus, artibus ac telis hostem ipsum confodiamus. Ne si id inconsultè fiat, experiamur crudeliùs adhuc rursum, quod ipsi tam crudeliter iã experti sumus, quàm verum sit illud, *Leo rugiens & vrsus esuriens, Princeps impius super populum pauperem.* Multo verò minus id fieri debet, cum nec si eum verè pœnitere constet, propter incertam tamen varij ac mutabilis ingenij leuitatem, vllus fidei locus relictus sit.

Prou. 28.

QVOD HENR. MAIESTATEM Reipub. ac Regni læserit. Crimen secundum.

Maiestatis Reip. offensio quale crimen. CAP. 7.

Lib. 1.

MAiestas Reipub. ac populi quæ sit dictum antea est. Quæ vt prima per se

ac regibus antiquior est, ita authenticum quid penes se, vel teste scriptura, habet, quòd deponere, quódque abiicere à se nec possit nec debeat. Cuiúsque legibus omnes omnis generis homines, ac reges etiam ipsi teneantur. Quippe, cum penes eos non aliunde maiestas sit, quàm quia publica ab iis potestas referatur. Quę læsa ab iis semel, vt sceptro, reos amoueat, lege Iulia cõstat, quæ pœnam maiestatis, nõ dignitatis tantum, sed & animæ amissionem esse iubet. Quam ne in reges quoque extendi dubitetur, facit cùm illud quòd de Amasia & Ozia regibus Iuda antea diximus, tum etiam Romani Senatus exemplum, à quo rex non quiuis, sed supremæ ac toto orbe patentis maiestatis imperator Nero capitis damnatus est. Quam etiam, ne non satis magna in damnato esset, in eius quoque posteros transmitti leges voluerunt, vt mitissima omnino maiestatis pœna futura sit, si quis vita incolumi dignitate omni priuetur. Neque vero obstat, quòd reges vel principes, inconsultis regibus ac cæteris principibus Christianis, dãnari ne fas esse, publico iure receptum dicitur. (Quòd ab Anglicana Iezabele in damnatione Se-

Regum maiestas a Rep. penaliudet.

Cod. l. Iul. maiest.

Lib. 1.

Sueton. in Nerone.

Causæ regũ per exteros principes cognitio Rei p. maiestatem nõ minuit.

reniſsimæ Scotorum reginæ MARIAE STEVVARTAE violatum eſſe omnes boni iure conqueruntur.) Neque eſt illud eiuſmodi, vt propterea non reus teneri violatæ reipub. Rex, aut non eius legibus damnari poſſe videatur. Nam neque quia crimen læſæ regis maieſtatis à iudicibus vindicari ſolet, propterea minus læſa maieſtas dici poteſt, quòd non ab ipſa Regis perſona vindicetur. Idque adeo eſt quòd querimur, quòd cum læſam ſuam maieſtatem ab iis, quos interfecit, principibus HENRICVS eſſe cauſetur, iudices tamen, qui & idonei, & præſentes erant, nonmodo non adhibuerit, verùm etiam carcere, cæde, terrore omni oppreſſerit. Sed neque dici poteſt, parem offenſi regis & reipub. læſæ rationẽ eſſe, vt quia Rex crimen in ſe commiſſum vlciſci non debet, propterea nec Reſpub. factas ſibi iniurias vlciſci per ſe atque vindicare poſsit. Quia cum in multitudine ſapientum poſita Reſpublica ſit, propterea fit, vt non ſicuti vnius hominis, qualis rex eſt, ſic eius iudicium incertum, aut non firmum ſatis eſſe poſsit. Quî enim fit, quòd edicta regis à repub. aut Senatu probari debent, antequam vim habeant, niſi quia

Offenſionis Reip. & Regis ratio diſpar.

Rex proprias iniurias per ſe vlciſci non poteſt, Reſpub. verò poteſt.

& maiestas publica supra regem est, & plus multitudinis sapientum, quàm vnius hominis iudicium ponderatur?

Adde quòd ista per principes externos cognitio, facti probatio potius, quã iurisdictio est, nec tam id fit vt ab iis condemnentur, quàm vt si quid sit, quòd intercedere debeant, aut in quo communem causam offendi queri possint, id prius audiatur, vtque omnibus constet, nõ rebellionis vitio, sed iure quicquid in eo acciderit factum esse. Quodsi tamẽ iudices dici placet cũ in iis cognoscendis suorũ sapientum ac peritorum iudicia Principes semper adhibeant, eodem res recidit, vt iudicium penes rempub. sit, cum ad id quod agitur, populorum ac nationum probatio, ac consensus requiratur. Nam & propterea Dani in Christierni regis, vel tyranni potius sui causa, non cum eiecturi essent, sed postquam (vt ferebat necessitas) exegissent, articulos 44. per totum orbem pro sua excusatione, cur ab eodem rege defeciissent, publicè legendos miserunt, quòd probatũ scilicet publicè vellẽt, id quod ipsi iure in principem suum statuissent. Alioqui si necessaria hęc per principes exteros cognitio

Principes externi nõ tam iudices quam probatores.

Olaus Mag li. 8. cap. 40.

maiestatem reipub. imminuat, quid sequitur, nisi vt Ecclesiæ maiestas in Conciliis Oecumenicis in eo minuatur, quia necessarij oratores principum ad sacros illos conuentus iudicentur? Intolerabiléque istud omnino & indignatione plenum est, quòd reip. in punienda innocentissima Regina licere improbissimi homines voluerunt, vt id incõsultis Christianis principibus facerent, id in impiissimi & post homines natos nequissimi Regis causa licere nobis nolle. Quanquam nec vt liceat petimus, neque nos ius istud cognitionis per principes refugimus, qui nonmodo summi Pontificis, sed Christianorum omnium principum in re tanta fidem atque opem imploramus. Bello interim non aliam obrem incumbentes, quàm vt & certam religionis ac patriæ perniciem propulsemus, & quod in coërcendis malefactoribus fieri solet, vt vi primũ capiantur, deinde iudicentur, idem nos quoque & ipsi præstare enitamur.

Galli summi Pontif. & principum Christianorum fidem implorant.

Maiestatem Reipub. penes ordines & comitia præcipuè esse.

Cap. 8.

POrro maiestatē illam cū penes ordines seu comitia esse constet, id quoque sequitur, qui ordines læserit, publicæ maiestatis supra omnes teneri atque reum esse. Nā penes comitia vt regni maiestas sit, cū vniuersa regnorum cōsuetudo docet, tum quæ perpetua in Gallia sacrosancta eorum authoritas esse consueuit. Maiestas Reipub. penes comitia.

Atque vt è sacris libris exempla potissimum sumantur, populi maiestas fuit, cum Israël conuenit in Silo, cōtra tribus Ruben & Gad & dimidiā Manasse, ob erectū ab iis altare infinitæ magnitudinis, quòd nouum eos aliquid in religione moliri suspicio esset. Item cum Iosue iam senex Israël omnem in Sichem conuocauit, & fœdus cum Deo percussit. Item cum Israël, quasi vir vnus, in Maspha congregatus est, contra tribum Beniamin, ob illatam vxori Leuitæ iniuriam, bellum illaturus. Et iterum in Maspha, cum populum Samuel congregauit, atque ibi de iis reformandis, quæ pietatis & iustitiæ erant, communibus sententiis est definitum. Rursum cum congregati in Ramatha maiores natu, regem sibi institui postulauerunt. Et in Maspha iterum, cum Saül Rex productus est, & vi- Populi maiestatis in comitiis exempla sacra. Iosue. 22. Iosue. 24. Iud. 20. 1. Reg. 7. 1. Reg. 8. 1. Reg. 10.

uat Rex ei acclamatum. Sed hoc rursum apertius, cum quasi actorum suorum ratio-
1.Reg. 12. nem reddens Samuel, ait ad populum. *Ecce præsto sum, loquimini de me coram domino, & coram Christo eius. Si bouem cuiusquam tulerim aut asinum, aut si quenquam calumniatus sum. Si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & restituam illud vobis.*
3.Reg. 8. Amplius adhuc, cum Salomon coram omni Ecclesia templum consecrauit. Et cum
3.Reg. 12. ad Roboam venit multitudo filiorũ Israël, vt minui vectigalia postularet. Quod vbi non succedit, & duriter conuentus excipitur, offensus regi, magnam partem ab eo secessit, & nouum regem sibi constituit.
4.Reg. 23. Item cum Iosias populum in Hierusalem congregauit, & lecto libro fœderis, fœdus cum Deo denuo percussit. At in singulis istis nihil aliud, quàm conuentus ordinum fuit, penes quos maiestas tota erat, vt fœdus cum deo percutere, vt regni œconomiam instituere, vt leges condere, vt de bello ac pace agere, vt frœnos regiæ potestati imponere, cætera eiusmodi præstare posset, quæ procul dubio sine maiestate ac publica authoritate fieri nequaquam possunt.

Maiestas ordinum quibus in rebus se ostenderit.

Eiusmodi quoque apud Gentiles illa comitia celebria erãt, vt illud totius Græciæ sanctissimũ cõcilium, quod Amphictionũ erat, ab Amphictione, Heleni seu, vt ait Pausanias, Deucalionis filio institutum, in quo populi duodecim conueniebant: Iones, Dores, Perrhæbi, Bæoti, Magnetes, Achæi, Phthij, Molenses, Dolopes, Æneanes, Delphi, Phocenses. Et peculiaria illa, vt apud Athenienses Panathenæa, & per singula quinquenniã panægyreis, apud Ætoles Panætolia, apud Bœotos Pambœotia, apud Iones Panionia. Et illa olim Druidarum nostrorum apud Carnutes Panceltica, vbi magno Galliæ conuentu de iis quæ ad rempub. pertinebant grauiter & seuerè agebatur.

Comitia apud Ethnicos celebria.

Alexand.

Panceltica

Comitiorum seu ordinum in Gallia olim quæ authoritas.

Cap. 9.

QVem conuentum in Gallia, ex quo Christiani reges esse cœperunt, quantum coluerint, quantúmque ei detulerint, cum frequens eorum conuocatio, & simplex regum eo se conferentium habitus, tum verò honor eorum decretis delatus

demonstrauit. Nam singulis annis Calendis Maij comitia celebrari solita esse, & reges curru à geminis bobus tracto eò vehi solitos fuisse, idque sæpius Carolum magnum factitasse retulit eius cancellarius Eghinartus. Quæ verò concluſa illic erãt, PLACITA, id est firma decreta, & quæ conuelli nefas esset, dicebantur. Vnde illa comitiorum olim vox, *Tale enim est nostrum placitum.* Vt multitudinis sapiẽtum scilicet, nõ vnius alicuius iudiciũ designari hîc audias. Quę quòd certi homines, & nimis gratiosi Gallicè verterũt, *Tel est nostre plaisir*, cũ potius, *tel est nostre arrest*, aut quiduis aliud dicendũ fuisset, quòd *Placita* Græcis ἀρέσκοντα sint (vnde arresti nomẽ deductũ esse nõ omnino explodenda nonnullorum seu cõiectura, seu alluſio est) viderint illi, quàm magno nobis constiterit praua versio hæc, quæ Regibus ad tyrannidem tam ingentẽ feneſtram aperuit, vt quibus, id est Gallis, vniuersi populi ac regni iudicia proponi olim pro lege solita erant, nunc, si superis placet, vnius libido ac volũtas, instar legis proferatur, imo obtrudatur. Atque ita, vt huic qui parere desierit, læsæ maiestatis reus, ô tempora, conclametur.

Eghinartus

Comitiorum decreta, placita lim dicta.

Arresta quasi ἀρέσκοντα.

Gallica versio tyrannica.

Certè

Certè vt olim quæ seria negotia erant, conuentus huius arbitrio decerni solitum sit, cũ alij plærique, tum Clotharius Chilperici filius docuit, qui petente Austrasiæ regnum Brunechilde, negotium ad ordines retulit, ac multorum deinceps scelerum ream factam, non suo sed ordinum iudicio voluit condemnari. Et Ludouicus Pius, ne quid esset, quod publicam in comitiis fidem ac securitatem impediret, publico edicto cauit, vt ne quis eo armatus prodiret. Sed & comitia illa quid in regibus constituendis, atque deponendis, mutandáque adeo regum stirpe olim potuerint, vt quæ ad Remp. vniuersam pertinebant constituerint, vtque paulatim à tẽpore Lvdovici XI. deciderint antea monuimus. Aymoin. li. 4. cap. 1.

Henricus quàm atrociter ordinum seu comitiorum maiestatem læserit. Cap. Io.

QVo grauius est tanti conuentus celebritate, quo nihil vnquã vidit Gallia illustrius, crudelissima cæde polluta ac fœdata, vno tempore extinctam veterum regum dignitatem, oppressam populi li- Comitia anni 1588. celeberrima.

bertatem, ablatam omnem reformandæ Eccleſiæ & reipub. ſpem, vnius HENRICI ſcelere intueri. Nã deluſam quidem eam, quę ordinibus data fides erat, à Ludouico XI legimus. Sed qui cõuentũ iſtum cæde in Gallia pollueret, præter HENRICVM nullũ audiuimus. Fecit hoc olim in Anglia Eduardus II. infauſto omine atque exemplo, cũ & HENRICO Valeſio Eduardo nomen primum (& quidem ab Eduardo 6 Anglorum rege hæretico datum) fuerit, cuius vt facta imitatur, ita habet profecto cuius & exitum, ardenti veru per anum traiecti debeat perhorreſcere. Tãto quippe grauior eſt illa per eum ſacro huic conuẽtui carcere, ſanguine, fuga trepidatione, omni illata vis, quanto grauiora erãt, quæ hic agebantur, Eccleſiæ ſplendor, pietas & Iuſtitia, quæ eodem tempore læſa & oppreſſa lugent. Vt cum nulla inferri atrocior iniuria potuerit, nulla ratio ſit, quin quæ legum eſt ſeueritas, in eum vehementiſſimè quoque diſtringatur.

Henr. primus in Gallia comitia cæde fœdauit.

Eduardi 2. Angli miſerabilis exitus.

Certè GVISIVM ſi cędi oporteret, non Regis iſtud ſed comitiorum iudicium eſſe debuerat. Cum & Clotharius Brunechildem multorum criminum ream nonniſi

publico iudicio isto damnari voluerit. Ex quo intelligitur, quàm multis hîc modis læsa comitiorum, seu regni maiestas exiterit. 1 Primùm quòd iis illata vis est, penes quos summa libertas perpetuò esse debuerat? Deinde violati illi, qui iudices regni ac sceptri esse solent, quosque tales Deus & natura constituit. Nam si è iudicum numero vel infimos opprimere, aut eorum ministris vim inferre maiestatis crimen esse constat, qui supremos iudices, qui tenêtes clauum regni, qui penes quos leges condere, abtogare, de summa rerum domi ac militię decernere, qui auferre regnum vel cõferre possunt offenderit, violarit, oppresserit, Maiestatis scelus quale tandem erit? Accedit, quòd is est interfectus, cuius in iis comitiis præcipua authoritas, probante populo vniuerso atque regno erat. Quarto, quòd is ereptus, quem patrem patriæ merito dicere omnes & debuerunt, & hodie etiam confitentur: quémque occidens HENRICVS, vniuersum pariter regnum, quãtum in se est, trucidauit. Quinto, quòd indicta causa mortis pœna illata est, vbi suus, imo præcipuus iustitiæ ac iudicio locus esse debuerat. Sexto, quòd par Frãciæ

Quàm multis modis comitiorũ, maiestatem Henricus læserit. 1

2 Ordines iudices regni atque sceptri.

3

4 Guysius patriæ pater publicè dictus.

5

6

occisus est, quem nonnisi à Paribus iudica-
7 ri lege regni cautum erat. Sed iis omnibus id grauius, quòd ordinem Ecclesiæ, quem reuereri omnes debent, quíque iudicio laicorum eximitur, cæso eius præside, atque Ecclesiæ Cardinali, ipse insigni sacrilegio
8 violauit atque oppressit. Postremò, quòd suum pridem meditatum, nunc ad exitum perducendum, Gallicanæ monarchiæ in Turcicam tyrannidem commutandæ, studium (qua iniuria quæ insignis magis nobilissimo & Christianissimo regno, aut magis vindicanda esse potuerat?) Sole clariùs aperuit. Et quod vel cogitare tantùm, maioribus eius horror fuerat, id facto se præstiturum sperare ausus, & teterrimo scelere facere aggressus, & infensissimum se hostem exhibuit, & omnem à se pacis, reconciliationis ac veniæ spem præclusit.

Henricus omnem a se spem reconciliationis exclusit.

QVOD REGNI DISSIPATOR & Ærarij decoctor fuerit. Crimen ciuile tertium.

Regnum distrahere & ærarium expilare quale crimen. CAP. II.

CRimen hoc quale sit vel natura ipsa docet. Quippe vt nec solutionem continui ferre, nec sine neruis aut sanguine stare corpus, sic nec mẽbra sua distrahi monarchia, nec se proprio succo ac facultatibus exhauriri respub. pati potest. Prorsus vt vtrunque qui faciat, cum internecionem regni apertissimè moliatur, nulla ratio esse possit, quin vt labenti Reipub. consulatur, eius iugum excutere necessariò oporteat. Cur enim si tutor & curator, res pupilli alienãs, tutela multatur, quasi prædo & periurus, qui de tuendis pupilli bonis solemne sacramentum præstiterit ac violarit, non multetur quoque regno qui illud distraxerit? Si Antoninus Pius patrem sub filij tutela esse iubet, si bonorum prodigus & effusus dissipator extiterit, nõ idem de principe, qui patris in Repub. vices gerit, statuatur? Cur si maritus, res vxorias dotalésque alienans mulctatur coniugalium bonorum administratione, sicque bonis ab eo separatur vxor, vt sua seorsum liberè administret, Rex qui Reipub. fidem velut maritus quidam mysticus dedit, dotalia eius latifundia dissipans, & in alienos transferens, non regni administratione, ac politico reipub. coniugio priuetur?

Regni distractor eiusdem interitum molitur.

Rex tutoris, patris, & mariti instar.

l. vbi adhuc. C. de iure dot. l. quamuis. l. si constante de solut. matrini.

Non enim verendum, ne quis hoc loco Regem supra leges esse dicere iure possit, quem vt positiuis, quæque priuatos spectant, superiorem esse iurisconsultis assentimur, ita eum vt diuinæ atque naturali, sic regni fundamentalibus legibus subiectum esse & ipsi nouimus, & constanter affirmamus. Vt cũ inter eas hęc vna sit, *Dominium ne distrahatur*, huic vt non subiaceat, ac per eam non iudicetur, nulla tenus ferri possit. Sed ne id nobis quisquam dicat, quòd populo Samuel, dum regem peteret, de iure regis dixit. Hoc (inquit) *erit ius Regis. Agros vestros & vineas & olueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras & vinearum reditus addecimabit, vt det Eunuchis & famulis suis*, cum ius istud pro iniuria dictum esse mors Achab sole clarius edoceat, quẽ ob detentam vineam Naboth diuina vltio peremit. Quod profecto factum non esset, si ius istud, ac non iniuria esset. Accedit quòd dictio משפט, quæ ius ab interprete redditur, morem potius & cõsuetudinem, seu rationem & vsum, vel quæ inde dicitur, vsurpationem significat. Quod si nec priuatum regi occupare licet, in publicum inuadere, aut id etiam distrahere, quę lex vn-

L princeps ff. de leg.

Rex legi regni de non distrahendo dominio subiectus.

1. Reg. 8.

Ius pro iniuria.

1. Reg. 21.

Rex nec priuatum vsurpare potest.

quam permissura, non potius vetitura, atque adeo vindicatura est? Multis in prouinciis, cuiusmodi Britannia atque Normania est, hæreditatis summa primogenito cedit, ne familiæ bona distrahantur, & distractio in regno permittetur?

Cuius vt insolens perpetuo Gallia fuerit, vel ex eo patet, quòd cum filium proprium Carolus VI regno priuasset, & illud in regem Angliæ generum suum transtulisset, irrita ista translatio, quòd contra regni iura iúsque populi facta esset, ab eodem & magistratu facta est. Et quòd tam sæpè, si quid contra tentatum est, id nullo loco à Senatu habitum est. Notandáque omnino illa Egidij sententia est, *Pertinere ad officium regis, curare vt bona & iura regni conseruentur, in bonum commune reditus expendantur, vt nemini iniuriam inferat, vt ciuitates & arces reficiat, vt sapientes & bonos honore præmióque afficiat, vt veram religionẽ ac res diuinas tueatur.* Et quod contra Antonium M. Tullius, *Quis* (inquit) *Rex vnquam fuit tam insigniter impudens, vt haberet omnia commoda, beneficia, iura regni vænalia?* Prorsus vt si in hæc tempora incidisset, quod mirari posset homo Ethnicus, in eo qui se regẽ, atque adeo Christianissimum dicit, merito sit habiturus.

Lib. 3. p. 2. cap. 9.

Philip. 3.

De iusta Henrici iij. Henricus vt regnum dissipauerit, ærariúmque exhauserit.

CAP. 12.

NAm legem hanc vt violauerit, vt penitus oppresserit, ne cui dubium esse possit, occurrent præter munitissima illa duo Salúciorum oppida, Pignerolium & Sauillanum, quæ in auspicatu regni Allobrogum duci, iniussu regni ac populi dedit, nobilissima quæque publici dominij membra, quę perperam ille alienauit. Eiusmodi sunt ducatus Engolismensis, ditio Couciaca Veromanduorum, & sancti Porcini Borboniorum in sororem notham, Mommorancij ducis viduam, atque adeo hæreticam mulierem. Ducatus Castriheraldi Pictonum in Montpensierium ducem, Ducatus Stampensis & Syluanectensis Valesiorum, partim in Nauarræ reginam, partim in alios. Accedunt præfecturæ prouinciarum vænire permissæ, antea nunquam factæ auro promercales. Et ne omnia enumerentur, quę & recensere immensum, & meminisse acerbũ est, omnes propè oppigneratæ, cùm exteris, Alemannis præsertim & Italis, tum etiam domesticis viris

Regni per Henricum distractio.

Prouinciæ Gallię omnes oppigneratæ.

omnis generis ac fœminis Galliæ vniuersæ ditiones. Vt cum ex publico censu nihil ad eum fere veniret, neque verò aut inanes sumptus, aut immensa dona imminui vlla in re placeret, quæ potius in dies augentur vniuersa, id reliquum foret, vt populi humeris onus id imponeretur, atque quod regi in prouerbio est, pratum esse Galliam, vnde Rex cum libuerit, quantum velit metere possit, reipsa probaretur.

Tyrannicum de Galliæ regno prouerbium.

Adde iis, quod alterum dissipationis caput est, exhaustas vndique ęrarij publici opes, cum quę regni lege colligi in militem, tum equestrem, tum peditem, in prouentus publicos, in pontes, aggeres, vias, atque in cætera regni exoluenda onera pecunia solet, iis ipse contemptis ac neglectis, vniuersam summam in sceleratos ac ministros libidinum effudit.

Ærarij per Henricum exhaustio.

Nouas etiam artes, vnde & sumptus crescerent, & constare de eo nulli posset, inuenit. Quippe quæ per libras numerari more patrio pecunia semper consuerat, per aureos nouo edicto numerari iussa est, scilicet vt breui compendio libras in aureos commutando, pro centenis trecenas acciperet, atque ita triplo pecuniam vel debi-

Mos per aureos numerandi cur inuentus.

tam vel imponendam augeret.

Deniers contans.

La petite espargne.

Subtilius istud rursum, quod à pestilentissimis hominibus profectum, eíque suggestum inuentum est, Contentos seu præsentes (vt loquuntur) denarios, seu paruum regis censum adaugendi. Quia cum res antea esset eiusmodi, vt regi aliquam summã, qua quid vellet faceret, sub syngrapha sua, muneris ac doni loco, ex publico liceret accipere, nec minutim in quid eã insumeret, quòd sordidum id esse videretur, in publicas rationes referretur: quæ summa decies aut duodecies millenorum in anno aureorum ad summum esse consueuerat, hanc prodigus iste & effusus ita auxit, vt ad quadringenties vicies centena aureorum millia, eoque amplius, ex quo rex esse cœpit, hoc est ad quadraginta duos (vt loquuntur) aureorum milliones, sicuti ex publicis computorum rationibus didicimus, acceperit, imo potius peculatus crimine manifestissimo, atque adeo horrendo rapuerit. Vt esset, vnde cui vellet, hoc est sceleratissimis hominibus daret, nec in publicas rationes referretur. Scilicet vt ne quis in peculatores istos ageret, & repetundarũ reos facere posset. Ex quo erarij tanta facta

Henrici peculatus incredibilis.

est exhaustio, vt mirum sit subsistere adhuc Galliæ regnum, in quod tam insignis raptor inuaserit. Prorsus vt non iam parsimoniæ regis thesaurarios, sed effusionis, latrocinij ac gurgitis, seu mauis abyssi dicere oporteat.

His accedunt, ne non id sit satis, patrimonij Ecclesiæ (nam & id reip. interest) auctis duplo, triplo, eóque amplius decimis, vendito etiam semel, iterum & tertio partim inconsulto Pontifice, partim corrupto, & forte suppositio eiusdē diplomate, Ecclesiæ fundo, dilapidatio eo vsque magna, vt ex quo rex est, ab Ecclesiasticis centies centena millia, hoc est centum librarum myriadas, eóque amplius, insatiabilis gurges exhauserit, vnde Ecclesiam non iuuaret, sed perderet, non eius filios augeret, sed hostium libidini prostitueret. Exhaustio fundi Ecclesiastici.

Accedit aucta in immensum tributorum & vectigalium super populum summa, vt quæ prius quadragies centies millenarum, seu quatuor myriadum librarum erat, nūc centies quadragies centies millenarum, seu quatuor decim myriadum effecta sit. Nulla interim re nec adiuta repub. nec populo sustentato, quem militum ineuitabilis op- Vectigalia super populum immensa.

preſſio (quòd iis ſtipendia non ſoluantur) ſic exhauſit, vt cum tributa ſoluendo pauperes non ſint, lectos ſæpe & paleas, imo & domorum tegulas, & frixoria coquendo infantulis pulmento vendere, & quòd crudeliſſimum rapto inter pauperum manus, facto ſæpe ex auena, ſæpe ex hordeo, imò & furfure calenti pane, quòd pecunia deeſſet, miſera fame lãguere, imo emori cum vxoribus & liberis cogerentur. Quòd cùm ad Tyrannum, & tyrannidis artificem matrem referretur, prọ omni miſericordia vox illa audita eſt, *An ergo lectos adhuc poſſident Galli, vbi cubent?*

Crudelis in Gallia populi oppreſſio.

Filij & matris tyrannica vox.

Accedit & pro ſtipendio quinquaginta millium militum (quæ ſtata ſcilicet regni militia eſſet) collecta perperam, cum nihil inde militi ſolutum ſit, vltra præcedentes ſummas pecunia, ac ſubuentionum ſuper tela, ligno, fœno, corio, ſale, vino, panno, cæteris quę ad vitam neceſſaria ſunt, omne genus. Et quæ ingentes ac fide publica ſeruatæ perpetuo fuerunt ærarij Pariſienſis opes, vnde annui reditus omnis generis hominum, viduarũ, pupillorum, diuitum, pauperum, Collegiorum, Xenodochiorũ, Gymnaſiorum, Eccleſiarum ſolui ſolent,

Subuẽtiones omnis generis.

Reditus annui Pariſienſes intercepti.

nouo & inaudito exemplo sic interceptæ, vt propriis spoliari bonis honestas, mediocres, infimas, omnis generis familias, atque ad extremam inopiam redigi contigerit. In quo etiam id accidit, quòd vt ne deesset, vnde rapere abūdè posset, pupillorum tutores, si quid quòd ad illos pertineret, pecuniarum haberent, id totum illic deponere coacti sunt.

Tutores pupillorū pecunias deponere coacti.

Adde iis & nouum corradendæ pecuniæ genus, dum erecta venditáque noua officia, numero, vt fertur, vsque ad decies octies centena per Galliam vniuersam millia, post acceptam pecuniam, vt noxia Reipub. supprimerentur, móxque sumpta iterum pecunia denuo erigerentur. Accedunt imposita litigantium sportulis tributa, vt quę gratis dari atque distribui iustitia debuerat, duplo ac triplo venderetur, ac soluto sæpius tam carè pretio, etiam auferretur. Adde & raptas, quæ vndique iure consignatæ, seu in manu publica depositæ pecuniæ erant, quas *Consignationes* vocant. Atque ista non vt in vsus publicos referrētur, sed quòd Demetrium feciſſe narrant historiæ, qui immensam Athenienſibus imperatam pecuniam, ægerriméque inuē-

Vendita, suppressa ac vendita iterum innumera officia.

Iustitia sub auctionem posita.

Publica depositæ intercepta.

Lamiæ concubinæ dedit, ipse in cynædos, atque omnibus insignes sceleris ac turpitudinis notis homines conferret, atque profunderet.

Qui membra regni sic distraxerit, qui sic opes dissipauerit, quid fidei amplius in eo esse potest, vt penes eum rerum summa amplius relinquatur? Hîc enim valet illud prophetæ. *Sufficiat vobis Principes Israel, iniquitatem & rapinas intermittite, iudicum & iustitiam facite.* Et quod idem in pastores ait (nam & reges suo sensu pastores sunt) *Ecce ego super pastores requiram gregem meum de manu eorum. Cessare faciam, vt vltra non pascat gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos. Et liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra eis in escam, ait Dominus.* In quo vt est HENRICO, quòd propinquum Dei iudicium merito formidare, populus vero vt liberetur sperare debeat, ita huic subesse causam, qua se iure ab eius obedientia eximere possit, vel natura ipsa clamat.

Ezech. 45.

Ezech. 34.

QVOD HENR. SIT TYrannus, & patriæ hostis.

Crimen ciuile quartum.

Tyrannis quale malum.

Cap. 13.

TYrannis sequitur, affine superiori crimen, quod vt intentione primum, ita id vnum esse dicere in Henrico possumus, ad quod cetera eius mala referuntur. Detestanda imprimis humano generi pestis, ac castigandis hominum vitiis (quod Attila quondam de se cõfessus est) immissum diuinitus malum. Mirúmque id fortasse, quod de isto genere Chrysostomus ait, quantumuis verum sit carentem principe rempub. perinde vt nauem gubernatore destitutam pessum ire, cõfusionisque ac turbarum principium, ac subuersionis argumentum esse, vbi nullus est principatus, *peius esse tamen sub malo principe, quàm omnino sine principe esse, meliúsque esse à nullo, quàm à pessimo rege gubernari.* Neque verò aliud est, quòd in scriptura gryphes, milui, accipitres, omnésque è coruino genere aues immundæ dicuntur, quàm quòd execrabiles Deo Tyranni esse designantur. Idipsum vel significante Deo, *Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem? qui deuorant plebem meam sicut escam pa-*

Tyrannis puniendis hominum vitiis diuinitus permissa. Hom. 34. in epist. ad Hebr.

Tyrannorum typi. Leuit. 11.

Psal. 13.

nis? Sed & ipsa tyrannis quàm crux iis acer-
Cic. Tusc. 5. ba sit, qui ea delectantur, indicat ille Dionysij ad Damoclem parasitum lusus. Cum tyrannidem admiranti, ac beatos tyrannos prædicanti, regiæ mensæ adhibito, inter ferculorum ac seruorum pompas, ensem nudum, seta equina appendi è laqueari iussit, qui beati illius ceruicibus imminens nommodo superfluæ dignitatis voluptatem præscidit, sed etiam necessarij potus atque cibi sensum omnem ingenti metu ademit ac præcluſit. Notandáque illa Platonis apud Tacitum sententia est, Tyranni animam si videri posset, laceram vndique
Tacit. lib. 5. crudelitatis, sceleris ac praui consilij ictibus visam iri. Dignáque omnino illa apud Ælianum fabula, quę similes suibus Tyrannos esse ait, quippe vt sus quia nec vellera, nec lac, nec quicquã præter carnes habet, nec se vsibus vllis aptam nouit, si quis eam tetigerit, protinus clamat, & somniat mortem, idem tyrannis accidere, qui omnia suspicantur atque timent. Sed & miseram Tyrannorum vitam esse ex eo M. Tullius
Cic. in Lælio. infert, *quòd in ea nulla fides, nulla charitas, nulla stabilis beneuolẽtiæ potest esse fiducia: omnia semper suspectá atque sollicita, nullus locus est amicitiæ.*

Quis

Quis enim aut eum diligat, quem metuit, aut eum à quo se metui putat? Coluntur tamen simulatione amicitiæ dum taxat ad tempus. Quod si forte (vt fit plerunque) ceciderint, tum intelligitur quàm inopes fuerint amicorum. Omninò que apud Euripidem vt illud veriſſimum eſt,

Οὐδὲν τυράννῳ δυσμενέστερον πόλει.

Nihil eſt tyranno ciuitati infenſius,

Ita nec iſtud minus,

Τυραννίδος οὐχ εὕροις ἂν ἀθλιώτερον.

Tyrannide nihil reperias miſerum magis.

Neque verò hîc pluribus exponemus, quãtum malum ſit ex rege fieri tyrannum, niſi hoc obiter dicimus, cum Rex ſit, qui omnipotentem Deum pietate iuſtitia, patientia, ſolicitudine, amore in ſubditos: Tyrannus qui Diabolum crudelitate, iniuſtitia, impotentia, dolo atque odio in omnes refert, ſiue, vt magnus Dionyſius ait, *Regnum ſit omnis termini, & ornatus, legiſque & iuris, ordiniſque diſtributio*, Tyrannis contra, *cum quis, in peius poteſtatis viribus abutitur*, ex eo ſatis intelligi, quàm fœda hæc cõmutatio, quámque minimè dexterę ex celſi eſſe credenda ſit. Per quam ſcilicet illud impleatur, *Ipſi regnauerunt, ſed non ex me. Aurum ſuum & argentum fecerunt ſibi idola, vt interirent.* In Frã-

Rex imago Dei.

Tyrannus Diaboli.

De diuin. nom. cap. 12.

Cœleſt. Hierar. cap. 8.

Ozeæ 8.

cia certè tanto grauior, quãto magis assueta dominatui regio & paterno, insolentior tyrannici atque despotici est. Id verò pluribus exponendum, quid Reipub. in tyrannum liceat, & quàm verè HENRICVS tyrannus sit. Ita enim quàm iusta & vera sit, quæ de eo excludendo lata sententia, vel etiam ferenda est, cognoscemus.

Tyrannum à Repub. iustè eiici.

CAP. 13.

TYrannum duobus modis intelligi cõstans Theologorum sententia est, vno modo, si quis dominatum iniustè inuaserit, altero, si quis dominatu iustè acquisito prauè abutatur, eúmque iniustè administret. Duo ergo cùm sint, quæ de Repub. an ei in Tyrãnum, vtroque modo sumptũ, liceant, inquiratur, An scilicet priuare eum dignitate possit, an etiã occidere: de priore dubitandum esset, nisi perinde illud foret ac quærere, in eo quidem qui inuadit, An raptorem liceat de aliena possessione deijcere, in eo vero qui abutitur, An gladium liceat furioso adimere. Quod nisi persuasum vel natura ipsa esset, non eiectum è Siciliæ regno Dionysium, non à Romanis

Tarquinium ſuperbum: nō, ſicuti Gregor. Turon. refert, Childericum Clodouei patrem è Francico, Victoriū ducē ſub Eorico Gottho ab Aluernis, non Chriſtiernum à Danis, Eduardum 2, & Richardum 2 ex Anglico, Vitizam ex Hiſpanico eiectōs legeremus. Et quod dixit quondam M. Antonius, cum omnis eſt periculoſa ſeditio, tum iuſtas aliquando, imò & neceſſarias eſſe. Nullam autem neque iuſtiorem, neque magis neceſſariam eſſe, quàm cum tyrāni crudelitate oppreſſus populus, ab vniuerſo ciuium legitimè congregatorū cœtu auxiliū petit. Ne id quidē fuiſſet, quòd decem tribus à Roboamo defecerunt. Et quod Ieſus filius Syrach ait, *Regnum à gente in gentem transferri, propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diverſos dolos*, non vtique populorum tantum, verum etiam & principum. Et quod ait Eſaias, *Ecce in iuſtitia regnabit Rex, & principes in iudicio præerūt.* Et Pſaltes, *intende, proſperè procede & regna, propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam.* Et in prouerbiis, *Auſer impietatem de vultu regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius.* Prorſus vt ſi iuſtè, ſi piè ac benignè imperare deſierit, ne rex quidem vltra futurus

De geſtis Franc. li. 2. c. 12. & 20.

3. Reg. 12.

Eccl. 10.

Eſa. 32.

Pſal. 44.

Prou. 25.

sit, id potius experturus, quod idem pro-
Esa. 32. pheta ait, *Non vocabitur vltra is, qui insipiens est, princeps, neque fraudulentus appellabitur ma-*
Psal. 13. *ior.* Et alibi, *Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam sicut escă panis?* Vt ne illud omittatur, quod pluribus
Lib. 8. de rep. disputat Plato, Tyrannos vt parricidas de Repub. eiiciendos esse. Præclarissimè verò diuus Thomas. *Si ad ius multitudinis pertineat*
Lib. 1. de regim. princ. cap. 6. *sibi prouidere de rege, non iniustè ab eodẽ rex institutus potest destitui, si potestate regia tyrannicè abutatur. Nec putanda est talis multitudo infideliter agere tyrannum destituens, etiamsi eidem in perpetuo se ante subiecerit. Quia hoc ipse meruit, in multitudinis regimine se non fideliter regens, vt exigit regis officium, quòd ei pactum à subditis non seruetur.*

An Tyrannum liceat occidere, profana testimonia. CAP. 15.

AN autem liceat occidere, maius quiddam & grauius est. Quod mirum est tamen, quàm magnum affirmando consensum habeat, non profanorum authorum tantum, verum etiam & nostrorum. Glorioſum certè id esse Cicero non vno loco
Philip. 1. dixit. *Beatus nemo* (inquit ille de Tyranno

loquens) *qui ea lege vixit, vt non modo impunè, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici posset.* Et rursum. *Hæc nō cogitas, nec intelligis satis esse viris fortibus didicisse, quàm sit pulchrum, beneficio gratum, fama glorioſum tyrannum occidere?* Philip. 2. Et alibi negat se obstringere Offic. 3. scelere, qui tyrannum occiderit, quamuis familiarem. Et rursum alibi *Nulla*, inquit, Tuscul. 5. *nobis cum tyrannis societas, sed summa potius distractio. Neque contra naturam est spoliare eum, quem honestum est occidere.* A quo etiam si petimus vt animi sui sensum explicet liberiùs, prodibit aliunde ex eius torrente eloquētiæ iste fluctus. *Est enim* (inquit) *hæc non scripta sed nata lex, quam non accepimus, didicimus,* Pro Milo. *legimus, verùm ab ipsa natura arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Vt si vita nostra in aliquas insidias, in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.* Sed & id quàm iustum Dion Cassius in vita Traiani. fit, vel Traianus ipse visus est agnoscere, qui cùm Suræ, quem Tribunum militum creabat, pro more parazonium nudum porrigeret, *Talem*, inquit, *ensem accipe, quem pro me strinxeris, si iustè imperauero. Quòd si perperam à me quid fieri cognoueris, eo in per-*

Plutar. in Public.

eo in perniciem meam vtere, & Plutarcho teste legē tulit Valerius Publicola, qua liceret eum, qui tyrannidem affectasset, impunè occidere. Hinc illa apud veteres data præmia iis qui Tyrannos occidissent. Refert Valer. Max. Harmodio & Aristogitoni, qui Athenas liberare tyrannide conati sunt, positas effigies æreas esse, quas à Xerxe asportatas, cum Seleucus in pristinam sedem reportandas curasset, Rhodij vrbi suæ appulsas, in hospitium publicum inuitarunt, & sacris puluinaribus collocarunt.

Lib. 1.

Lib. 5. Polit. cap. 10.

Erat apud Græcos, Aristotele teste, lex, vt Tyrānicidę prēmio, eóque maximo donarētur, pro quo consequendo orationē elegantem edidit Lucianus. *Scilicet* (ait Thomas Morus, in oratione similis cum Luciano argumenti) *nunquam satis pretij præstitum ei putabant, à quo ob necatum Tyrannum foci, fortunæ, liberi, coniuges, salus ac libertas omnium, postremo ipse diuinæ aræ atque templa redimerentur.* Laudatúsque olim apud Græcos, Plutarcho teste, Timoleon, quòd homo alioqui lenis & māsuetus, vitā, quā fratri Timophani, pro patria pugnanti, capitis sui periculo seruauerat, tyrannidem postea

Lucian. orat. pro Tyranni-cid.

Plutar. in Timoleō-te.

affectanti, imò vsurpanti, & sana consilia sæpius contemnenti ademisset. Quinetiam scribit Quintilianus, Alceum aureo plectro donatum, quia sit Tyrannum insectatus. Idem alibi legem meminit apud Græcos fuisse, vt Tyrannicidæ imago in Gymnasio poneretur. Lib. 10. Lib. 7.

Hinc illæ tam frequentes Tyrannorum cædes, & quod multis exemplis Cicero probat, omnia naturæ officia cessare erga tyrannos, quódque sæpè vxores maritos, & parentes filios, & amici amicos, & respub. duces & principes, de se aliquãdo optimè, meritos laudabiliter occiderunt. Sic extriti Romæ Decemuiri Tyrannidẽ vsurpantes, & Athenis triginta prætores, effecti tyrãni, primõ exilio multati, deinde interfecti, incredibili populi odio extiterũt. Frequentes tyrannorum cædes. Off. 2. Halicar. Iustin. li. 5.

Sic Calippum, vt Plutarchus refert, ad Tyrannidem aggredientem, & Tyndaridem, vt est apud Diodorum, eandem vsurpantem Syracusani interfecerunt. Sic Bomilcarem Carthaginenses, obsessa ab Agathocle vrbe, patriæ incommodo ad occupandam tyrannidem abutentem, captum tandem, & grauiter cruciatum peremerũt. Et Manlium Capitolij seruatorem Roma- Plutar. in Dione. Diodor. lib. 11. Diod. lib. 20. Plutar. in Camillo.

ni, quòd tyrannidem affectaret, de eadem, quam ipse seruauerat, Capitolij rupe præcipitem dederunt. Eadẽ Gracchis Tiberio & Caio cædis causa fuit. Licétque vel ex vno, in Timoleontis & Arati vita, Plutarcho, quàm funestus sit Tyrannorum exitus intueri. Vbi eos videas de nido tyrannidis auulsos, ad cutem vsque nudatos, ad mortem vsque enectos ac tabidos, coram adolescentibus, vxoribus, liberis, fautoribus cæsos, ad cloacas tractos, deiectas eorum statuas, accusatas, publicè cõdemnatas, à carnificibus confractas. Irrita eorum edicta statuta, leges, diruta ædificia, traductam perpetua ignominia, iudiciis, libris, æternis commentariis famam, quæ cæteris exemplo esse posset, ne ad funestum illum tyrannidis scopulum deinceps impingerent.

Tyrannorum quam funestus soleat esse exitus.

Offic. 2. Eodémque illa spectant Ciceronis de Cæsaris nece verba. *Declarat* (inquit) *huius tyranni interitus reliquorum similes exitus tyrannorum. Quorum haud fere quisquam similem interitum effugit*: Et quòd idem ad Brutũ scribens, in Græcis ciuitatibus, liberos tyrannorum, oppressis illis, eodem affici solitos supplicio notat. Vnde illud multorum exẽplis probatum, & probandum adhuc Poëtæ carmen,

Epist. 15.

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni. Iuuenal. sat. 10.

Et quòd Thales domum peregrè rediens, quærentibus amicis, quid rarum maximè aut nouum vidisset, Tyrannum (inquit) senem. Plut. de Dæmon. Socrat.

Theologica de ea re iudicia & effata. CAP. 16.

SEd hæc profana cùm sint, & cædem tyranni in genere tantùm iustam esse probent, res tota vt pressiùs declaretur, triplicem hîc distinctionē Theologi adhibent. Primam tyranni, quòd ille vel inuasor sit iniusti dominatus, vel potestate, quā iustè adeptus est, abutatur. Alteram potestate illa abutentis, quia vel in priuatos tantùm iniurius sit, vel bono etiam communi, religionis videlicet ac Reipub. aduersetur, & vtriusque se hostem exhibeat. Tertiam potestatis occidendi, quòd ea vel publica sit, vel priuata. Atque ita, vt iniustum inuasorem vtraque authoritate, cùm publica tum priuata occidi posse velint: qui verò dominatu in priuatos abutitur, publica tantùm, non etiam priuata: qui denique communis se boni, ideſt, religionis ac pa-

triæ hostem præbuerit, talísque à Rep. iudicatus sit, vtraque rursum & publica & priuata de medio tolli posse fateantur.

1. Dominatus vsurpatorem cur occidere liceat.

Pro Mil. l. furē. ff. ad l. Corn. de sicar.

Ac primę quidem conclusionis ratio est, quia in raptorem alieni, multo verò magis publici, iusta semper vis est. Etenim si lege XII tabularum, vt Cicero ait, nocturnum furem quoquomodo, diurnum si se telo deffenderit impunè occidere licet, quin etiam lege diuina idem sancitum est, quæ

Exod. 22. ait, *Si effringens fur domum, siue suffodiens inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis*, quãto iustius, qui in publicum atque adeo alienum inuaserit, de medio tolli ac necari potest? Accedit quòd quia istiusmodi ad stabiliendam potestatem suam necesse habent, vt armis se aduersus æmulos suos tueantur, id quoque consequitur, vt dum illinc suspectos sibi odio habẽt, & ad cędem quærunt, hinc factionibus omnia scindunt, summa quoque per eos Reipub. pernicies inferatur.

Orosius lib. 7. cap. 37. 38. Cuspini. Sic præter superiora illa Ethnica exempla, Ruffinus qui Arcadiũ, & Stilico qui Honorium imperio spoliare contendebant: Et Gildo primũ, deinde eius frater Mascezel,

qui contra vtrumque tyrannidem in Africa occupare nitebantur: & Maximus Gratiani imperatoris interfector, & Marinus Falerius, Venetiarum Dux, qui facta cõiuratione patricium ordinẽ delere, & Remp. in regnum conuertere decreuerat, atque alij plerique iustè interfecti in historiis referũtur. Quales & illi famosi nostro seculo tyrãni, in Gallia Collignius, in Belgio Auriacus, ille Caroli IX. hic Philippi Hispaniarum regis iussu de medio sublati.

Socr. lib. 5. cap. 11. Sabell. li. 3. dec. 1.

Qui verò iusta potestate ad priuatorum iniurias abutitur, vt verum sit in hunc animaduertere Rempub. posse, quòd quæ in fures, latrones ac priuatos homicidas penes illã potestas est, tantò magis eam in tyrannum distringi æquum sit, quantò deterius est, per quem improborum coërceri iniurię debent, ab eo facẽ iis sceleris ac nequitię pręferri (quę causa olim Gallis fuit, vt publico iudicio Childericũ, ob priuatas adulteriorũ iniurias, de regno eiicerẽt) à priuato certè occidi propterea non licet, quia cũ non plus cuique in alterius vitã, quàm in eius bona permissũ sit, neque vero eo iure, quod ad regnum Tyrannus habet, nisi per publicum iudicium spoliari possit, am-

Tyrannum qui publicus hostis non est, à priuato occidi non licet.

Sacra regis persona quandiu regni ius remanet.

plius etiam quamdiu regni ius remanet, sacra eius persona sit, id profectò sequitur, ne in vitam quoque eius priuato cuiquam ius relictum esse. Quòd si quis tum priuatas iniurias profert, si cædi se scorpionibus, si premi & affligi conqueratur, tum hîc ea locum habent, quæ de ferendis aduersæ potestatis iniuriis, detolerantia & patientia proferuntur, vt quòd D. Petrus monet

1. Pet. 2.

subditos esse *Dominis, non tantum bonis & modestis, verum etiam dyscolis*. Et quòd ait. *Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis iniurias, patiens iniustè*. Vnúmque hîc remedium est, vt ad superiorē, si liceat, ideſt Rempub. recurratur, sin minus, misericordia Dei, in cuius manu cor regis est, flagitetur. Eóque sensu Constantiensis concilij intelligendum decretum est, quo definitum est, *Erroneum in fide esse, quòd quilibet tyrannus meritoriè, per quemcunque vassallum & subditum, & per clanculares insidias &c. non obstante quouis iuramento & confœderatione factis, & non expectata sententia vel mandato iudicis, interfici possit*. Ne scilicet si in cuiusuis generis Tyrannum sæuire permittatur, cædibus omnia, vt Alphonsus ait, prælatorū, virorum, patrū, dominorum, per subditos,

Pro. 21.

Sess. 15.

Alphons. de hæresib. verbo Tyrannus.

vxores, filios ac seruos, quòd tyranni videri possint, repleantur.

Et quamuis non desint, qui Pausaniæ in Philippum Macedonum, & Bodilonis in Chilpericum Gallorum regem, factum excusent, qui priuatas iniurias, ac illatam sibi, stupro ille, hic flagellis contumeliam, regis sanguine vlti sunt, vt in propulsando flagitio id licere, & *facere periculosè*, vt Cicerò ait, *quàm turpiter pati* melius esse fatendũ sit, in admisso certè vlciscendo licere penitus denegetur. Locum etiamhîc habere, quicquid lege tum diuina, tum humana, de inuiolabili Principis ac magistratus persona cautum est, fateamur. Pro. Mil.

At qui in Remp. hostiliter agat, qui in religionem ac patriam tyrannidem exerceat, hunc vt occidere respub. possit, cùm ex iis patet, quæ antea libro primo, & quæ nuper diximus, tum profectò est eiusmodi, vt de eo qui dubitet, hunc communi sensu carere oporteat, ignarúmque prorsus esse rerum humanarum. Nisi verò consentaneum quis esse credit, vt in beluam publicę saluti imminentem populus armetur, in Tyrannum quauis belua deteriorem non armetur. Nam si Tyrannum quia per- Tyrannum religioni ac patriæ infensum licet occidere.

missus est diuinitus, inuiolabilē quis Reip. putat, cur non de belluis idem sentiatur, quæ eodem modo à Deo permissæ sunt? Nam & Deus se *canes ad lacerādum, & volatilia cœli, & bestias terræ ad deuorandum, & dis-*
Hierem.15. *sipandum*, immissurum esse per Hieremiam comminatur. Nec absimile est quod Poëta ait, de Deo vtique loquens.

Georg.1. *Ille malum virus serpentibus addidit atris,*
Prædarique lupos iussit, pontúmque moueri.

Omninóque verum est immitti sæpe à deo hostes. Num ergo impunè grassari permittētur? Nō in eos armis cōtendetur? Nā si propterea cædi non desinūt, quia immissi à Deo sunt, iustéque in eos arma sumūtur nihilominus, quæ tyrāni ac publici hostis exceptio esse potest, vt quia à Deo permissus est, propterea in eum gladius nō
Psalm.103. stringatur? Scitū quippe quid valeat istud,
Exod.9. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*. Et illud ad Pharaonē, *Idcirco posui te, vt ostendā in te fortitudinē meam*. Tolerari videlicet cū aliis de causis, tum ob id sæpe a Deo tyrannos, vt iis puniendis, siue per homines, vt Neroni accidit, siue aliter, virtus eius & maiestas agnoscatur.

Quòd si ita est, id quoque consequitur,

priuato etiam cuiuis tyrannum, quem hostem resp. iudicarit, occidere licitum esse, quòd quæ publica Reipub. potestas est, vt se aduersus hostem tueatur, eúmque de medio tollat, ea in priuatũ quemuis suopte põdere deuoluatur. Probãte id vel natura ipsa, vt quod manui propter vniuersũ corpus, & filio propter matrẽ concessũ est, vt infestũ hostẽ ac vitæ eius imminentẽ quacũque potestratione percutiat, idẽ quoque in Tyrannum, vniuersi Reipub. corporis, communísque adeo matris, quę patria est, interitum molientem, cuiuis impunè ac citra offensam facere permittatur. Quòd inter Christianos tãto magis licere debet, quanto maius est, quod iis à Tyrannis non reip. tantùm, sed & religionis periculum creatur. Accedit, quòd tum princeps esse desinit, iusque dominij omnino amittit, cum & iure ipso deponi constet, & præterea impossibile sit eundem patrem simul atque hostem esse. Ex quo fit, vt quod in alienum, atque adeo hostem, vel in bello pugnantem, vel vitæ insidiantem, aut in quemuis à repub. proscriptum permissum, imò etiam in matris laborantis causa, præcepto dominico imperatum ac iussum est,

Priuatus quiuis tyrannum Reipub. hostem occidere potest.

Reip. hostis ius omne principatus amittit.

idem in eum quouis modo præstare non tantum liceat, verum etiam imperetur, qui religioni ac patriæ, quæ omnes omnium charitates ambæ complexę sunt, nefarium bellum indixerit, qui vtrisque insidias struxerit, meritóque à Repub. vt publicus hostis damnatus sit.

Ecclesiastica & sacra de ea re testimonia & exempla.

Cap. 17.

QVa in re ne quid scrupuli supersit, quod accinctum fortem quemuis à strenuè agendo deterreat, Christiana scilicet & sacra ea de re tum testimonia, tum exempla pro feramus. *Homicidium* (inquit Pōtifex Honorius) *nō est peccatū, cum in vindictam populi Dei fit, vt occisio Goliæ à Dauide, Holofernis à Iudith:* & Iohannes Salisburiēsis, *Porro* (inquit) *Tyrannum occidere nonmodo licitum est, sed & æquum & iustum. Qui enim gladio abutitur, gladio dignus est perire.* Et paulò pòst, *In eum ergo merito armantur iura, qui leges exarmat; & publica potestas sauit in eum, qui euacuare nititur publicam manum.* & Iohannes Gerson in decem considerationibus, ne fatuis adulatorum decipiantur erroribus,

in Psal. 5.

lib. 8. polycratici de nugis Curialium.

bus, consideratione 7. *Error est* (inquit) *dicere terrenum principem in nullo suis subditis, dominio durante, obligari, quia secundum ius diuinum, naturalem æquitatem, & verum dominij finem, quemadmodum subditi debent fidem subsidium & seruitium domino, sic etiam dominus subditis suis fidem debet & protectionem. Et si eos manifestè, & cũ obstinatione, in iniuria, & de facto persequatur princeps, tunc regula hæc naturalis,* VI MVI REPELLERE LICET, *locum habet. Et id Senecæ in Tragœdiis,* Parte 4. lit. l.

--Victima haud vlla amplior
Potest, magisque opima mactari Ioui,
Quam Rex *iniquus.* Senec. in Hercul. furente.

Sic Sozomenus & Cassiodorus de Iuliano apostata, quem Libanius Sophista & alij gentiles à Christianis occisum spargebant, *Quod verum forsan est* (inquiunt historici) *nec verò quisquam reprehenderit facilè, si quis propter religionem fortem se ostenderit.* Lyranus in 31 caput Numerorum, enumerans duodecim causas, propter quas bellum iustè suscipi potest, *Duodecima* (inquit) *si Tyrannis à præsidente exerceatur.* Neque verò alia protestantiũ hæreticorum confessio, quãtumuis hodie propositum commodo sibi inuento tyranno mutent, nisi quòd in eius Sozom. lib. 6. cap. 2. Cassiod. in hist. trip.

qui verè tyrannus sit descriptione, seu particulari determinatione discrepamus. Sic enim Bucchananus, *Tyranni* (inquit) *Deo & hominibus habẽdi sunt iniurij, eósque in luporum aliorúmue noxiorum animalium genere magis quàm hominum habendos esse puto. Quæ qui alit, & sibi perniciem alit & aliis. Qui occidit, non sibi modo, sed publicè vniuersis prodest.* Nec longè discrepat Bodini opinio, cum ait in Tyrannum qui præsidia, arces & munita loca occuparit, apertúmque se hostem præbuerit lege Valeria vtendum esse, quæ Tyrannũ vel indicta causa cædi iubet: Sin minus, & tyrannidis ita suspectus sit, vt à vi tamen manifesta abstineat, Solonis potius legem audiendam esse, vt iure primùm in eum agatur, ac deinde pœna irrogetur. Quid enim est aliud indicta causa tyrannum, quã à priuato quouis, cũ dabitur, interfici posse? Nam si id in inuasorem principatus licet, tanto magis in religionis ac patriæ oppressorem, quantumuis alioqui legitimũ principem, licere debet, quanto deterius est, malum in eo videre præsens, quod in altero tantum futurum timebatur.

Lib. de iure regni apud Scotos.

Lib. 1. de rep. cap. 5.

Oppressor religionis & patriæ Inuasore principatus peior.

Sic partim monitus oraculo, partim populi clamore, in presenti ac dura oppressio-

ne incitatus Othoniel Chusam-rasathaim, seu, vt ait Iosephus, Chusartem Assyriorum regem, tyrannicè Iudæis dominantem, vir priuatus Othoniel, interfecto eius præsidio profligauit, ac propterea gẽtis suæ principatum est adeptus. Idem consequutus est Aod, cùm ille Eglon Moabitarũ regem, in cuius familiaritatem se insinuauerat, colloquij specie in cubiculum regis admissus, pugione transfixisset, vnde & principatu octoginta annis potitus est. Iud. 3. Ioseph. Ant. lib. 5. cap. 3. 4. Ioseph. ibid. cap. 5.

Idem accidit Baraco contra Iabinum Chananeorum regem, victo eius sub Sisara exercitu, cum Sisaram prefectum militiæ priuata fœmina Iahël, atque adeo hospita interfecit, & ipse Barac Iabinum iugulauit. Sic Gedeon victis Madianitis eorũ reges Oreb & Zeb, & Zebee, & Salmana interfecit. Quod ad exemplum supplicij tyrãnorum & Ecclesię hostiũ vt trahi debeat, vel ipse propheta indicat, cum ait in spiritu Dei: *Fac illis sicut Madian & Sisarę, sicut Iabin in torrente Cisson. Qui disperierunt in Endor, facti sunt vt stercus terrę.* Et rursum, *Pone principes eorum sicut Oreb & Zeb & Zebee & Salmana. Omnes principes eorum, qui dixerunt hæreditate possideamus sanctuarium Dei.* Iud. 4. Iud. 7. 8. Psal. 82.

Ioseph. ant. lib. 12. cap. 8.

Sed & insigne priuati in tyrannũ zeli in Matathia exemplũ fuit, qui Iudæũ iussu regis Antiochi immolare idolis parantem, & Appellem regium ducem, à quo ad sacrificium impellebatur, *furore accensus* (vt ait

1. Mac. 2.

scriptura) *secundum iudicium legis, & zelatus legem sicut fecit Phinees Zamri filio Solomi*, super aram ipsam trucidauit. Vnde illa Luciferi ad vtramque historiam alludentis, ad

Lib. de non parcendo in Deum delinq.

Constãtium imperatorem verba. *Si tu* (inquit) *fuisses inter manus Matathiæ illius zelantis legem, aut in manu Phinees, cui testimonium perhibet Deus, & alienigenarũ* (id est hęreticorum) *more, vt tu facis, viuere tẽtares, sine dubio te*

2. Par. 25.

gladio interficerent. His accedit Amasias publico, vt dictũ est, cõsilio, nõ seditione aliqua, aut priuato scelere cęsus. Et quod Iehu

4. Reg. 9. & 10.

monitu Helisei, Ioram regem Israël, Ochosiã regem Iuda, Iezabelem quoque ipsam, & septuaginta filios Achab interfecit, & euasit Rex Israël. Sic Græci imperatores tyrannicè dominantes sæpè interfecerũt,

Lib. 2.

cuius insigne apud Nicetam Choniatem exemplum de Andronico Comneno est. Dignum verò hoc imprimis Francorum gente factum, & ad virtutis exemplum posteris, qui hodie sunt, merito proponendũ.

Qui vt erant tyrannidis in religionem ac remp. nonmodo suam, sed & alienam insolētes, cùm in Syriam traiecturi, ad eripiendam Sarracenis terram sanctam essent, parum habentes tyrannos religioni infensos exigere, nisi & è repub. eosdem exigerent, profecti Constantinopolim, vt electo tyranno, cui Alexi nomen erat, Alexium iusto imperio restituerent, inter reliquas aduentus sui causas Græcis significarunt, *nullū se aduersus gentem Græcorum nobilissimam bellum moliri, sed iustum & legitimū Cæsarem velle in pristinam dignitatem restituere. Singulas veteris Græciæ ciuitates præmia tyrannicidis ac diuinos propè honores decreuisse, quanto maiori honore excipiendos esse se* (1. Frācos) *qui tyrannum ab iniusto dominatu venirent depulsuri?* Denique tyrannum vrbe pepulerunt, Alexium stabilierunt. Quem cum Myrtilus quidam stirpis imperatoriæ vir occidisset, & se pro imperatore gereret, Franci post longam obsidionem captum, præcipitem de altissima turri deiecerunt.

Æmyl. lib. 6.

Franci tyrannorum vel ex aliena Rep. ex actores.

Obiectionum pro tyrannis solutio. Cap. 18.

NEque verò præterire fas est, quæ hîc passim obiiciũtur, & in quibus mirũ est vt nõnulli gloriẽtur & exultẽt. Primùm est quod Dauid tametsi negotiũ ei cũ Tyranno manifestissimo esset, ab eius cæde tamẽ, etiã cum liceret, semper abstinuit, imò interfectorẽ affecit supplicio. Sed hîc primũ quæro, si bellare cum tyrãno est nefas, cur eũ Saule Dauid bellum gesit? Aut quis nescit, si in prælio Saül moreretur, id Dauidẽ fuisse probaturũ, cum id vltro in spelũca hortãtibus ad eius cædẽ amicis respõderit? 2. Reg. 24.

At enim cæde abstinuit, verè illud quidem (ait Augustinus) *quia occidere noluit, quãuis iure potuerit*, vt perfectionis hîc exẽplũ, nõ necessarij officij esse intelligas. Nisi fortè id addere libet propterea abstinuisse Dauidẽ, quia tametsi Dei iudicio eiectus è regno esset Saũl, nõ tamen à Repub. cuius sũũ ius in regis constitutione ac depositione est, esset exclusus: veritũ scilicet, ne in re quãtumuis iusta noceret exẽplo, si regẽ interficeret, quẽ necdum respub. condemnasset. Tum quod etiã priuata potius, quã publica causa occidisse videri potuisset. Contra Adimahtum cap. 17.

Fortius illud de Ieroboã, qui religionem corruperat, vitulos aureos in Bethel & Dã

posuerat, Israël deniq; peccare fecerat, quē tamē occidit prorsus nemo: sed nec missus ad eū propheta cædēdū prædicauit. Atqui (dicimus nos) nec Amasiā regē Iuda missus ad eū vir domini, occidi imperauit, quē iustè tamē populus, & quidē publico cōsilio, de medio tulit. Vsque adeo parū efficax est per negationē istud argumentandi genus. 2. Par. 25.

Sed cū idem prædixit scindendum altare Hieroboā, comedere cū eo, & in toto eius regno Deo prohibente noluit, imo etiā interemptus à leone est, quòd a pseudopropheta circumueniri se passus esset, vt cum eo comederet, satisne indicauit, excōmunicatū populum atque anathema esse, qui impio regi seruiret? Quid illa Ahię prophetæ ad vxorem Hieroboam vox, *Percutiet* (inquit) *Dominus Deus Israël, sicut moueri solet arundo in aqua, & euellet Israël de terra bona hac, quam dedit patribus eorum. Et tradet dominus Deus Israël: propter peccata Hieroboam, qui peccare fecit Israel*, satisne significat peccasse Israëlem, qui impium regem toleraret, meriturum alioqui, si iuxta legē, quæ in Deuteronomio est, de medio sustulisset? Nam si punitur populus propter peccata Hieroboam, neque verò remedium aliud erat, 3. Reg. 13. Populus impio regi & Apostatæ seruiens anathema. Cap. 14. Deut. 13.

quàm si eum legẽ Dei seruare cogeret, aut morte afficeret, aut saltem eiiceret, quid sequitur nisi propterea puniri populum, quia quod debuit in publica regni causa, id facere neglexerit?

3 Sedenim (inquiunt) Achab religionem sustulerat, Iezabelem Sidoniorum regis filiam infidelẽ duxerat, altaria destruxerat, prophetas occiderat, Naboth iniustè damnauerat, & tamen non ministerio populi, sed Dei tantum nutu est extinctus. Rectè illud quidem. Sed vicissim obseruent, cum eo interiisse populum, iuxta Micheæ prophetiam, qui dispersum iri Israël sicut oues prædixerat. Imò quę trium annorum & dimidij siccitas fuit, grauius in populum, quã in ipsum regem desæuiisse, cum fames ad pauperes, non ad eos qui abundant, vt plurimum pertineat. Neque alia istud de causa, quàm quod impio regi obsequens, particeps se eius culpæ reddidisset. Eadem ratio & Manassis, pro quo afflictus populus vt fuerit dictũ etiam antea est. Quid est enim cũ rege interire, & pro eo puniri populum, nisi quia particeps criminis tolerãdo extitisse?

3.Reg.22.

3.Reg.17.

Populus punitus propter tolerată impietatem Achab.

Lib.1.

4 Quòd vero de Nabugdonosore obiiciũt,

non restitisse ei quenquam, imò orare pro eo iussos esse, alia penitus ratio est, sed ipsis inutilis. Propterea enim cogi Rex ille non potuit, vt seruiret Deo, quia homo infidelis, & in regno infideli, pacti huius particeps nunquam extitisset, vt ad illud Deo exoluendum vllatenus cogi posset. Neque de numero fratrum erat, vt hunc occidi, si deficeret, necessario iuxta legē oporteret. Vetabat etiam specialis reuelatio, ne contra eum surgerent, cui eos seruire Deus (& quidem statō Hebdomadarum tempore) nominatim præcepisset, sed vt religionem tamen quam ipsi accepissent, vel inter medios idololatrarum choros integram conseruarent. Baruch. 1. Nabugdonosor cogi ad fidē non potuit quia infidelis. Deut. 13. Bar. 6.

Illud verò leuissimum, quòd non Ioh. Baptista, non Christus, non Apostoli in regem impium surgere, aut de medio eum tollere docuerunt. Quasi vero eadem instituendæ Ecclesiæ ratio, atque institutæ esse credenda sit. Ac non prius plantari & irrigari vineam, quàm incidi oporteat. Adde quòd nec id licuit, cum potestas impiorum superior esset. Sed neque illi Christum professi erant, vt cogi in verba eius mortis supplicio possent. Sed tum demum scilicet id

datum est, cum id prophetæ impletum est, Esa. 49. *Erunt reges nutritij tui, & vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* In quæ tempora vt ventum est, sic vti iure suo in resp. Christiana profecto potest & vero debet.

6 Nec minus leue istud, quod alij quidam dicunt, præstare tyranno beneficium qui occidat, nec pœna grauiore in eum esse opus, quē suspiciones, inuidiæ, metus, cæteræ perturbationum furiæ satis per se torqueāt. Citántque ad id illud Diogenis, qui Dionysio tyranno, Corinthi inter cytharędos ludenti ac bibenti, securitatem inuidit, & magnæ imprecationis loco, dignū, qui inter tyrannos seneſceret, esse dixit. Nam cum id scelerato cuiuis perinde accidat, vt suæ illi, veluti furiæ, occurrant iniuriæ, quæ eum respirare non sinant, quid sequitur, nisi vt ne supplicio quidem, quantumuis nequam, debeat coërceri? Imo quanto quisque nequior est, tantò sit à pœna liberior? Nam si tyrāno beneficium datur, cum vita ei adimitur, non tantum quia mors ærumnæ finis est (vt dicunt ij, qui humanum tantùm hîc sapiunt) sed etiā quia eius, quod deterius est, peccati, tantó-

que tolerabilior in æterno igne tyranni damnatio futura est, quanto eius in scelere vita fuerit breuior, nos sanè misericordiã istam ei ne inuideamus. Reipub, verò multò minus. Quia & si indignus isto beneficio tyrannus est, at digna certe Respub. est, à qua talis pestis abscindatur. Tyranno quę debeatur misericordia.

Fortissimum verò illud, quod de vnctione obijcitur. Scriptum est enim, *Nolite tangere Christos meos.* Nec maior vsquã Dauidi quàm in Christum domini, *id est vnctum*, religio. Vnde illa tam frequens vnctionis obtrusio, vt cum dixerint, *est vnctus*, tum se omnia tela obiectu vno retudisse putent: impunéque adeo regi, quicquid, crudeliter, iniustè, impiè, profanè, vno nomine tyrannicè præstiterit, debere ex hoc vno esse velint. Forte, inquam, istud, si peccandi illecebra vnctio hæc, non lex virtutis atque hortamentũ esset: aut si etiam dignior regis, quàm presbyteri vnctio, ac non potius hæc multis partibus superior foret. Quæ si non impedit tamen, quin scelerati puniantur, quin exauthorati ab Ecclesia primùm, seculari iudicio tradantur, quæ ista inferioris vnctionis exceptio esse potest, vt propter eam in impium regẽ ac ty- Psal. 104. Vnctio virtutis lex, non peccandi illecebra.

rannum tolli animaduersio, aut immunis ille iudicio esse possit?

Sacerdotalis vnctionis supra regiam dignitas.

Nisi verò credimus quia sacerdotũ simplicior, Regum maiore cum apparatu vnctio est, aut quia sacerdotes despectui, Reges Deorum loco multi habẽt, mensurandum esse ex eo chrisma, vt regum nobilius, quàm sacerdotum esse iudicetur. Imo tam desipimus, vt qui cœlum aperire & claudere, cui miraculi ministrum esse quod cœlo, angelis, ipsa Christi matre superius est, cui iungere diuina humanis, cui corpus eius in Eucharistia conficere,

Hor. 3. Car.

Qui terram inertem, qui mare temperat,
Cœlúmque & vrbes, regnáque tristia,
Diuósque mortalésque turbas
Imperio regit vnus æquo,

Apoc. 19. Psal. 144. *Qui rex regum, dominus dominantium*, cuius *regnum est omnium seculorum*, cui porrigere panem illum pinguem Christi, *qui præbet delicias regibus*, sua illa vnctione concessum est: qui de numero eorum est, quibus solis dictũ est, *Sicut misit me pater, ita ego mitto vos*, scilicet vt velut Dij inter homines agant, vt reges vngant atque constituant, ac Dei instar, homines vel cœlo ingerant, vel inferno condant, id verè præstantes sua illa

Genes. 49.

Ioh. 20.

data virga diuinitus, quod de fallaci Mercurio mentitur Virgilius,

—Hac animas ille euocat Orco Æneid. 4.
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit,

talem eorum esse vnctionẽ arbitremur, vt huic regum, qui terris, qui montibus, qui Oceano, qui fluminibus terminatam potestatem habent, quósque ab iis vngi necesse est, à superioribus vtique, iuxta Apostolum, inferiores, chrisma possit comparari. Quod si ita est, quæ ratio esse potest, vt illa tam sublimis, tam digna sacerdotis vnctio huic vt impuro, vt scelesto esse liceat, non permittat, nec vt puniatur impediat, Regem sua illa tot partibus inferior, quantumuis sceleratè, impurè, crudeliter, impiè agat, immunem efficiat? Ad id scilicet valeat vnctio hęc, vt inuiolabiles, vt sancti, vt ab iniuria omni tuti & sint & credãtur, non vt si nocuerint, si se pro prædonibus gesserint, si permiscere omnia tentauerint, pœnæ iustissimæ, atque adeo necessariæ eximãtur. Nec tam desipiat homo, vt nesciat, bene agẽdi præsidium istud, non peccati libertatem esse. Similes qui aliter sentiunt, esse hæreticis, qui datam à Christo libertatem in id conferunt, vt incestis nu- Hebr. 7.

Vnctionis priuilegiũ quod.

ptiis, vt gulæ, vt ventri indulgeant, vt continentiæ atque ieiuniis nuntium remittãt,
Gal. 5. & reclamante Apostolo, *tantùm ne libertatem* (inquit) *in occasionem detis carnis*, sapere se tamen in suo illo sensu credentes, puteos Abraham, qui defæcatus liber scripturæ est, iniecto limo, idest carnali ac terreno
Genes. 26. sensu, Philistæorum instar inficiant. Indignum denique esse priuilegio eum vnctionis, aut etiam Ecclesiæ vti, qui in vnctionem ipsam, atque adeo Ecclesiam armatur. Quæ cum sint eiusmodi, vt iustè tyrannum deponi, vt ab eius obsequio subditos solui, vt iustè bello peti, imo publico iudicio, si possit, sin minus, & periculum manifestum vrgeat, quouis modo (periurium semper absit) ad necem rapi debere fatendum sit, nunc quibus gradibus HENRICVS meruerit vt tyrannus diceretur, sequitur vt dicamus.

Henricus vt tyrannus sit, generalis descriptio. CAP. 19.

Quid Rex. SEd hîc facilius initium est, quàm exitũ reperire, cum in eo vt regium nihil, sic tyrannica omnia liceat intueri. Nam si rex est, qui à Deo & populo legitimè constitu-

tus, vt Dei vicem & gladium in iis quę temporalia sunt gerat, id agit vt sincerum Dei cultum incolumem efficiat: vt publicis nō priuatis suis commodis inseruiat: vt paternè & benignè imperans, amari potiùs, quàm timeri studeat: vt rationi & legibus obtemperans, earum se custodem seuerum exhibeat: vt emendari se à bonis, & liberè reprehendi gaudeat: vt malos coërceat, bonos & virtute præstantes diligat ac foueat: vt ordines reipub. omnes suspiciat, & se ei natum credens, eam quantum in se est immortalem reddat: vt tondere contētus, velut bonus pastor, miseris succurrat atque opem ferat: vt iniuriarum propriarum oblitus, quæ Deo ac Reipub. fiunt seueriſſimè castiget & puniat: vt iustitiæ studiosus, fide plenus, magnanimus, in pace omnia contineat: nec tam se armis, quàm fide ac synceritate muniat:

Contra verò Tyrannus est, qui permissus irato Deo, id imprimis curæ habet, vt potentiam suam per fas & nefas stabiliat: vt contempto reip. bono, quæ sua sunt quærat, crudelis & austerus infaustū illud & infame, *Oderint dum metuant*, in ore & corde habeat: vt se supra leges constituēs, Quid Tyrannus.

in iis violandis laudem quærat: nihil exōsum magis, quàm liberas bonorum reprehensiones habeat: vt omnes omnium ordinum homines eludat: vt remp. sui causa natam esse credat: vt populum deglubere, & ad internecionem deducere instituat: vt contemptis, quæ in deum fiunt iniuriis atque blasphemiis, insatiabili cupiditate se vindicandi ardeat: vt sine iustitia, sine fide, homo ignauus, cōtentionibus omnia misceat: denique dum nec se suis credit, barbaris sicariis stipatus incedat: Si tam hæc vera in HENRICO omnia sunt, quàm priora longissimè absunt, quis eum Tyrannum, ac primi nominis tyrannum dubitet iure nominari? Sed nos hæc singula qualia sint videamus.

Henricus non legitimè in regnum ingressus.

1 Ac sit sanè prima hæc Tyranni nota, si quis non legitimè in regnum ingressus sit. Nam qui eiusmodi sunt, quantumuis iustè & moderatè imperent, tyrannos nihilominus esse Philosophi dudum docuerunt. Sic Pisistratus Athenienſium, Hiero Siculorum, & Cæsar Romanorum tyranni dicti sunt, quòd quamuis temperatissima eorum dominatio esset, non legitimè tamē ad regnum ingressi probarentur. Porro

duplex

duplex nõ legitimi ad dominatũ ingressus via, si quis videlicet aut iniustam potẽtiam arripiat, aut eã quidẽ quæ iusta est, sed cum scelere atque iniuria. Nam si quis patrem interficit, vt hæreditate gaudeat, iustam possessionem accipit quidem, sed scelere meruit, vt ea simul & vita priuetur. At HENRICVS vt legitimè Carolo IX. fratri, naturali morte, sine mascula prole occumbẽti succedere potuerit, quòd eo tamen veneno per scelus extincto (quo ministerio, quáue arte nihil dicimus) in regnum ingressus est, quis legitimè regnum inuasisse, ac non potius tyrãnicè fateatur? Non enim ignotũ est, quid in Poloniam inuito abeũti promissum, quid vertente anno seruatum sit. Quid Carolo regi decumbenti, & vnde, in cuiúsue gratiam moreretur agnoscenti exciderit. Vt Galliam ob futurum regnum miseratus sit. Et vt inde locum illud merito habuerit, quod per anagrammatismum ad hæc verba allusum est,

HENRICVS TERTIVS FRANCORVM REX.
HIC NVNC REX VERVS FRATRIS MORTE.

Dignus certè, vt qui per parricidium regnum ingressus est, de eodem propter parricidium deiiceretur.

2 Henricus impius. Const. Apost. lib. 8. cap. 2.

Iam illud testimoniũ est omni exceptiõne maius, quod aiũt apud Clementẽ Apostoli. *Neque verò* (inquiunt) *Rex impius, Rex est amplius, sed tyrannus.* Nimirum quòd inter Christianos naturæ loco pietas esse cœperit, vt qui de ea deciderit, pari loco cum iis qui naturæ pugnant, cuiusmodi sunt tyrãni, debeat æstimari. At impietas HENRICI qualis sit, expositum satis antea est.

3 Henricus legum infractor & contemptor.

Rex etiam est qui ex legibus, Tyrannus qui ex propria voluntate imperat: & ille legibus paret, quas hic despectui habet. Nota enim illa est Imp. M. Aurelij primùm, ac deinde Theodosij & Valentiniani vox. *Dignum principis maiestate esse legibus se subiectum profiteri. Imò aliquid imperio ipso excellentius esse, principatum legibus subijcere.* AT HENRICVS & leges fregit, & id sibi licere verbo profitetur. Leges quippe communes hæ sunt, *Ne idem iudex & pars esto. Alieni iuris hominem ne iudicato. Indicta causa ne interficito.* Regni verò hæ propriæ, *Locus regiæ sacer esto. Comitia libera sunto. Fidem in omnibus Rex seruato. Noua vectigalia iniussu populi ne imponito. Pares Franciæ à Paribus iudicantor.* At ista omnia vt fregerit acta præsentia, & vetera docuerunt.

Quinetiam Rex populi se commodis natum, Tyrannus contra natam sibi rempub. esse putat. Et ille publicis commodis seruit, hic priuatis. HENRICVS nihil nisi sua negotia, seruitium suum, seruos suos vrget. Si quid querimoniæ de oppressa religione, patria, pauperibus & similibus increpuit, pro omni responso rebus suis prouidendum esse ait. 4 Henricus natam sibi Rempub. putat.

Amplius regis est moderata, tyranni grauia & importabilia vectigalia imponere. Scitum enim est illud Tyberij imperatoris, *Boni principis esse oues tondere, non deglubere.* HENRICVS in eo qualis fuerit, docent innumera in populi perniciem vulgata edicta, erecti in officiarios regis caupones, hospitarij, cæteríque mechanicorum ex infimo hominum genere gradus. Imposita aduocatis, notariis, procuratoribus, publicanis, & ne quid omitteretur, piscatoribus, salsamentariis, cæteris id genus pecuniæ summa. Docet auctus Senatorum ac iudicum numerus, vendita vndique officia, deinde suppressa post acceptam pecuniam, quòd noxia reipub. dicerentur. Mox sumpta iterum pecunia, denuo erecta. Medita- 5 Immodica ab Henrico imposita tributa.

ta insuper & tentata super matrimoniis, pueris baptizandis, caminis, carcerum custodibus tributa, auctum salis quadruplo eóque amplius pretium: ita vt vnde decies centena aureorum millia capiebat, postea quadragies cẽtena millia, ideſt, pro millione vno quatuor milliones & amplius acceperit, & quæ in eo vt cætera omittantur vnius edicti salis crudelitas fuit, vt pauperes, quibus vix erat vnde cibario pane, absque omni obsonio vescerentur, tantum salis emere, aucto in quadruplum pretio cogerentur, quantum magnis & honestis familiis in victu opulento satis esset. Ita vt illi vel sal emptum abijcere, vel dimidiato pretio vendere necesse haberent, si tamen qui emeret, inuenire possent. Docent denique mille, quas hîc enumerare, vel etiam cogitare tædet, emungendæ pecunię artes. Quódque omnem inhumanitatem superat, datum lugentibus ac prę inopia se soluendo non esse querentibus pauperibus, víxque hæc Regi probari credere se dicẽtibus, ab insigni quodam, & qui Henricum planè nosset, tyrannidis ministro responsum, *Henricum ipsa eorum*

ossa fracturum esse, si pro medulla argentum in iis latere crederet, aut inuenturum putaret.

Rex præterea à Tyranno differt, quòd ille publicis vt alienis, Tyrannus vt suis vtatur. HENRICVS vt publica & aliena dissiparit, docent occupati per vim ex domo vrbis, seu publico Parisiorum ærario annui reditus, vnde priuati multi diuites, pauperes, viduæ, pupilli vitam sustentabant, quos iustis possessoribus ademit, nec persoluit. Accedunt & quæ antea de publico sumpta pluribus exposuimus. 6 Aliena bona diripuit.

Amplius, Regium est iustitiam defendere, Tyrannicum opprimere. Sic olim Antigonus negauit quemquam se maiorem Regem esse, nisi qui se iustior esset. Et tyrannidem ex eo cœpit Tarquinius, quòd ius corrumperet, & reos arbitrio suo vel solui vel plecti procuraret. HENRICVS fractis carceribus sceleratissimos homines & hæreticos, pecunia donatos, iudicio eripuit, & innocentissimos dānauit. Id docuit præter alia, Francisci Brettonij in supremo senatu aduocati, pauperũ zelatoris, optimi & catholicissimi viri imperata atrocissimè, 7 Iustitiam oppressit. Dionys. Halic. li. 4.

imò, vt à pleríſque viris bonis affirmatur, empta ſanguinis pretio mors, quòd primus ille HENRICI in religione atque iuſtitia hypocriſim nominatim tetigiſſet.

8 Patres regni contempſit. Dionyſ. Halicar. lib. 4.

Regium inſuper eſt Reipub. patres, per quos regnum temperatur, reuereri, eiſque parere, tyrannicum contemnere. Nam vt Tarquinius, Nero, Heliogabalus, Caligula & alij tyranni dicerentur, magiſtratuum cõtemptus fecit. HENRICVS omnes omnis generis patres contempſit ac violauit. Sacerdotes deſpectui habuit, ſæpè etiam iniuriis ac verbis procacibus lacerauit. Cõtemptis Principibus optimè de Repub. meritis, honoratiſsima quæque officia impuris hominibus, nullo nomine ac virtute commendatis dedit. Supremas curias in verba ſua iurare, quidquid collibuiſſet probare, vi atque interdicti commination e ſæpe coëgit. Curiam iuuaminũ, quia edictũ reuocationis priuilegiorum Eccleſiæ, nobilitatis & vniuerſitatum à ſe factum probare noluerat, facto ipſo interdixit, ac dein de aliquanto poſt, metu publicæ defectionis, interdictum reuocauit. Eandem curiã, vt edictum ſuper telis factum, quod trede-

Henrici in ſupremas curias violentia.

Curia iuuaminum.

eim totos menſes repudiauerat, probaret, miſsis eò Principibus ac proceribus aliquot, vi adegit. Eodem modo actum cum curia computorum, ſeu publicarũ regni rationum, quam quòd edicta peſtifera & crudelia probare iuſſa fortiter reſtitiſſet, anno 1587 interdixit, ac deinde interdictũ coactus reuocauit. Supremũ autem Senatum vt violarit, cùm alia multa docẽt, tum illud inſigne, quòd ſeptem & viginti perniciosiſsima edicta vno die in populi viſcera ac ſanguinem, ipſe in Senatu ſedens, reclamantibus bonis, conniuẽtibus autẽ, quos in iſto ordine coëmptos furoris ſui miniſtros habebat, promulgauit atq; publicauit. Sic denique Patrum maieſtatem, partim muneribus, partim vi aperta profligauit, & abiecit, cum taciti ſilerent, omnia permitterent, & ad gratiam loqui, quàm ſtrenuè reſiſtere mallent, vt meritò eos multi, vel publicè, *Togata mancipia* vocitarent.

Camera computorum.

Supremus ſenatus.

27. pernicioſa edicta vno die per vim promulgata.

Ad hęc vt Regem benignitas, ſic Tyrannum contumelia delectare ſolet. Sic olim Caligula, ſic Heliogabalus ganeonibus delectati, honeſtiſsimos viros contẽpſerunt, ſępè etiam diffamarunt. Hoc HENRICI in-

Contumelioſus in omnes.

genium vt fuerit, præter dicteria & scommata, præter mirum simulandi artificium, quo eludit & irridet omnes, ostendit nuper impurissimæ bestiæ, ac truculentissimi monstri Sibilotti (hoc enim eius fatuo, nũc defuncto nomen erat) spectaculum, quo cum nihil aspectu fœdius, nihil ad ebrietatem ac libidinem proiectius, ad blasphemiam atrocius esset, ab hoc, si superis placet, rabiosi canis instar spumas emittente, lupi in morem vlulante, oculis igneis ac furentibus, defluente ex ore sanie, scipione durissimo obuium quẽque feriri ac fugari, in Regia, in foro, in publico, effusus risu lętabatur. Tolerabile istud fortasse, nisi, quod animus dicere horret, isto fœdissimo cane ad violandam virginum sacrarũ castitatem, quas in conspectu suo nudari & teneri iussit, imò & tenuit, ipse sceleris author ac minister vsus esset. Similis in eo (nisi fortè peior) Adolpho Imperatori, similis Tameri seu Tamerlano Scythæ, quos isto genere spectaculi impurissimos Tyrannos delectatos esse, sed non in virginibus sacris tamen, historiæ prodiderunt.

Henr. Sibilotto furente & in omnes sæuiente delectatus.

Φεῦ τῆς παιδείας!

Calcondy. lib. 3.

Infensus 10 Sed & vetus illud est, vt Reges candore

hominum vera dicentium delectantur, sic Tyrannos iisdem offendi solitos esse, sic acceptus Dauidi Nathã, cum scelus aperiret, & ab Esaia increpatus fleuit Ezechias. Sic inter Gallos Reges, qui plebeio vestitu sumpto, à rusticis quid de rege diceretur inquirerẽt, & auditu proficerent, Ludouicus Crassus, & Franciscus primus extiterunt: vt cõtra Tyranni, Esaiam Manasses, Ioas Zachariam, Herodes Iohãnem, Nero Senecam, atque alij alios, a quibus arguebantur, occiderunt. Alij inhonoratos, vt Platonem Dionysius, Micheam Achabus, reliquerunt. Quibus nisi similis HENRICVS esset, non tacere ab eo iussi, non atrocibus verbis lacerati, non carcere clausi, non ad mortem expetiti prædicatores verbi Dei, non denique laqueo suffocatus Franciscus Brettonius esset.

vera loquentibus. 2. Reg. 12. 4. Reg. 21. 2. Par. 24. Mar. 6. 3. Reg. 13.

Iam vt Regis est incolumem patriam velle, sic Tyranni eius perniciem moliri. Qualis hic HENRICVS, qui 12. Maij Parisiensium vitæ laqueos, tortores, gladios, faccos: bonis ac domibus prædones ac fures: vrbi vastitatem (vt olim Romæ Nero) intentauit? Qui externum militem, furens in viscera patriæ aduocauit, & eius op-

11 Publicam perniciem molitur.

pressorem, ἀλεξίκακον, ac patriæ meritò patrem GVISIVM interfecit?

12 Sed & solemne est vt regibus, viris bonis & sapientibus delectari, ac pro custodia vti (tales enim S. Ludouico, tales Alphonso Arragoni, tales omnibus bonis in deliciis, sine armatis hominibus fuerũt) sic Tyrãnis optimũ & fortissimũ quẽque odisse, amantes patriæ ac Reip. viros de medio tollere (sic enim Machiauellus iubet) & armatis sicariis muniri. Præclarè enim Claudian.

Bonis infensus malis delectatur.

Machiau. in Liuium, lib. 3. c. 3.

Claud. in 4. Honor. Cons.

--Sors ista Tyrannis
Conuenit, inuideant claris, fortésque trucident,
Muniti gladijs viuant, septíque venenis:
Ancipites habeant arces, trepidíque minentur.

Sic Ioab Abnerum & Amasam meliores se interfecit. Hoc quale in HENRICO fuerit, primùm illud probat, quod acutissimi homines in illo obseruarunt, eum nullũ vnquam virum bonum, aut quem nõ prius corrupisset, amauisse ac secum tenuisse: & quos corrumpere non potuit, aut suo furori non consentiẽtes vidit, protinus odio habuisse, ac missos fecisse. Deinde quòd nouo exemplo, ac nusquam in Gallia viso, quinque & quadraginta sicarios, siue assassinos, quorum opera ad quencunque velit

Henr. nullum vnquã virum bonum amauit.

Henrici 45. Carnifices.

occidendum vtatur, sumpsit, inter quorum gladios, vix etiã securus agit. Tertio quòd Christianissimos principes, ducem GVISIVM per eosdẽ assassinos, tũ inuidia, tum odio animat⁹, quòd nec ferre posset quemquam præ se vno diligi, aut magni fieri, & quòd suis furoribus resistentẽ agnosceret, trucidauit. Ac deinde Illustriss. Cardinalẽ eodem genere sceleris de medio tulit.

Neque verò postrema regis virtus est, propriarum iniuriarum oblitum, quę Deo, quæ populo fiunt seueriss̃imè vindicare. Sic enim Christus, Rex regum, in suis patiens vt agnus, in Patris iniuriis vt leo desæuiit. Et ne sacra proferam tantum, Augustus Cæsar iterum & tertio à Cinna ad necem expetitus, deprehenso toties ignouit. Insuper hoc addidit, *Certamen mihi tecum, ô Cinna, esse videtur, tu vt me perdas, ego vt te seruem: sed quicquid moliaris, te seruabo tamen.* Ex quo Cinna tam amico deinceps & fideli vsus est, quàm prius hostis extiterat. Tyrannus contra est, qui Dei neglectis offensis, totus in eo est, vt illatas sibi atrociter vlciscatur. HENRICVS vt exiis sit, Belloij à duobus HENRICIS, Valesio & Nauarro, contra HENRICVM vnum

11 Iniuriarũ Dei contẽptor, suas vehementissimè vlciscitur.

Seneca l. 1. de clemẽtia.

in Apolog. Catholic. GVISIVM conducti, depromptum è Machiauello propositum docet, satis scilicet sollicitum esse Deum de suis iniuriis vindicandis, Regi de suis esse prouidendum. Quòd & HENRICVS patrauit egregiè, cum dissimulato per hypocrisim odio,

Guisij peccatũ quod. GVISIVM hoc solo peccantem, quòd christianũ HENRICVM esse crederet, quòd lacrymis eius fidẽ adhiberet, crudeliter interemit. Quin si Augusti & Cinnæ historiam hîc citare operæpretium est, GVISIVM Augusti, HENRICVM Cinnę locum videas occupare. Sed vt HENRICO tamen melior Cinna fuerit, qui victus humanitate, amicus ex animo fuit, quod HENRICVS esse non potuit. Sed & commentarium criminum læsæ Maiestatis ab HENRICO profectum, atque ordinibus oblatum, ab iisdémque repudiatum, peiorem Anglicana inquisitione vidimus, quæ se capitis supplicio vlturum comminatur. In eo vt de Deo ne verbum quidem, ita de regi illatis iniuriis fere omnia sunt. Prorsus vt ad puerorum vtriusque sexus vota, quos singulis horis Lutetię, per vicos ad Deum clamantes, litanias recitantes, nudis pedibus, cum accensis cereis incedentes, &

Commentarius criminum læsæ maiestatis.

opem Dei implorantes, tota hyeme, atque adeo rigente vidimus, & adhuc etiam videmus, animum aduertentibus, id occurrerit iustissimè, quod aduersus Episcopum, nomine Defensorem, D. Martini promotioni resistentem, sed à pueris condemnatum citatũ refert Sulpitius, *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & defensorem.* Scilicet vt puerorum preces eum destruant, qui se inimicum Dei, & eius contempta causa, propriarum non tam iniuriarum, quàm libidinum vltorem atque defensorem fecit. Hist. D. Mar. ca. 7. Psal. 8.

Iam quia legibus cum pace optimè cõuenit, Rex vt legum amator est, sic pacẽ vbiq. procuret necesse est. Id Ludouici, id Roberti, id alij Reges pij in Gallia fecerũt. Tyrannus contra, quia leges odit, vt frangere eas liceat, familias inter se committit, doctore Machiauello, miscétque contentionibus. Hac arte cum alii, tum insigniter vsus HENRICVS est, preclarè secum diu agi ratus, dum Borbonij & GVISII inter se diglariarentur, ipse, velut pugnæ arbiter, id ageret tantùm, ne pars altera alteram nimis opprimeret: nunc oleum vbi opus esset adhiberet, nunc frigidam infunderet. 14 Committit nobiles familias. Barth. de Tyran. Machiauel. in Liu. l. 2. ca. 3.

Hostes prouinciis præfecit.

15 Regium quoque & illud est, ius reddere his qui oppressi sunt, ac de iis respondere, qui prouinciis præfecti sunt. Tyrannicum contra eos præficere, qui patriæ obsint, aut iniurias ab his illatas non vlciſci atque vindicare. HENRICVS præfecit Prouinciæ ac Delphinatui Valettum & Spernonium homines nequissimos, à quibus templa profanata, cæsi innocentes, nihil non impietatis commissum est. De quibus HENRICVS cum expostulantes audiret, contempsit, & his lacerandas nobilissimas prouincias reliquit.

Timidus & diris agitatus.

16 Amplius vt Reges fortes sũt & quieti, sic timidos tyrannos esse, & furiis agitari, Neronis spectra, & se sub lecto condens ad tonitrũ Caligula docuerunt. At HENRICVM

Suet. in Cal.

lepore timidiorem & ignauum magis, vt furiæ nonnunquam & spectra exagitẽt, demonstrant trucidatæ ante aliquot annos Parisiis, repentino eius è somno euigilantis

Bestiæ ad Luparam cæsæ.

iussu, regales ad Luparam bestiæ, leones, vrsi, pardi, quòd se ab iis deuorari somniasse diceret. Non intelligens videlicet, quàm multò crudeliores bestias, aulicos, parasitos, Gallici populi helluones, quos occidi præstaret, & à quibus deuoratus verè est,

spectrum id indicaret. Sed & furiis ac nocturnis visis terreri adhuc, peruagatus satis rumor inter plurimos est.

17 Tyrannorum facta imitatur.

Denique Rex est qui Regum, Tyrannus qui Tyrannorum exemplа imitatur. At HENRICVM si quis quærat, cui similem credere oporteat, Ioabum, qui per colloquium Abnerum, per osculum Amasam: 2.Reg.3. 2.Reg.20. Tryphonem & Ptolemeum, qui per dolum & fraudem Ionatham & Simonem fortissimos Machabæos (nam & GVISIOS Machabeos honorifico & vero titulo Sixtus V. Pontif. esse dixit) Ismaëlem filium Nathaniæ, qui simulato ploratu & religione, octoginta viros trucidauit: Achabum alienæ vineæ vsurpatorem, Nabothi interfectorem, & famæ innocentis oppressorem, Micheæ percussorem: Saülem Dauidem persequentem, & regi Amalech impio parcentem: Ieroboam, qui positis vitulis aureis peccare fecit Israël: Ioam Zachariæ carnificem: Pharaonem Israëlitas immensis oneribus opprimentem, ac monita Dei contemnentem: Abimelech occisis fratribus, vt solus regnaret, à muliere tegula per cussum atque interfectũ: Antiochum illũ radicem peccati, in sacras pecũnias inuo- 1.Mac.12. 1.Mac.16. Epist. ad Guis. ducẽ. Hier.41. 3.Reg.21. 3.Reg.23. 1.Reg.15. 3.Reg.12. 2.Par.24. Exod.1.2.3. Iud.9. 1.Macch.2.

lantem, fruſtráque in interitu Deum inuocantem: Syllam crudelitatis typum, poſt multam ciuium ſuorum cædem phthiriaſi conſumptum: Herodem interfectis innocentibus, principes omnes in morte ſua occidi præcipientem: Neronem vrbem incendentem, & funeſtum illud, *me moriente terra miſceatur incendio*, inclamantem: poſtea verò ne à quo etiã occideretur, impetrare valentem: Valentinianum cæſo fortiſsimo duce Aëtio, brachio ſe dextro priuantem, & in interitum ruentem: Conſtantinum Copronymum, Catholicos furori ſuo nõ aſſentientes, ſaccis incluſos, in mare proiicientem: Adolphum imperatorem publicè adulteria patrantem, moniales, viduas, virgines conſtuprantem: Andronicum Connenum, Byſantiorũ Auguſtũ, ganeonum & paricidarũ caterua ſtipatum, poſt dehoneſtatas ſua ſeruorũque libidine pudicas matronas, virgines, moniales, poſt rapinas in ſubditos, poſt ſublato laqueo, veneno, gladio, nobiliſsimos & optimos viros, aperto marte à ſuis appetitũ, captum, regalibus exutum, altero oculo priuatum, aſinæ verſa ad caudam facie impoſitum, dextra manu truncatum, in crucẽ pedibus actum,

Ioſeph. 17. Antiq. Sueton.

Iſid.

Glyc.

Nicet. append. Glyc.

Boccac. de caſib. illuſt. Vir. lib. 9.

actum, populi ludibrio expositū ac discerptum: Eduardum 2 Anglicum, post necatos in comitiis principes, regno priuatum, & immisso per anum candenti veru fœdè necatum: Quid multa? nequissimos qui toto orbe fuerunt tyrannos, & si qui sunt illis pares proferemus. Thom. VValsing. in Eduard. 2.

QVOD SIT REGNO INVTILIS. Crimen quintum.

Principes duri & inutiles principatu cur arcendi. CAP. 20.

LEuissimum hoc crimen, & quod tolerari fortè in HENRICO posset, si cętera abessent. Sed tale tamen, vt ex eo quàm grauis causa sit abdicandi reges, maiores nostri peruiderint, qui Chilpericum, qui Childericum, qui Theodoricum, qui Carolum crassum, qui LVDOVICVM tertium & alios, quòd inutiles & minùs regno idonei essent, sceptro amouerunt, & tonsos capite recluserunt. Neque id quidem iniuria. Quia cum duo sint, propter quæ reges constituti fuerunt, alterum vt iudicium exerceant, alterum vt populum ab hostibus tueantur (vtrúnque enim Israëlitæ in- Eiectati è Gallia ob solā ignauiam Reges. Reges ad quid instituti.

1. Reg. 8. dicarunt, cùm dicerent, *Constitue nobis regem vt iudicet nos.* Et rursum, *iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella*
1. Reg. 10. *nostra pro nobis.* Et iterum, *Num saluare nos poterit iste?*) neque verò vlla pacti seruandi ratio sit, vbi causa pacti defecerit, id profecto sequitur, qui inutilem se regno præbeat, ne vlterius quidem in eo ferendum
Apoc. 12. esse. Nam nec aliter in Apocalypsi, idoneus futurus erat mulieris fœtus, *regere gentes in virga ferrea*, ideſt inconcussa iustitia, nisi puer masculus, hoc est generoso, & rebus agendis nato animo præditus nasceretur. Et pro magna Dei ira hoc etiam scriptura
Esa. 3. ait, *Et effœminati dominabuntur eis.* Sed & propterea etiam fortè Galli fœminarum in regno fuerunt insolentes. Ne effœminatis quidem viris multo æquiores, quos partim recluſos, electo strenuo aliquo prorege tenuerunt, partim ignauiæ & inertiæ pertæsi penitus excluserunt.

Ad tyrannidem verò dum istud accesserit, tum fit illud nescio quid, quod à Poëta de Busiride dictum, à nonnullis perperam
Gell. lib. 2. cap. 6. reprehensum, à Gellio autem bene defensum & explicatum legitur,

--Quis aut Eurysthea durum,

Aut illaudati nescit Busiridis aras? Georg. 3.

Durum profecto, & ad summam nequitiæ significationem efficax verbum, cum vix è truculentissimorum tyrannorum numero quisquam fuerit, qui non aliqua laude, aut iustitiæ, aut literarum, aut alia quauis commendatus extiterit. Nã & Phalaridis iustũ iudiciũ in Perillo, boue quem fecerat, incluso: Cãbysis excoriato iniquo iudice, & filio eius super patrię pellẽ in sede collocato: & Tamerlanis in re militari virtus, & Iuliani literę humaniores memorantur. Prorsus vt in quo laus nulla sit, eũ de pessimo hominũ genere esse necessariò oporteat. Mirúmque illud, cum vel truculentissimæ bestiæ vsui alicui esse possint, inter homines comparere, qui ea lege natus sit, vt noceret omnibus, prodesset nemini. Quæ si summa ignominia est, neque verò æquum est præferri eum cæteris, quem infra omnes esse vel natura ipsa iubet, quæ ratio esse potest, vt crudelis & ad nihil vtilis, propterea quę illaudatus homo, in regno diutius teneatur? Et quidem Claudij imperatoris, sicuti apud Suetoniũ est, lex fuit, *vt qui ægra & affecta mancipia in insulam Æsculapij, tædio medendi exponerent, ius in eos amitterent, & si*

Illaudatũ esse summa tyrannidis cum ignauis iunctæ significatio est.

Sueton. in Claudio Cæs.

conualuissent, qui exponerentur, liberi essent, nec redire ad dominum cogerentur. Quod si ita est, & id iure factum esse vel ipse naturæ sensus docet, qui homines natura non seruos, sed liberos, & solum Christum dominũ agnoscentes, hominum tantùm instituto & pactione sibi subditos, ægros subinde & affectos duro suo principatu sic relinquat, vt nihil opis, nihil præsidij afferat, quantò æquius est ab ei⁹ iugo liberos esse, qui nocere ita didicerit, vt prodesse nulla in re possit?

Henricus vt sit regno inutilis.

Cap. 21.

AT Henrici vt iniurias plurimas recensere facile est, ita in quo profuerit, aut in quo populum iuuerit, videre adhuc non licuit. Libẽtérque hîc Persarum legem seruari admittimus, ne damnetur, nisi multò plura eius mala, quàm bona esse conuincãtur. Nisi fortè quæ frequentissima eius actio fuit, vt choreas duceret, vt saltaret, vt pœnitentium choros ageret, vt cynædos & scorta, sicuti olim Tyberius, nudis corporibus, turpissimo spectaculo, in portenta libidinum ruentia cerneret, vt canes nõ venaticos, ne quid in eo generosum sit, sed

Diod. lib. 1. & 15.

Henrici opera & acta quæ.

delicatulos, atque è muliebri sinu abstractos, magno numero aleret, comeret, oscularetur, in vlnis ferret, mẽsæ & lecto adhiberet: vt pluris quàm optimos ac fortissimos viros faceret, similis in eo Honorio, qui Gallinæ, quam Romam vocabat, amissionem ægrius ferebat, quàm nobilissimæ vrbis Romæ excidium: vt in medio ardore belli ineptias nihilo remitteret, Galienum imitatus, qui rosaceas domos feruente bello construebat, & audita Ægypti, Galliæ, & Asiæ defectione, nihil commotus pro omni responso, nunquid respub. sine Ægyptio lino, sine trabeatis Galliæ sagis, sine Asiæ aphronitris esse posset, rogabat, has regias virtutes esse, aut præclarè cum populo ac regno propterea agi existimamus. Et quidem quòd sacras ædes ædificasset (alias autem prẽter Hieronymitanum adytum & Antonianam speluncam non vidimus) mirificè se laudantem audiuimus. Sed idem, imo melius aliquid Eduardus 2 Angliæ Rex, cùm multis aliis dirutis Ecclesiis feciſſet, quas præstaret esse superstites, non vtilis propterea regno est iudicatus. Multò verò ineptior exprobratio illa fuit, cum Parisiensi vrbi, post turpem illam fugam,

Cuspin.

Trebell.

ingratitudinem erga suum ingens beneficium obiecit. Quod eam se diceret diuturna sua in vrbe mora bonificasse (hoc enim nouum eius, & de præclarissimis eius inuentis vocabulum) frequentiáque & opibus auctiorem multò reddidisset. Nempe quòd huius tã sancti regis merito, vt olim domus Obededõ excepta arca, & domus Laban præsente Iacob, & domus Ægyptij, agente apud eum Ioseph, omne benedictionis genus accepisset. Homo scilicet irato non Deo tãtum, sed & Gratiis & Geniis natus, qui quod summæ ignauiæ, est id sibi laudi ducat, & quæ pessimè ipse fecit, ea beneficij loco credi velit. Quasi verò non vsu compertum sit, magnarum vrbium pestem esse, diuturnã in iis Principis moram, quod hîc aula & corrumpat populum, & seipsa in dies fiat corruptior. Quod cũ accidere fere solet, tum verò hæc HENRICI ex eius in vrbe præsentia beneficia extiterunt, quòd diuina omnia & humana conculcauit, quòd luxum incredibilem introduxit, quòd mores corruptissimos inuexit, quòd laruatus per vrbem atque personatus diu noctúque incedens, dies sacros ac festa profanauit. Quòd matronarum ac

Bonificare Henrici vocabulum.

2. Reg. 6. Genes. 30. Genes. 39.

Maguarum vrbium pestis diuturna in iis principis Mors.

Henricus quid lutetiæ præstiterit.

ac virginum nobilium pudorem expugnauit: quòd optimum quemque ludibrio ac despectui habuit. Quòd execrationes atq; blasphemias, scurrilia & impia verba in ore suorũ, ac deinde vulgi posuit. Quòd adulteria, sodomias, & quod peius est, sortilegia, atheismos ampliauit, ac libera fecit. Et ne non hæc satis essent, ærarium Parisiense toties exhausit, tributa immensa Parisiensibus imperauit, iustitiam, vt nunc est, vænalem, támque adeo pretio caram fecit. Denique, quod palmarium est, furiis incensus, vt alter Catilina, vrbem vetustate nobilissimam, magnitudine amplissimam, numero populosissimam, religione orthodoxa constantissimã, omni genere virtutis ac sapiẽtię illustrissimã, cuius ipse obedientiã, fidem, ac liberalitatẽ expertus semper esset, nulla in re lęsus, hoc offẽsus solũ quòd zelo religionis catholicę ardenteẽ videret, vno tẽpore cæde, incendio, latrocinio fœdare, perdere, vastare, per sceleratissimos homines adulteria, blasphemias, libidines, nequitię omne genus spirãtes, homo beneficus & patriæ amãs cogitauit, imò aggressus est. Et quia scelus nõ perfecit, quia hũc propria nequitia expulit, ingratitudinis, si

Parisiensis vrbis laudes.

Henrici in Parisiorum vrbem cõiuratio.

superis placet, quòd se occidi nõ passi sint, quòd se, quòd patriam, quòd religionem ab interitu vindicarint, optimos ciues criminatur.

Hæc nimirum, per quæ vrbem Parisiensem tam insigniter *bonificauit*, hoc est, vt interpretari verè licet, animo corruptam, corpore exãguem, atque monogrammam quantum in se est fecit, *Et campos vbi Troia fuit*, facere cogitauit. Quæ sunt profecto eiusmodi, vt hîc illud ex Ennij Medea, à Crasso & Cicerone simili in re non semel citatum,

Orat. pro Cœlio.

Vtinam ne in memore Pelio

meritò liceat vsurpare. Nusquam scilicet è Polonia tam fatalis exul rediisset, nũquam in vrbe bonificator esse fuisset, néue equi, aut iumenta forent, quæ tam funestum patriæ incendium ad nos reduxerunt. Parisiis certè tandiu is non egisset, cui illud, quod de Tyberio olim scriptum est, tam bellè conueniat,

Sueton. in Tyber.

Aurea mutasti Saturni secula Cæsar,
Incolumi nam te ferrea semper erunt.
Fastidit vinum, quia iam sitit iste cruorem,
Tam bibit hũc auidè, quàm bibit ante merũ.
Aspice fœlicem sibi, non tibi, Romule, Syllam.

imo tyrannum Sylla crudeliorem, non tuis iam commodis, (ô Lutetia) sed suæ libidini seruientem.

Et Marium si vis aspice sed reducem.
Necnon Antoni ciuilia bella monentis
Non semel infectas aspice cæde manus.

Cum in eo scilicet omnes omnis generis crudelitates, quas in hæreticis experta Gallia est, coniunctas simul & conglutinatas liceat intueri,

Et dic Roma perit. Regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Nimirum, qui exilium illud Polonicum vecordia primum & stupore commutauit, ac deinde Parisiense, atroci illo Blæsensis latrocinij scelere vindicauit, qualis futurus sit iudica, & quàm multo sanguine dæmoniis suis litaturus, si ab exilio ad regnum BONIFICATOR iste tuus, ô patria, redierit.

Adeo scilicet experti malo nostro sumus, quàm verè id fuerit à Carolo IX dictum, qui cum HENRICVM à se ablegatum, magno iam onere vacuus, ad Polonos transmisisset, egregiam se illis *hapelurdam*, id est nudam strenui ac boni viri vmbram dedisse professus est. Et quòd re-

deunte eo è Polonia, cum multi de eo mira sperarent, qui eum norant tum domestici tum exteri, nihil boni gesturum, vero nimium, heu! vaticinio prædixerunt.

Quæ inutilis fractique animi abiectio quàm altas in eo radices egerit, vel ex eo intellige, quòd in isto recentis adhuc Blæsensis parricidij horrore, cum armis fremeret vndique Gallia, & de defectione serio cogitaret, securus ipse, & de expugnanda Aurelia, ac Lutetia ferro & igne citissimè perdenda certus, totus in eo magnam partem erat, vt de amasijs suis vnum, toto corpore nudum, coram se in tabula pingi procuraret, iudéxque in eo sollicitus, ne quid aberraret penicillum, dies multos cõtereret. Homo otiosus, ac perditè turpis, cui non satis esset, fœdisse tactibus polluere, ac naturam peruertere, ni spectaculum haberet, vnde mentem & oculos, ne quo tempore non turpissimus esset, perpetuò inquinaret. Quis enim in eo qui hæc agat, patriæ amantis, aut vtilis regis, vel pilum esse dicere iure possit?

Exod.32. Talem quippe se nobis, vt quis exhibeat, Codrum præstet aut Decium pro patria
4.Reg.18. morientem, Mosem æmuletur deleri se de libro vitæ, ni populus saluus fiat, postulan-

tem: Ezechiam imitetur excelsa auferentẽ, statuas confringentẽ, lucos succendentem, sapienter in omnibus se gerentem, Philistæos percutientem: Iosiam referat altaria Baal demolientem, aruspices, augures, Pythones, ariolos, effœminatorũ domos, fana excelsa destruentem, eorum sacerdotes occidentem. Discat illud, quod ad Reges ille simul Rex & propheta ait, *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Vt ea faciat scilicet, interprete Augustino, *ad seruiendum Deo, quæ non possunt facere nisi reges.* Hæresim destruat, blasphemiam auferat, cæteras Reipub. pestes simoniam, rapinam, adulteria, sodomias eradat, pietatem, iustitiam, literarum studia promoueat ac stabiliat. His quippe artibus Clodouei, Caroli, Roberti, Ludouici cæteri primi in Gallia Reges in cœlum conscenderunt. Hæc sunt enim, quæ non possunt facere nisi Reges. Quibus præstandis vtilissimorum Ecclesiæ, Reip. ac patriæ Regum nomen promeruerunt. Quæ si HENRICVS nec fecit, nec facere in animo habuit, imo ne fierent omnibus modis impediuit: si totus ineo est, vt non seruandæ, sed destruendæ patriæ conquirat rationes,

4. Reg. 23.

Psa. 2.

August. Epist. 50.

Præclarè secum agi ratus dum voluptuariè agere, dum miscere libidine cuncta posit, Si factum huius, vt olim credidimus incuria, vt nunc scimus, studio est, vt religio in Gallia caderet, vt mos patrius interiret, vt decies centies mille in Gallia animæ æterna morte perirent, quid vltra futurum est, quo quis illum hominẽ frugi, quo vtilem regem prædicare posit? Nam si vltra perget Germanos dicere opera sua esse victos, vt incredibili typho venditet se, vt fecit, homo ignauissimus Augustum esse quemdam, non alio huic responso opus erit, quàm quod Salinatori apud M. Tullium Q. Fabius Max. dedit, cui cum fugax ille diceret, *mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepisti.* Tum ille ridens, *næ* (inquit) *nam nisi tu amisisses, ego nunquam recepissem.* Ita enim nisi HENRICVS Germanos acciuisset, GVISIVS eos non vicisset: neque Galliam vniuersam ferro, fame, flamma princeps optimus prohibuisset, nisi per hæc illam perdere perditissimus ipse tyrannus contendisset.

Cic. in Cat. Maiore.

QVOD HENR. HYPOCRITA.

Crimen ciu. Sextum.

Tyrannidi fere coniuncta est Hypocrisis. CAP. 22.

SEd & tyrannidi affine vitium hypocrisis. Quotusquisque enim immanium tyrannorum fuit, qui non virtutis simulatione aliqua, vel ad ingrediendum dominatū, vel etiam ad seruandum vteretur? Declarat illa Herodis Christum adorationis specie perdere cupientis, móxque in pueros crudeliter sæuientis veteratoria calliditas. Mat.2. Alterius item Herodis, Iohannis Baptistæ interfectoris, quem vulpem propterea, vt hypocrisim designaret, Christus nominauit. Declarat & Neronis quinquennium acerbissima tyrannide commutatum. Sed & Constantij, hostis blandientis, specie religionis occidentis, Christum confitendo abnegantis (vt ait Hilarius) varium & multiplex ingenium. Amplius etiam Iuliani per summam in religione hypocrisim ad imperium ingressus, quòd ille omni crudelitatis genere conspurcauit. Docuit & Ba- Mar.6. Luc.13.

Zon.

Henotici seu vnionis edicti ab Henrico violati typus.

filiſci imperatoris ſucceſſor atque interfector Zeno, qui ſimulata cum Orthodoxis pace, factóquevt hodie ab HENRICO, Henotico, ſeu vnionis edicto, eodem ad nobiliſsimi cuiuſque & piiſsimi cædem poſtea eſt abuſus. Declarant & alij poſteriores illo imperatores, Philippicus, Copronymus, Leo Armenius, Michaël, Theophilus & alii, qui catholicos ſe omnes profeſsi initio, mox tyranni crudeles effecti, mira hypocriſi Eccleſiæ ſimul ac populo illuſerũt. Sed neque aliter Mahumetes inſtitui tyrannus potuit, quàm ſi ſe diuinitus, ſua illa columbæ impoſtura, afflatum ſimularet, velóque hypocriſeos fucum imperito populo faceret, ac futuræ crudelitati aditum aperiret. Quid HENRICVS VIII, vt omittam veteres, Anglię Rex? aut quis eius hypocriſim neſcit, pro Eccleſia primùm ſcribentis, *Deffenſoríſque fidei* titulo honorati, ad poſtremum Eccleſiam crudeliſſimè perſequentis? Sed & digna inceſto eodem patre atque fratre inceſta ſimùl ſoror & filia, quæ hodie etiam regnat, Anglicana Iezabel, quæ nec peruenire ad apicem iſtum putidiſsima belua potuiſſet, niſi mira hypocriſi impietatem ſuam ſpirante

ac viuente Maria Catholica Regina occulere didiciſſet.

Omnium verò maximè in Iohanne Baſiliade, magno duce Moſchouiæ (qua bellua nihil à ſeculo viſum eſt truculentius) ante annos, vt fertur, quatuor vel quinque vita functo, id apparuit. Cuius vt vita perpetua fuit innocentium cædes, quos ipſa libidinibus, ſacrilegiis, atque blaſphemiis horrens, laqueo ſuſpendi, aquis præfocari, membratim diſſecari, haſtis confodi, ipſe ſæpe miniſter cædis lætabatur, nullæ vt huic maiores deliciæ vnum vt ſolatium eſſet, ſi recreari vellet, vt humanum ſanguinem funderet, ita non aliter peruenire eo potuit, vt ex legitimo principatu crudeliſsimã tyrannidem efficeret, quàm ſi ementito primùm monaſticæ vitæ inſtituto, abdicatóque, vt fingebat, principatu, miſſis ad vniuerſas imperij ſui arces, qui literas in ſpeciem, de aſſerendo filiis ſuis principatu ferrent, dato ſingulis negotio id ageret, vt nobiliſſimarum familiarum principes, iiſdem præfectos, ſumpta per ſatellites occaſione, inopinatè opprimeret. Quę cum ei ad ingrediendam tyrannidem via tutiſsima viſa fuiſſet, eadem pulchra ei

Magni ducis Moſchouiæ inſignis cum crudelitate hypocriſis. Alex. Guagninus Veron. in deſcript. Moſchouiæ.

Baſiliades ſe monachum fingens tyrãnidem inuadit.

visa est, per quam illam pessimè introductam peius exerceret, vt ædificato monasterij instar suo illo Alexandro vvæ palatio, monachi nigri vestitu indutus, loróque succinctus, cultellúmque & lucernam ferens, ipse cum ingenti aulicorum caterua, quos ritum hunc imitari, flagris alioqui cædendos, oportebat, in fanum ad matutinas preces, aliásque cærimonias, quibus Rutheni vtuntur, procederet. Hos omnes fratres, séque adeo ipsum fratrem appellari iuberet. Ita vt hæc magna aulicorum Moschorũ fraternitas diceretur. Quibus hora prandij suus cuique cibus in cistella, ipsi magno Duci primũ, tanquã primario fratri ac deinde reliquis porrigebatur. Potúsque eodem modo singulis dabatur ad mensuram. Atque ita absoluto prandio, ad suas quisque cellulas reuertebantur. Cúmque absolutum Canonicarum precum officiũ esset, tum ipse Dux, tanquam maior natu, è cœnobio illo egrediens, aliquot captiuos morti destinatos produci è carceribus iubebat, ibíque variis mortis generibus affici. Itaque alij ad palum, alij ad rotam alligati, alij securi percussi, alij laqueo suffocati, alij in frusta dissecti, multi aquis obruti macta-

Basiliadis hypocritæ monachalis habitus.

Crudelis deuotionis Moschæ exitus

mactabántur. Hícque deuotionis illius solemnis ac perpetuus exitus erat, vt decem vel viginti humanis victimis magni Ducis dæmoniis litaretur. Tanto fœtore cadauerum, vt illac transire nemo posset. Crudelitatis verò, non in captiuos tantùm, sed & in familiares ac necessarios, diffamatione tanta, vt quotiescúnque ad funestum illud Alexandrovvæ castrum aliquem è suis cõsiliariis Dux impius inuitaret, nemo illorũ esset, qui non crederet, ad præsentẽ se mortem accersi, neque inde incolumem reuersurũ. Itavt discessurus domui suæ primùm disponeret, vxori ac liberis valediceret, & amicis sua cõmitteret. Vnus scilicet inuẽtus nostro seculo homo, qui cũ tyrannide hypocrisim tam insigniter cõiungeret, nullus vt dignior propterea esset, quem vtriusque æmulus HENRICVS imitari posset, suæque in eo nobis in vicinam Moschouiæ Poloniam profectionis fructum daret. Basiliades Henrici typus.

Hypocrisis etiam in hæreticis ac cæteris impiis. CAP. 23.

Neque verò id in principibus mirum esse debet, cum & id in priuatis, sicubi impietas regnat, locum eodemmodo

habeat. Non enim aliud hæreticorum ingenium, quod vt crudele perpetuo est, vt principem suum referat, homicidã ab initio, ita iis perpetuo hæc ars fuit, vulpinam leonina commutare. Ario primùm quid lenius, aut mansuetius? Quid in speciem religionis amantius? At hæc pestis fuit, quæ vniuersum orbem cæde, incendio, omni genere crudelitatis subuertit. Tales & Donatistæ, tam dulces initio, quàm truces atque insolentes postea extiterunt. Eiusmodi Petilianum, & qui cum eo erant, fuisse arguit Augustinus, de mansuetudine tum gloriantes, cum nocendi facultas nõ esset.

Heretici dolosi & crudeles. Epiph. he. 69.

Lib. 2. cõt. Petil. cap. 83.

Isto modo (inquit Augustinus) *& miluus, cum columbos rapere non potuerit, columbum se nominat. Vbi enim potuistis, & non feciſtis?* Tales & Rogatistæ, de quibus idem Aug. *Vos* (inquit) *Rogatistæ meliores esse videmini, quia non sæuitis cum Circuncellionum gregibus. Sed nulla bestia si neminem vulneret, propterea mansueta dicitur, si dentes & vngues non habet. Sæuire vos nolle dicitis, ego non posse arbitror. Si autem aliquid posſetis, quanta faceretis, quando nihil potestis, & non cessatis?* Sed id, eheu! nostro seculo quàm verum sit, funesta illa incendia apud Germanos Lutherus, apud Gallos

Epist. 48. ad Vincent.

Caluinus & Beza, & qui eorum furias secuti sunt, docuerũt. Homines videlicet mansueti initio, quibus vna religio, vna charitas cordi esset, crudelitatis interim virus pectore occulentes, qua fœdè in optimos quosque atque innocentissimos sacerdotes, principes, plebeios, vtriusque sexus viros, immanissimi tygres atque vrsi bacchati sunt. Sed quid mirum id in eis, cum impietatis eorum archetypus atque author Iudas, quo doctore insultare Eucharistiæ, Christi præsentiam in ea negare, crucifigendum atque illudendum tradere, imo per seipsos illudere ac crucifigere didicerunt, pauperum zelo auaritiam, proditionem oculo detestabilis hypocrita velauerit? Sed nec qui eum figurabat Ioab, crudelis in Amasam atque Abner esse potuit, nisi amicum se prius hypocrita mentiretur. Nec aliter crudelis in patrem Absalom insurgeret, quin se voto obstrictum in Hebron fingens pietatis fuco scelus obtegeret. Imò & prior illo Cain pietatem primùm mentiri necesse habuit, vt eò Abelem adduceret, vbi crudeliter trucidaret. Mirum id quoque, nec aliter viduarum domos deuorare potuisse Pharisæos, nisi lon-

Lutherani & Caluinistæ hypocrisi crudelitatem suam obtexerunt.

Iudas hypocrita Caluinistarum impietatis archetypus. Ioh. 6.

Absalom per hypocrisim ad tyrannidem tẽdit. 2. Reg. 15. Genes. 4.

Matth. 23.

gas & prolixas in templo orationes facerent, immitémque & crudelem animum specie pietatis obtegerent. Similes vtique crocodilo, qui quem deuoraturus hominem est, lugenti similis, effícto ad hominis vocem eiulatu, ipse in obscuro & lubrico latens ad se allicit, & incautum apprehendit. Aut etiam Pantheræ seu pardali, quæ maculis distincta, & variata bellua, vt hypocritam vel ex pelle significet, grato quodam odore bestias (nõ verò homines) ad se trahens, easdẽ sumpta occasione laceratac diripit. Vsque eò magna tyrannidis & hypocriseos necessitudo, vt vna sine altera, vel in belluis ipsis esse non valeat. Nẽpè vt eum referat, qui primus omnium hypocrita Diabolus (nam & Diabolus propterea hypocrita Iudas vocatus est) transfigurans se in angelum lucis, nunc cædibus orbem committere, nunc fraudibus permiscere non desinit. Non etiam aliter homines tentare peritus, quàm dulcem se initio mellis instar exhibeat, & in amaritudinem desinat, sicuti de meretrice, Diaboli vtique parallelo instrumento Sapiens ait, *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara quasi absynthium.*

Etiã in bestiis iuncta crudelitati hypocrisis. 2. Cor. 14.

Diabolus primus hypocrita. Ioh. 6.

Prou 5.

Hypocritarum, præcipuè verò regum quàm acerba persecutio.

CAP. 24.

PEssima imprimis afflictio, & ad conuellendam omnem tum Ecclesiæ tum Reipub. pacem mirè efficax. Quanto periculosius scilicet est, lupum intus in vestimento ouium, quàm armatum foris intueri. Quod nisi esset, non vsque adeo flebilis eius luctus esset, qui ait. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus consensu.* Imperfecta videlicet sententia, atque adeo per reticentiam hærēs, quòd doloris magnitudinem (vt Timantes ille pictor, Agamēnonis in summo eius mœrore faciem velans) nullatenus posset exprimere. Sed sceleris magnitudinem terribilis imprecatio indicat: *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes. Quoniam nequitiæ in tabernacullis eorum, in medio eorum.* Huc spectat illud væ, quod tam acerbè toties in hypocritas ingeminat Christus, cum Psal 54. ἀποσιώπησις Matth. 23.

duces cæcos, culicem percolantes, & camelum glutientes, sepulchris dealbatis similes, quod deforis est mundantes, intus autem plenos dolo esse ait. Imò & improbis atque adeo tyrannis, qui cõseruos per-
Matth. 24. cutiunt, *partem cum hypocritis* futuram comminatur, non tantùm quia affines sunt, vt dictum est, isti culpæ, sed etiam quòd nulla vlli damnatorum generi, quàm hypocritis, pœna futura sit acerbior. Et illa prophetæ
Esa. 29. vox terribilis. *Væ qui profundi estis corde, & à domino absconditis consilium. Quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt nos? & quis nouit nos?* & illud, *Non veniet in conspectu Do-*
Iob. 13. *mini omnis hypocrita.* Et rursum, *Si ascenderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perditur, & qui eum viderant, dicent, vbi est?*

Quàm dura res princeps hypocrita.

Quæ vt in omni conuersatione detestanda est conditio, tum verò in principe tantò magis, quanto durius est penes eum esse habenas regni, quem & reprehendere periculum, & ferre conscientia vetat. Monẽte illinc sapiente, *noli arguere derisorem, ne ipse oderit te.*
Prou. 9. Hinc dicente propheta, *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum.*
Esa. 5. Adulatione videlicet crescens, & fortius in dies

euadens malum, cum *laudatur peccator in de-* Psal. 9.
sideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Cuius
maledictione os plenum est, & amaritudine &
dolo, sub lingua eius labor & dolor. Nulla vt cõ-
modior ad deglubendam vniuersam tum
regni tum Ecclesię substantiam esse possit,
quibus idẽ quod iis, qui à viperis icti sunt,
accidit, vt sensim sine sensu moriantur ac
pereãt. Prorsus vt non sine causa persecutio
hæc, vt cæteris acerbior, per equum palli-
dum designetur, de quo in Apocalypsi. *Et* Apoc. 6.
ecce equus pallidus, Princeps videlicet & qui
cum eo sunt, fictis ieiuniis, pallore, atque
obseruantiis sanctitatem mentientes. *Et*
qui sedebat super eum, hypocritarum nimirũ
sessor Diabolus, quique eos quaquauer-
sum intorquet & inflectit, *nomen illi Mors*,
nequitiæ videlicet, quæ in hypocrisim de-
sinit, stipendium. *Et infernus sequebatur eum*,
quia nulla commodior euellendæ pietati,
perdendisque æterno igne atque morte
hominibus, quàm principis ac ministrorũ
eius hypocrisis esse potest. Quamobrem Hypocrisis vbique dif fusa.
verò? Quia *data est illi potestas super quatuor*
partes terræ, idest vniuersos Ecclesiæ, ac
Reipub. ordines. Quotusquisque enim ex
iis hypocrisi vacat? *interficere gladio*, bello-

Bella ciuilia hypocritæ fructus.

rum videlicet ciuilium, qui fructus est hypocritæ, dum vtrinque armantur, qui principis nequitiam vel cognitam à fructibus execrantur, satagúntque ne noceat vlterius, vel fuco velatam stulti ac cæci defendunt ac tuentur: aut, quod peius est, doctrinæ pestilentis, quæ nulla ex re maiores vires, quàm ex principis hypocrisi nanciscí & capere solet. *Et fame* non panis tantùm, sed quod deterius est, verbi Dei, qualem vtroque modo tot, eheu! Galliæ vrbes, atque prouinciæ iampridem patiuntur. *Et morte*, non ea tantùm, quę corporis est, momentanea & leui, sed quæ plus timenda est, peccati, atque adeo atheismi. Denique *& bestiis terræ*, scilicet vt homines, quibus nihil Deus, nihil cœlum sapit, *qui caracterem bestiæ, numerúmque eius, 666. qui numerus hominis est* (eos videlicet indicans, qui in rebus terrenis, senario numero, qui laboris est, designatis, primas, secundas ac tertias partes collocant rerum suarum) *in frontibus & dextera manu sua*, ideſt professione & opere ferunt, bestiisque propterea ac iumentis meritò comparantur, & ad quos illud pertinet, *væ, væ, væ, habitantibus super terram*, ideſt qui aliud nihil quàm terrā spi-

Apoc. 13. Numerus bestiæ. 666.

Psal. 48. Apoc. 8.

rant, in suis illis cogitatis furoribus grassari liberè & bacchari possint. Idque eueniat, quòd propheta ait, *Principes in medio eius, quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas.* Prorsus vt cum nulla tetrior pestis, hominum generi, principe hypocrita esse possit, non sine causa, pro summa ac deploranda maledictione, atque accensa impendio eius ira, *qui dat reges in furore suo*, scriptum sit, *Qui facit regnare hominem hypocritam propter peccata populi.* Ezech. 22. Osee. 13. Iob. 34.

Henricus quàm insignis sit hypocrita. Cap. 25.

At Henricvs quàm insignis hypocrita sit, triplex eius hypocrisis, in pietate seu religione, in re militari, atque iustitia docet, vt cum hæc tria Lilia sint, quæ pridē in Francia floruerunt, quæque ipse per hypocrisin fœdissimè inquinauit, nulla deinceps occasio esse possit, pro Liliorum rege hunc habendi, quo præsente nec Lilia esse possint. Ac de religione quidem si agitur, multa antequam Rex esset, deuotionis imago ac species erat. Vbi verò ventum ad coronam est, tantus se effudit pietatis in

Henrici in religione hypocrisis

ſpeciem feruor, vt abundè eſſet, vnde ſanctus dici poſſet, ſi facta ſignis reſponderēt. Multæ in eo orationes, multa vt videbatur ieiunia. Militiam ſancti Spiritus (alij ficti Spiritus dicebant) nouo habitus ac cerimoniarum genere inſtituit. Homo videlicet, qui nec an ſit Spiritus S. nouit. Primus certè omnium Sp. S. in crucem egit, vt propterea lepidè ſatiſa quodam dictus ſit Spiritupaſsianus. Sed & alium Heremitarum ordinem (quos Hieronymitas vocāt) ad ſaltum Vicennæ commentus eſt, vbi multos ſępe dies heremitarum habitu cum fratribus (ſic enim dicebantur) in hymnis & diuino cultu morabatur. Acceſsit iis alborum pœnitentium confratria (vt colore ſaltem à Baſiliade Moſcho diſcreparet) inter quos ille ſæpe per vrbis vicos, fune ſuccinctus, appenſóque ad cingulum flagello incedens viſebatur. Pedeſtres item ſæpius, tempore etiam pluuio, in habitu pœnitentis, & quòd maius, ſyndone ſuper nudo, algente frigore poſita, Carnutum vſque peregrinationes. Accerſiti deinde fratres Capuccini, & qui nouum vitæ genus ſectari nuper cœperunt, Fogliantini, quorum auſteritatem vitæ laudans, imò & imitari

Act. 19

G. Poſtellus.

Henr. Spiritupaſſianus dictus.

Mira Henrici hypoſis.

professus, ipse in confessione & Eucharistia frequens, libros ad pietatem factos vndique conquirens, sæpe etiam meditationi se incumbere fingens (dum postico elapsus cachinnans ac ridens, cum aliquot suis congerronibus deambularet, aut aliud nescio quid faceret) vno egere ad perfectam sanctitatis opinionem videbatur, vt miraculo aliquo acta sua comprobaret. Sed neque emissarij defuerunt, qui tum ipsi priuatim, tum in palatio publicè dicerent, nullum exiis, qui eum anteceſſerunt regibus, ne iis quidem exceptis, quos inter sanctos colit Ecclesia, parem illi sanctitate fuisse. Quinetiam & à Capuccino quodam petiisse fertur, *Num quis, dum viuit, referri inter sanctos possit?* Hæc tum in speciē religio, quæ vt fefellit plurimos, etiam viros bonos, qui quæ ab eo præterius & religionem fiebant, eius consiliariis acceptum ferebāt, ita qualis ea esset, horrenda sacris iis mista scelera, adulteria, scortationes, sodomiæ, sacrilegia (vt nusquam peiora Eleusinæ Cereris mysteria fuerint) testabantur. Et quod solemne cerimoniis istis erat, vt postridie earum, edicto quodam nouo, id est vectigali tyrannico populus vexaretur.

Emissarij Henrici adulatores.

Henriciane deuotionis finis

A deo vt vsu crebro factum sit, vt malè sibi populus ab istis deuotionibus metueret, eásque argenti aucupia vocitaret. Omninóque id in more habuit, nihil vt sceleris designaret, quod non deuotio aliqua (sicuti in cæde clarissimorum principum accidit) præcederet.

Henrici crudelitas à Moscho vt differat.

Vno in eo Moschouitæ dissimilis, quòd cum ille denos vel vicenos in suis illis sacris gladio occideret, HENRICVS decies vel vicies centenos iniusto tributo enecaret, & ad restim, vt dicitur, adigeret. Moschouitico sacro procul dubio publicè vsurus (vt occultè sæpius proiectis in Sequanam corporibus fecit) nisi quòd Moschorum seruile ingenium vsque eo est, vt cædi se à principe honori sibi ducant, eóque nomine gratias agant, & vt quidã Blęsis malè feriatus prælatus dixit, *facta regis honoranda*, etiã in scelere & manifesta iniuria putent, longè à Gallis, natura liberis atque ingenuis, vt & omnino omnibus,

Moschorũ seruile ingenium. Idem Gagninus in descript. Moscho. Cap. 5.

Queis meliore luto finxit præcordia Titan,

abesset. Quos propterea populis illis dissimiles esse, non semel idem HENRICVS, tyrannidis videlicet æmulus, multis verbis conquestus est.

Hypocrisis in re militari. CAP. 26.

IAm in re militari quàm sæpe regnet hypocrisis illi norũt, qui in castris agere, qui exercitus ducere didicerunt. Id quondam sub Dario Zopyri, id Metij Suffetij, id Hãni bales, id alij docuerũt. Sed nusquam fraus ista, quàm in Gallia à triginta annis maior, hoc est ex quo funestũ patriæ incẽdiũ, mulier vna, tot regũ mater, rerũ ibi potita est. Quo tẽpore ex tot cõtra hæreticos præliis vix vnum nõ sua velatum hypocrisi fuit, vt quod ad hostium interitum in speciem cõparatum erat, re ipsa ad eorum res augendas, aut certè ad æquilibrium cum Catholicorum viribus temperandas, vno nomine ad funestam illam Status, id est atheismi regulam, *Pugnent Galli, gallina modo & pullus imperet*, instituta essent. Vt si quid contra hæreticos tot insignibus victoriis promotum sit, id totum diuinæ virtuti, Ecclesiæ causam per homines vel nolentes, agenti tribuendum sit. Principum certè Catholicorum, quales vna Lotharenorum, maximè autem Guysiorum, & qui iis cognati sunt, stirps produxit, existimatione & commendatione tanta, vt quas illi obti-

Hypocrisis bellica in Gallia quãta fuerit.

Guisiorum virtus quãtis cum difficultatibus colluctata.

nuerunt, quantumuis exiguas victorias, cum magnis, quæ toto orbe fuerunt, victoriis debeant comparari. Quibus scilicet magna imperia quærere, quàm inter tot dolos subsistere, cúmque tot fraudibus colluctari facilius extitisset. De HENRICO certè id mirum est, cum ignauissimus ille semper, & à re militari alienus extiterit, vnũ in ea tantũ profeciſſe tamẽ, vt inter militares hypocritas vel primas teneret. Eiusmodi illa sunt, belli prętextu immẽsas pecunias colligere, ac milite non soluto, eodẽ ad diripiendam Ecclesiam ac populum vti, ne iugum excutere, ne tyrannidi resistere posſit: quódque bellum sacrum erat, id tyrannidis præsidium, imò latrocinium publicum facere, dum vna vox hæc in secreto concilio sonat, *Vastata regio melior, quàm perdita*. Quòd lucrum videlicet suum publicam perniciem putet, perditúmque existimet, quicquid iugum non subierit durissimæ seruitutis. Quóque succedant omnia meliùs, duces corruptissimos prouinciis præficere, iis etiam militiam committere, qui prædari, non bellare: qui sacra omnia & profana diripere, non hostẽ cædere: non tueri Catholicos, sed hæreticis colludere

Henrici paroemia. *Pays gasté vaut mieux que pays perdu.*

didicerint. Dux aliquis si pius, si fortis, & teger sit, huic pictum & imaginarium exercitum, sine pecunia, sine commeatu dare. Et ne sub vno capite coniunctæ in vnum copiæ aliquid prosint, eas vltro, cum non est opus, diuidere, próque vno forti exercitu multos debiles facere. Virtus vnius si quid illinc promouerit, hinc alterius fraude impedire atque corrumpere. Et si ista satis nõ sunt, strenuos duces exiguo comitatu instructos, iniquo loco & tempore pugnare iussos, hostium telis ex composito oportunos facere, ac cædendos tradere. Sic quippe ad Rupellam dudum Aumaleus, sic nuper Ioyeusa fortissimi duces de medio sublati sunt. Sic tentata sæpe ducis GVISII, sic fratris eius Maynei clarissimorum principum, sed irrito conatu cædes, cum nec falli eorum prudentia, nec vinci fortitudo posset. Quin potius armatis inermes, immensis pauci, instructissimis deserti, veteratoribus ac perfidis constantes & recti terrori semper essent. Imò, quod amplius est, victi, cæsi, castris exuti hostes loco cedere cogerẽtur. Atque interim hæc dum fiunt, mira arte fucum è bello facere. Crimen illinc, quòd patria oppressa sit, in

Catholicos deriuare, qui tot malorum soli causa sint, quòd pace vti nolint. Hinc suam pietatem, virtutem, diligentiam, zelum in hæreticos, vt qui nullis sumptibus aut impensis, pro sancta religione Catholica, & extirpanda scilicet hæresi parcat, mirificè prædicare atque commendare. Si quid præclarè à ducibus, quod ipse nollet, gestum sit, huius sibi laudem tribuere, atque illinc nouas clero & populo pecunias imperandi ansam arripere.

Quæ cum perpetuæ HENRICI in re bellica artes extiterunt, tum verò precipuè in postremo illo nuper & famoso contra fœderatos bello, anno 1587, tota hæc se nequitia effudit. Alemannos ille & Heluetios hæreticos, immenso numero, sumptibus suis, imo Ecclesiæ vocauerat, commeatu se adiuturum atque comitatu receperat. Tum ipse, quasi totis viribus obuiam hosti iturus, GVISIO Meldas ad se euocato, hominem primùm mirificè complexus, ac fidissimum regni sui columen professus, numerosum eidem equitum ac peditum exercitum è statis regni copiis assignauit, sed & summam pecuniæ ingentem in belli sumptus præscripsit, in speciem vtrúmque, cum

cùm nihil penitus rei subesse exitus comprobarit. Publicatur interim ista militiæ Gvisii descriptio, vt cum penes eũ constaret esse rei summã, si quid minus ei succederet (hûc autem fraus illa omnis tendebat) in eum atque adeo in sacrum fœdus totius detrimenti faba cuderetur: abrogatóque Vnionis edicto, plenarius Caluinismo, vel potius atheismo in Gallia thronus firmaretur. Aduentat igitur hostis: Gvisio nihil neque pecuniæ, nec militum datur, imò si quos ad eum properare constet, reuocantur. Stat in procinctu nihilominus, collecta qua potuit amicorum manu Gvisivs, & venientem hostem intrepidus præstolatur. Nec eo etiã contentus, labore indefesso, quacunque se recipit hostis, lacessit, vexat, cædit, adoritur. Literæ ad regem à Gvisio multę, quę de toto hostium statu eum admoneant, & maturari auxilia petant. Responsi penitus nihil. Pergunt ad Gvisivm nihilominus optimi quique, & quibus zelus Dei in pectore erat, ducis virtute, prudentia, gratia, & candore excitati. Et dum sumptum de suo facit Gvisivs, paulatim exercitus instruitur. Fremere interim Henricvs, ne si hostem ille vice-

rit, & ipse expectatione sua cadat, & Gvisio gloria crescat. Quid faciat miser? Noua ars. Noua hypocrisis. In castra strenuus iã miles, vix tandem è suo illo Gynæcæo, ac nidulo cynædorum abstractus venit. Vt nouum scilicet, more suo, atque inutilem exercitum condat: excitóque vndique ad regis imperium Gallico milite, validis etiã Catholicorum Heluetiorum copiis, quæ promissæ Gvisio erant, ad se euocatis, Gvisivm cũ ingenti & valido hostiũ exercitu pugnantem destituat, ac minori negotio cædendum hostibus relinquat. O infelicem, qui nec sumere arma potest, nisi vt ne arma sint: & dum collectas magno labore præclaras vires inutiles facit, patriam ipse impurissimo hosti lacerandam prostituat. Nam hæc illa est hypocrisis, quæ optimum quemque vt clamaret adegit, sed & adhuc vt clamet adigit. O exarmantia arma! O vires euirates! O armatã ignauiã! O militiam minimè militarem! O munitam armis patriæ proditionem! Nam hę sunt artes, quibus Henricvs promeruit, vt cum gladius Gedeonis (sic enim vulgò dicebatur) Madianitas istos, numero immensos, siue (vt præclarè ad Cœnomanensem

Aduentus Henrici in castra vt Guisium milite destituat.

Guisius gladius Gedeonis dictus.

pseudoepiscopũ retorsit SIXTVS V. Pont. Max) angelus Ezechię GVTSIVS Sennacheribi exercitum copiosum profligasset, victoriam istam sibi homo vanissimus ascriberet: id etiam publicari per librariorum vulgus Lutetiæ procuraret. Et quia suus splendor GVTSIO Soli auferri non poterat, satisfacere sibi non posset, donec illum, vt alter Cain, per crudelissimum scelus morte extingueret. Non videns miser, quanto illustriorem Solem illum trucidando effecerit, qui nunc coram Deo, angelis, atque hominibus in perpetuas æternitates fulget, non morte, non inuidia, non pestilentibus hominum sermonibus, non tempore denique ipso, quod deuorat omnia, deinceps extinguendus.

Idem Angelus Ezechiæ à Sixto V. vocatus.

Hypocrisis in iustitia. CAP. 27.

SEd neque in mentiendo iustitiæ zelo (quod tertium erat) minor hypocrisis, cum populi se patrem esse, & eius misereri sæpè professus, innumerabilibus tributis exhaustum, militibus lacerandum obiiceret: Iudices quos nouisset corruptissimos, imprimis diligeret, imò etiam benefactis augeret, quòd eos tyrannidi suæ opportu-

nos esse sciret. Cæteros quos famæ integritas commendabat, vt suspectos abiiceret. Quin cũ de vnius ex aulę primariis, corruptissimi ac sceleratissimi hominis, furtis, rapinis, ac concussionibus tota Gallia infamis, nequitia quidam cum eo expostularent, & indignum isto gradu & loco dicerent, respondit *propterea sibi placere hunc, quòd nequiorem eo neminem comperisset.* Sed hypocriseos insigne illud exemplum fuit, quòd anno 1583, missis per Galliam duodenis selectorum hominum quaternionibus, quæ singulæ Episcopo, Nobili, libellorum supplicum magistro, & aliquo è præfectis rationum publicarum constarent, vt videret bonus pastor, & patriæ pater (sic enim se vocabat) qua quisque in re subditorũ suorum grauaretur, quæ populi oppressiones, quæ iniuriæ, quæ iusta singulis querimoniæ causa esset, vt onera leuaret scilicet, & singulis vulneribus remedium adhiberet: Si quid contortum, si quid confractum, per eos restitueret, quibus in hunc finem summam vitæ ac necis potestatem contulisset: denique mutatus ab illo omnes boni regis partes obire se velle promitteret (quid enim pulchrius, aut ad boni principis

Henricus nequissimos homines sibi placere profitetur.

Duodecies quaternorum per Henricum legatio.

ſpeciem illuſtrius dici potuiſſet?) aliud tamen nihil iſta larua agebatur, quàm vt peius Dauide, (qui ſuperbiæ tantum cauſa, populum deſcripſerat) ſecreta & abdita quęque rimaretur, vt in cuiuſque bona ſolito amplius ac faciliùs inuolare poſſet. Nã & ſingulis quaternionũ oratoribus (Epiſcopi autem illi erant) miſera hæc & abſurda conditio data erat, vt qui ſe leuandi populi ergô veniſſe dicerent, de iuuando tamen rege, ac pecuniis augendo, hoc eſt populo magis opprimendo verba facere, eodémque fonte dulcem & amaram aquam manare cogerentur. Id etiam acceſsit ridiculum magis, vt quo tempore regem vectigalia ſublaturũ legati promittebant, vrgente modo iſta vice Reipub. negotio ſuppetias regi ferrent, eodem noua vectigalia Pariſiis vulgarentur, quæ gratioſis oratoribus obiecta in os, ſilentium iis cum rubore imponerent. Omnium verò maximè quale id ſit poſtremus ille crudeliſsimæ tragædiæ actus in magno totius Galliæ theatro Blæſis indicauit. Nam cum via hæc placuiſſet, qua principes trucidaret, ac ereptam 12 Maij ſuis faucibus Galliam deuoraret, vt comitia ipſe conuocaret, & ſe teneri ſtudio

2. Reg 24.

Legatorum abſurda per Henricum facta oratio.

omnia componendi mentiretur, hîc mirum qua arte agere occœperit, quàm omnes hypocriſeos vires ac receſſus, quaſi ad Triarios ventum eſſet, excuſſerit. Primùm vt Cancellarium, ſecretarios, & ſtatus conſiliarios à ſe abigeret, quòd ab iis ſe deceptum, & ſaniora conſilia quęrere velle cauſaretur. Mira arte vtens, vt cum peſsimis bo nos, quos ferre ſecũ non valebat, eijceret, vt quod nequitia factũ erat, id zelo iuſtitię feciſſe videretur. Et quo conſiliũ magis occultaret, Montholoneũ integrę religionis atque exiſtimationis virum, iã grãdæuum, ex cauſarũ patrono Cãcellarium, vt olim Dionyſius Platonẽ ex philoſopho aulicũ atque domeſticũ faceret: ſelectos ordinũ in comitiis viros, ante altare ſacrũ, ipſe à cõmunione corporis Chriſti ſurgẽs vt Eccleſię, vt Reipub. cauſam ſeriò agerẽt, vt ſe cõſilio, diligẽtia, precibus pręterita iã mutãtem, errorem confitentẽ, veniámque adeo & opem implorantem iuuarent, cum lachrymis per omnipotentem Deum, per partem quam inter beatos ſperarent, obteſtaretur: ſe viciſsim quod dicebat ex animo & loqui & facturum recipiens, *Hæc iuro in verbo & fide regis*, palam & publicè di-

Henricus quo conſilio ſecretarios & cõſiliarios ſuos abegerit.

ceret, iterúmque & tertiò verba hæc iteraret. In GVISIVM verò & fratrem eius Cardinalem mirifica amoris signa exhiberet. Innocētiæ vsque eo, amans, vt cytharœdi seruum, quia alterum leuiter in regia rixādo percusserat, (erat autem id ex composito factum) vt piaculum grande puniri publicè iuberet, quòd non minus sacrum cubiculum suum, quàm altare magnum esse diceret. Quæ omnia cum tali exitu fœdauerit, & quid mōstri aleret, quàm diuersam verbis mentem haberet indicarit, quæ vlla tanta hypocrisis, aut tot fraudibus in omni re consuta esse potest, quæ cum ista debeat comparari?

Henricus cubiculū suum altari magno comparat, & fœdat.

QVOD VITIIS VNDIQVE infamis, Crimen 7.

Henrici superbia. CAP. 28.

HIc supersunt notandæ Henriciani ingenij minutiæ, quæ sparsim licèt antea positæ sint, simul iunctæ tamen id præstabunt, vt & qualis sit magis appareat, & quàm destitui æquum sit ampliùs constet.

Ac prima sanè superbia sit, cuius exemplum insigne dedit, cum è Polonia rediens

nouo & insolenti Galliæ regibus more, cãcellis se & repagulis muniuit, ne ad eum liberè accessus fieret. Morem hunc, vt credibile est, diutius seruaturus, nisi & Gallorum ingenium repugnare, nec sibi id tutum esse aduertisset. Quid enim hîc B. Lvdovicvs faceret, qui sub dio pauperes iudicabat? Sednec minor fastus tamen, quòd procumbere ante se sæpissimè cum alios, tũ etiã sacerdotes, imò flexis genibus horæ spatio subsistere est passus. Amplius est quòd nec dignos eos esse dixit, qui vestigia sua osculentur. Maximino iuniore imperatore in eo deterior, quem quòd genua sua osculari pateretur, quod senior Maximinus noluerat, superbiæ nomine publica vox diffamauit. Amplius rursum super altare posita eius statua, quæ scilicet Antiochi Hierosolymæ, Caligulæ Romæ imaginem suam in templo collocantis, quæ Domitiani adorari cupientis furias imitetur.

Ionimuilla hist. B. Lud.

Capitol. in Maxim.

Henrici inuidia. CAP. 29.

INuidia præterea in eo mirabilis, vt cùm ipse optimus, piissimus, fortissimus, sapientissimus, denique omnia & sibi esse videatur, & haberi velit, quenquam virtute

aliqua ſuperiorem in rebus non tantùm magnis, verum etiam & paruis, in chorea, gladiatoria, equitatu ferre non poſsit. Similis in eo Neroni, qui cantori melius ſe canenti inuidit. Tyberio, qui peritiorem ſe architectum vrbe interdixit. Dionyſio, qui Pherecidē, quòd melior ſe poëta eſſet, ablegauit. Adriano etiam, qui quemuis in quaque arte peritum æmulabatur. Caligulæ, qui Mamertū, quòd ſibi pulchritudine ſimilis diceretur, interfecit. Cōmodo, qui nobiles quindecim, quòd M. Aurelium patrem à vita decedentem magnum ſui deſiderium reliquiſſe dixiſſent, in Tyberim mitti iuſsit. Nam & nos quæ HENRICI inuidiam proderent verba inſulſa, audiuimus, cum publicè, magno conuentu, cū ſtomacho, in Regia diceret, *nō eſſe tribuendū ſanctis*, (de Aunenſi autem victoria ſermo erat) *quod Deo ſoli*, ideſt ſibi, *deberetur*. Prorſus vt inter cætera, quæ ipſum ad necem pientiſsimi ducis GVISII impulerunt, vnum vel præcipuum ſit, quòd hunc ſibi fortitudinis ac rerum geſtarum nomine præponi, ſibi mille, huic decem millia, vt Saul Dauidi, tribui ægrè ferret. Imò vrēte inuidia, ferre nullo modo poſſet. Tale quondam

Dion.

Guiſius per inuidiam ab Henrico cæſus.

1. Reg. 18.

Niceph. lib. 18. cap. 55.

fuit Phocæ imperatoris ingenium, cui in animo erat, quòd ignauus ipse esset, è medio omnes tollere, in quibus nobilitatis aut gloriæ aut prudentiæ aliquid esset.

Eius ingratitudo. CAP. 30.

ACcedit iis ingratitudo, corrupti animi & abiecti vsque eo vitiũ, vt verè à Mimo Publiano dictum sit,

Mala omnia dixeris, ingratum si dixeris.

Quod in HENRICO quale sit experti sunt, quotquot se huius seruituti dudum addixerunt, nullos vt peius oderit, quàm quibus se acceptis beneficiis obstrictum nouit. Testati sunt id eius in Poloniã plærique comites, (atque inter cæteros Vidus Faber Pibracius) egẽtes magnã partem & contempti. Testantur & qui ab eius partibus tam egregiè steterunt, detẽti in custodia Politici. Testantur & si qui huic in liberali aliquo officio ministrarunt, abiecti & irrisi. Omnium maximè principes GVISII, quibus vt solis acceptum debet, quòd regnum è Polonia rediens, & dudum in Gallia agens incolume habuit, ita his per scelus inauditum ingratissimè extinctis, quanto se nexu plebis atque sui priuarit,

Guysij Hẽrici & populi nexus erant.

in summa vt regnum amiserit, & iam si sapit nouit, & amplius adhuc pugnante contra eum Deo & naturæ lege est sciturus.

Inhumanitas in suos. CAP. 31.

Huic coniuncta ἀπορία, siue inhumanitas in suos, quos vtinam solum neglexisset, ac non etiam ad eorum exitium operam, vt fecit, suam contulisset. Eiusmodi fuit præclara illa de tollendo fratre Carolo, & opere nimium eheu! cito perfecta conuentio. Iectus primùm per aulicorum impudentiam Franciscus frater, & prauo consilio in Flandriam missus: mox reuersus, & spe auxilii allectus, veneno etiã, dum morbo decumberet, extinctus. Mariæ item Stuartæ sereniſſimæ Scotiæ reginæ, Francisci 2. fratris viduæ, proditus deffensionis specie sanguis. Reginæ Nauarræ sororis, quòd ei cum hæretico viro non bene conueniret, carcer. Tentatum sæpe de Lodoica Lotharena, sanctissima eius coniuge, repudianda consilium. Ioy eüsæ item ducis, qui eius sororem duxerat, indigna cædes. Caroli Borbonij illustrissimi Cardinalis, quem auunculum vocat, in veneranda ista canitie custodia, atque

detentio. Et quod omnem inhumanitatē ſuperat, illata principibus illuſtriſſimis, propinquis ſuis, cum inſigni parricidio cædes. Matris eorum neglectæ lacrymæ, átque captiuitas. Incluſus etiam vſque nunc interēpti Ducis, dignus generoſo patre, generoſus ipſe filius. Contempta denique vſque eo propria mater, (quanquam iuſto iudice Deo) vt diem extremum, ſeu victa dolore, ob præceps conſilium, ſiue aliter obire cogeretur. Vſque eo probauit homo planè μισάνθρωπος, verum eſſe, quod congerroni ſuo cuidam, ac cędis Guiſiacæ miniſtro dixit, nihil planè amare ſe, neque quenquam eſſe cuius interitui indolere, ſed tantùm vnde exultare poſſit.

Eius in mortuos impietas.

CAP. 32.

SEd & nota eſt crudelis tyrani in mortuos impietas, quorum & corpora in fruſta conſciſſa, (vt Baſiliadem Moſchum ſequeretur) igne concremauit, ſepultura fraudauit, abciſa etiam capita ſeruauit, quibus illudere diutius poſſet. In quo nequiſſimo facto, nevel ipſe vltra gloriari, aut quiſquam excuſare poſſit, quale id ſit ex-

plicemus. Cæsis, ô impiissime, sepulturam negas. Quid ita? Quia vitæ tuæ insidiabantur scilicet. Quis enim à mortuis metus? An quia hostes erant? At nec ipse Achilles

Talis in hoste fuit Priamo. Sed iura fidémque
Supplicis erubuit, corpúsque exangue sepulcro
Reddidit Hectoreum. Æneid. 6.

An quia molesta eorum tibi vita, monita, reprehensio, authoritas erat? Quod ergo Herodes non negauit Iohannis Baptistæ, censoris vtique sui, discipulis, pro magistri sui corpore, id tu matri luctuosæ atque innocenti, ac propinquæ adeo tuæ, pro filiis quos genuit, negare non vereris? Mar. 6.

Bucephalum equum suum Alexander Magnus non solum vrbe nomini eius dicata, sed exquisitissimis etiam exequiis honorauit. Boristheni equo, quo inter venandum plurimum vtebatur, Adrianus imperator tumulum constituit, imò & perigraphen columnæ sepulchro affixę inarauit, & tu præstantissimorum hominum corporibus sepulturam dari vetas? Sed vt vincant te humanitate infideles, atq; inter eos vel iniquissimi homines, à belluis certè ipsis cur vinci te oportuit? Formicæ, ait Plinius, aliæ Curt. Dion. Plin. lib. 11.

alias sepeliunt, tripertitámque à deo mansionem habent, quarum vna comitia celebrant, altera edulia vt in pœnum condunt, tertia vita functis cæmiterium est. At tu formicis deterior, mansionem eandē comitiorum, cædis atque incendii feciſti, sepulturæ nullam prorsus esse voluisti. Similis es Sennacheribo, qui mortuos vetabat sepeliri. Similis es Iuliano, ossa Iohānis Baptistæ Cæsareæ Palæstinæ incendenti. Dignus, qui vt Sennacherib à domesticis occidaris, vt Iulianus ab effosso sepulchro, reluctante terra, & impium cadauer abhorrente, eiiciaris: excussúsque volatilibus esca fias, si tamen tam impuras carnes vel dignentur attingere.

Tob. 1. Niceph. lib. 10. cap. 13. 3 reg. 19. Niceph. lib. 10. cap. 37.

Sed quia innocentum capita, quibus illuderes, abscidisti, pei⁹ Q. Flaminio illo Romano duce, qui à Censoribus curia pulsus est, quòd rei damnati caput in conuiuio, in cynædi gratiam, qui mortuū nunquam viderat, adferri curasset, peius etiam & Herode, qui tristis & inuitus caput Ioannis Baptistæ amputauit, hæc saltem verba audi, quæ in meliorem ac iustiorem te tyrannū detonat verè sanctus, ac politicis tuis, pseudoepiscopis sceleris tui probatoribus,

Plut. in Catone.

Mar. 6.

dissimilis Ambrosius. *Intuere, Rex acerbissime, tuæ spectacula digna tyrannidis: porrige dextram apportatis tibi nobilibus illis capitibus, ne quid sæuitiæ tuæ desit, vt inter digitos tuos riui defluant ingenui cruoris. Et quoniam non exaturari tam indigna nece rabida fames, nõ restingui inauditæ sæuitiæ sitis morte ipsa potuit, bibe sanguinem à scaturientibus adhuc venis electorum capitum profluentem. Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, auersantes conspectum tam immanem trucémque tuum. Clauduntur lumina, non tam mortis necessitate, quàm horrore perfidiæ, & incredibilium scelerum tuorum. Ora autem illa exanguia, quorum sententiã & salutaria monita ferre non poteras, conticescunt, & adhuc timentur.* Hæc Ambrosius. Sed quia tu non Herodis tantùm, in scelere isto, sed & Herodiadis, quæ caput Ioannis petiit, ipse vir simulac fœmina partes agis, iudicium tuum rursus vel ex eo intellige. Ioãnis caput exilire fecit saltans Herodias, & tu amputatis his capitibus, meretricula saltas, ô HENRICE. *Culmine regni contempto* (inquit S. Fulgentius) *caput Ioannis puella petiuit in disco, elegit contemnere honorem, vt lucrum faceret sanguinem.* Et tu non cogitas Henrice, tibi cum istis capitibus amputatum esse regnum, cu- Amb. de virg. lib. 3.

ius in capite regni diadema Heroës illi retinebant? Verè inquam, & meritò istud, quia vt insana illa mulier, *non cogitas de imperio, cui charior est vindictæ libido.*

Eius libido. CAP. 33.

IAm libidines in eo omnis generis quis enumeret, cum eas vel memoria complecti tædio sit? Cogitet quivolet quicquid in eo genere turpissimum ac scelestissimũ dici potest, cõtra ius ac naturam, in Tyberiis, Neronibus, Caligulis, Heliogabalis. Et iis vbi contaminatum conspurcatúmque HENRICVM audierit, si propter talia, imò minora iis, eiectos Childericum atque LVDOVICVM III, si execratos toto orbe Nerones, Caligulas, Commodos, Caracallas, Heliogabalos, Aistulphos, Andronicos, Fridericos, cętera libidinum portenta meminerit, quid de eo cogitandum sit facilè iudicabit. Adeo vt quod ante annos 60 Cornelius Agrippa, libro de vanitate scientiarum prodidit, *Durare adhuc Capeti successionem, donec illa rursum in aliquo meretricum & libidinum mancipio ruitura sit*, id nõ sine quadam diuina virgula, tametsi ab homine nõ fortasse bono dictum, in isto Sole clariùs perficiendum

Agrippæ de Henrico vaticinium. Cap. 80. de Nobil.

perficiendum esse appareat. Sed horrendum illud magis, & quod nec Agrippa diuinaret, quod nec consanguineis vtriusque sexus abstinuit. Quin & hæc odij in beatum illum martyrem Cardinalem propinquum atque adeo spiritu patrem suum non minima causa fuit, quòd eum ille tentantem ad scelus, vel ipso quo Eucharistiam sumpserat die, atque adeo in templo, exhorruisset, execratúsque & indignans recessisset. Ex quo factum crescentibus odiis, vt cui castitatem non potuerat, huic vitam adimeret: Achillem in eo imitatus, qui Troylum, quòd turpiter pati nollet, ad Tymbræi Apollinis aram interfecit. Non multò etiam in eo melior, quòd nobilissimam fœminam, propinqui quondam sui, atque adeo heretici coniugem, pollutam à se nuper, aliis etiam polluendam in conspectu suo dedit.

Odij in Cardinalem Guysium quæ prima causa.

Cœl. rhod. li. 15. cap. 9.

Ignauia. Cap. 34.

His coniuncta ignauia, non illa tantùm inutilis regno animi, sed abiecti & exordis, qualē in crudeli homine esse agnouit Imperator Mauricius, cū de Phoca imperium vsurpante interrogans, Qualis ille

Niceph. lib. 18. cap. 38.

vir & an strenuus esset, vt timidum esse audiit, *Ergo* (inquit) *& percussor.*

Quippe id hominis ingenium, vt quod Gallis prouerbio de homine degeneri dici solet, *Vnctus pungat, punctus vngat*, cum durè agentibus facilis, cum modestis durus ac præfractus. Æsopico illi Deo similis, qui frustra pulsatus precibus, baculo deinde confractus, auri copiam ingentem, quæ latebat intus, effudit. Id nouerant eius amasij, vt si quid extorquere vellent, duris verbis compellarent, quæ vix seruus toleraret. Non prius cessantes, quàm ille blandiretur, & petita annueret. Quid GVISII contra mansuetudo & comitas? Quę scilicet ingenuum quémque magnete quouis trahebat potentiùs, eo degenerem hunc compulit, vt agnum domi occideret, quem foris in armis leonem ne conspicere quidem auderet.

Henr. Æsopico deo similis

Iactantia & vanitas. CAP. 35.

MIreris verò in tanta nequitia tantam iactantiam, vt difficile sit dicere vtrum plus fuerit, an ab omni laude alienus, an laudum suarum mirificus declamator. Prędicare sæpe solitus est, etiam

coram concionatoribus, beatam & fortunatam Galliam, quæ se tam pium, bonum ac deuotum regem nacta esset. Nullis se maiorum suorum, vel sanctissimis cedere, quos pietate & sanctitate longè superasset. Sapientiæ & eloquentiæ laude imprimis delectatus, libenter id amplexus est, quod ei gnatones sui sæpius suggerebant, *Parem ei vtraque laude in toto regno esse neminem.* Certè vt quod verum est dicamus, nemo melius dixit, nemo peius fecit. Sapientissimus alioqui, si vafrum, versutum, callidum, hypocritam, veteratorem, dolosum ac perfidum esse, id demum est sapientem esse.

Gnatonũ ad Henricum adulatoria vox.

Henrici stupor multiplex. CAP. 36.

SEd & in vanitate rursum stupor mirabilis: vt qui absurda multa partim de se magnificè, partim aliter proferens, quàm parum cohæreant, quámque aliena omnibus esse constet, ne aduertat quidem. Eiusmodi illa sunt, quòd post occisos innocẽtes, afflictam ac vexatam mille modis indignissimè Galliã, post relicta vbique crudelitatis vestigia, homo qui ne pilum quidem viri boni aut clementis habet, quó-

que nihil est ad vindictæ libidinem proiectius, suam tamen BONITATEM, CLEMENTIAM, MANSVETVDINEM, atque adeo naturalem (qualem scilicet à tygri vrsóue genitam credere possis) prædicare non desinit, effértque magnificentissimè. Ea etiã abusos esse quos occidit & vexat, identidem conqueritur: proprij scilicet criminis in alienum translator mirificus, vt Phœdræ in Hyppolytũ, Ægyptiæ mulieris in Ioſephum ingenium possis agnoscere. Ex eodem fonte est, quòd hostem professus, bonum se patrem, imò bonificatorem vocat, indignãtibus bonis, arridentibus autem ac plaudentibus parasitis. Qualis olim Ptolemæus Ægypti rex ille fuit, qui cum proprios filios necasset, literarum studia, occisis atque incensis in Gymnasio viris doctis (quod HENRICVM de Parisiensi Academia facere statuisse ipsius & suorum verbis compertum est) Alexandria pepulisset, déque omni repub. pessimè meritus esset, Euergetẽ se tamẽ, idest benefactorem nuncupari fecit. At Alexãdrini contra offensi eius iniuriis κακεργέτην idest, malefactorẽ veriori vocabulo nominarunt. Sicque omnino benefactor HEN-

Henrici clementia & bonitas qualis.

Ptolemęus Euergetes. Iust. Valer.

RICVS dici potest, quomodo tres Ptolemæi alij, Philometor, Philadelphus & Philopator εἰρωνικῶς, seu κατ' ἀντίφρασιν dicti sunt, cum primus ex iis matrem, fratrẽ alter, tertius patrem occidissent. Quales etiam Furias infernales describunt poëtæ, quæ cum crudeles sint & immites, Eumenidas se tamen, idest benignas ac faciles gaudent nominari. Simile isti est, quòd ignauior fœmina, vir strenuus & fortis tamen cupit nominari. Quod fecit tum maximè, cum se victoriæ Aunensis authorem est professus, vt olim Tyrannus ille Dionysius, qui cum timidus vsque eo esset, vt nec proprio filio confideret, & candente carbone, cultros metuens tonsorios, capillum sibi adureret, ipatus tamen Platoni est, quòd eum fortissimum ac strenuissimũ hominum minimé iudicasset. Nec dissimile Caligulæ ingenium, qui adornatis hominibus, qui hostem ex improuiso adesse dicerent, cum ipse in proximam syluam cũ amicis aliquot atque equitibus protupisset, ac truncatis pro omni pugna arboribus, insignis victor rediẽs timiditatis eos qui secuti non essent, arguisset, triumphum etiam ex eo bellator inuictus atque augu-

Furiæ Eumenides dictæ.

Henricus fortis videri cupit.

Caligulæ pugna in arbores. Sueton. in Calig.

ſtus Cæſar Romæ poſtulauit. Edicto etiã grauiſſimo populum ac Senatum, quòd intempeſtiua conuiuia & amœnos ſeceſſus, Cæſare pręliante, & tot diſcriminibus obiecto celebrarent, obiurgauit. Quinetiam cum directa in mare acie, quaſi bellum geſturus, conchas legere, & galeas replere milites iuſſiſſet, ſpolia ea Oceani vocauit, & turrem altiſſimam in victoriæ indicium excitauit.

Sed & ſtuporis id eſt, quòd ſcripturam & Dei verbum identidem pro ſe citat, ſcripturæ ipſe ac verbi Dei contemptor ac iuratus hoſtis. Perfidięque & hypocriſeos inſimulare audet eos, qui eius perfidiam atque hypocriſim pertęſi ab eodem diſceſſerunt. Et quod in concilio, in Senatu, in comitiis, cùm omnia ex animi ſui ſententia fieri vellet, id Xerxis ſępe eſt imitatus, quod ſtuporis ſanè ac ſuperbię ingentis fuit. Qui bellum Græciæ indicturus, adhibitis Aſiæ principibus, *Ne videret* (ait) *meo tantummodo vſus conſilio, vos contraxi. Cæterum memento parendum vobis magis eſſe, quàm conſulendum.* Sed & inimicos ſuos (ſic vocat quos occidit) ante ſe obiiſſe, ſe ſuperſtitem illis eſſe non ſemel eſt gloriatus. Quod quanti

Valer. lib. 9. cap. 5.

stuporis sit, indicat illud, quod à Ludouico comite ad Valtramum Magdeburgensem Episcopum, qui de iis qui Henrico 4. adhuc superstiti restiterãt, Gregorio 7 Pont. Egberto Marchione Marseburgensi, & Rodolpho rege iam defunctis pariter exultabat, est responsum. *Quòd eos* (inquit) *qui obierunt damnas, & Dominum tuum, quia illis superstes est, bonificas, liquet profecto ab omni spirituali te consideratione manere vacuum. Nonne beatius est bene mori, quàm male viuere?* Beatum te scilicet dicant, ô HENRICE, qui animam esse non credunt. Si tamen hoc beatum dici potest, infamem, dedecorosum, odiosum omnibus esse. Quibus autem post vitam aliquid est reliqui, tam beatos illos martyres existiment, quàm te miserum esse ista vitæ tuæ turpitudo atque nequitia, ac futuri iudicii acerbitas, vel silentibus omnibus, vociferatur atque clamat. Appen. ad Marian. Scot.

Nec verò stuporis minima pars temeritas eiꝰ & mẽdacia extiterũt. Patuit illud tũ maximè, cum Parisiorũ vrbem temerario ausu diripere, ac GVISIVM occidere agressus est, nõ videns quid populi, numero immensi, in principem optimum amor, in se verò odium posset. Et vt isto pacto insignẽ Henrici temeritas.

ac nunquam eluendam nomini suo maculam inureret. Amplius etiam, cum eum occidens, quo solo vt firmissima columna dignitas eius nitebatur, vno tempore populum à se integrum diuertit, & dignitatẽ omnem abiecit. Mendaciis verò vt totus consutus est, ita impudentissimum illud fuit, quod de historia doliariorum commonitorium publicauit, vbi mendacia vel cæcis nota cum verbis numero propè cõtendebant. Impudẽtius illud rursum, quod authoribus & consultoribus, summo Pontifice, ac Duce Mayneo fratre GVISIVM se occidisse palam & publicè tum verbo, tum scripto dicere, quinetiam & falsum anathema in Catholicos ementiri non est veritus.

Commonitorium historiæ doliariorum mendaciis plenum.

Quid illa vetera spectacula, ambulantes super terram naues, auro sericóque fulgẽtes, cæti armato milite pleni, mons Ætna, cũ Vulcano, Parnassus aliique montes, diu noctúque toties repetita, tanto sumptu, vt in vnius Ioyëusæ nuptiis decies septies cẽtena aureorum milia insumeret, quàm magnam stuporis, ac puerilis leuitatis partem habuerunt?

Henrici spectacula.

Henrici studia. CAP. 37.

STudia porro mirum quàm Frãciſco auo diſsimilia. Quippe tam diſciplinarum iſte oſor, & doctorum contemptor, quàm ille admirator ac fautor, literis ipſe imbutus atque doctus extiterat. Certè poſt reditum è Polonia, cum ſe otio dedere ſtatuiſſet, hanc etiam ſeu fallẽdi temporis, ſeu verſuta conſilia tegendi rationem commentus eſt, vt verba declinare & nomina magiſtro ad id ſumpto addiſceret, vnde datus verſui locus,

Declinare cupit, verè declinat & ipſe,
Qui bis Rex fuerat fit modo grammaticus.

Sed etiam id in cantu, in ſuis illis pœnitentium conuentibus æmulatus videtur, quod de Leone Armenio hæretico iconomacho ferunt hiſtoriæ, qui vt erat graui & incõdita voce, cantare & modulari in choro ſolitus erat. Id etiam in eo obſeruare licet, quod de Iuliano apoſtata refert Nazianzenus, cum verborum auceps ac curioſus obſeruator eſſet, ſtultas nihilominus ac præcipites in eo interrogationes, reſpõſiones iis nihilo meliores, alias aliis inſultantes, nec eruditionis ordine progredien-

Zona.

Orat. 1. in Iul.

tes. Id verò simile multo magis, quòd vtróque viris doctis infẽsior fuit prorsus nemo. Vt & HENRICVM Ludouici XI æmulũ in eo intelligas, qui Carolum filium literis operam dare noluit, ne in gerenda (male videlicet, & cognito malo ita regentium exitu) Repub. timidior historiarum cognitione redderetur: dicens id vnum instar omnium esse, *Qui nescit dissimulare, nescit regnare*. Hæc vna videlicet HENRICI disciplina, hæc summa studiorum ratio est, vt homines simulando corrumpat, fascinet ac peruertat. Tanto magis Galliæ populo detestanda pestis, quanto studiosius ei videndum est, ne de suo illo patrio candore atque fide deficiat. Neue putet vllam versuti animi & fallacis calliditatem tanti esse posse, vt cum ea fidem illam, pectus illud ingenuum, liberale & apertum (quæ laus propria Francorum est) debeat commutare.

Lud. XI. sententia.

Publicum eius odium CAP. 38.

ODium denique in eum populi tantũ, vt quod Valtramo Magdeburgensi Episcopo ab Henrico IIII stanti scripsit Catholicus quidam Episcopus, *Odium se*

Odium pro sacrificio.

Henrici pro magno sacrificio Deo offerre, nec inter fratres reputare, is communis omnium sensus in HENRICVM esse videatur. Id quale sit confractæ eius tabulæ, flagris cæsæ, traductæ & raptatæ ad ignominiam, igni consumptæ, vel per pueros vltionem ad cœlum in Tyrānum proclamantes, Parisijs, Tholosæ, atque alibi docuerunt. Omnium item ordinum ac curiarum parlamenti, Parisiensis primùm, mox sex aliarum, Tholosanæ, Rothomagensis, Diuionensis, Aquensis, Rhedonensis, & Gratianopolitanæ (vna supereſt Burdigalensis, quòd vrbs illa à Matignonio HENRICIANAE factionis viro interceptasit) iuratum vnionis sacramētum: vrbium ac prouinciarum consensus: affixi per compita Parisijs cum versibus omnis generis mirabiles ad nomen eius anagrammatismi, nusquam antea inuenti, sed in hæc tempora diuino iudicio reseruati, vt Dei hominúmque odium in vnum caput indicarent. Cuiusmodi partim latini sunt, vt hic.

Deo oblatum.

HENRICVS TERTIVS DE VALLESIO
O DEVS, VERE ILLE ANTICHRISTVS

Alij Gallici, vt hi: *de Valois. ô le Iudas!* Et iste alius omnium sermonibus tritus, qui

turpitudinem & crudelitatem simul notat *Henry de Valois. vilain Herodes.* Vel *Iulian Herodes.* Item alius, turpitudinis simul & abdicationis omen. *Henri de Vallois. Dehors le vilain.* Item alius, qui leges fractas exprobrat. *Henry de Valois. Ha, ruine de loys!* Sunt & qui ad Gallicum latinè alludant. *Henric de Valois. ô crudelis hyena!* quo scilicet in mortuos sæuitia denotatur. Sunt & suæ nonnullorum paronomasiæ, vt qui pro *Valesio Valdesium*, quod Gallis ψεῦδω significat, dicunt. Præ cæteris certè infame redditum Henrici nomen, vt editus de ea re versus indicat, quisquis tandem sit poëta ille,

Henrici nomen in fame redditum.

Gallia quærebat, quo tandem nomine posset
Henrici mores & scelus exprimere.
Periurum placet hinc dici, placet inde tyrannum,
Blæsarum aſt aliis dicere carnificem.
Sacrilegum ij malunt, alij dixisse theürgum,
Idem hypocritæ illis dicitur, his atheus.
Assasinus subit iis, anathema & apostata at illis,
Vtrísque infamis, perfidus, hostis, &c.
Veráque cum sint hæc, nec solum sit satis vllum,
Henricum tandem dicere collibuit.

Henricus omnis viij nomen.

Scilicet omne isto quòd constet nomine crimen,
Henrico nec tam par scelus esse queat.

Inde ergo nomen sectæ huic inuentum, quæ HENRICOS, scilicet duos fouet ac tuetur, vt Henriciani, sicut olim, aut breuius etiam & peculiarius Henricones nominentur. Henricones.

HENR. PROPRIO ORE damnatus. Crimen 8.

CAP. 39.

HIs accedit Colophonis instar, quòd ore proprio cùm alias, tũ in eo quod agitur facto HENRICVS est dãnatus. Neque id nouum aut incertum præsagij genus, cum Tyrannis sæpè acciderit, quod illi proprio ore prædixissent. Sic Attila flagellum se Dei nominans, simul se flagelli instar sedata Dei ira coniectũ in ignem iri (quod & euenit) nesciẽs prædixit. Sic apud Zonaram Nicephorus imperator, monentibus amicis, vt subditos clemẽtius tractaret, *Deus* (inquit) *indurauit cor meum, sicut olim Pharaonis.* Quod euentus postea comprobauit. Quippe neglecto consilio omni in Bulgaros profectus, ab iisdẽ dissipato omni exercitu est interfectus. Cuius nudata capitis caluaria, inductóque super eam argẽto, pro calice, in quo amicis propinaret Zon. lib. 9.

Crunnus Bulgarorum rex est vsus. Tanta Romanorum lætitia, vt dolorem ob mortem necessariorum in bello cæsorum imperatoris interitus temperaret.

At HENRICVS proprio ore dudum se non hæreticum tantùm, sed & indignum imperio pronuntiauit, imò & subditos soluit. Primũ illud fuit cum Rothomagi præclarum illud Henoticum seu Vnionis edictum firmans, præsentibus regni proceribus, ante sacrosanctam Eucharistiam iurauit, *eadem se fide, atque firmitate edictum illud seruaturum, qua credebat & sciebat Seruatorem mundi verè ac realiter in augusto illo sacramento esse.* Nam si verè illud dixit, edictum autem illud tam perfidè temerauit, quid sequitur ne fidem quidẽ illum præsentis in Eucharistia Christi vllam habuisse?

Alterius generis hęc sũt. Quippe dudũ profes⁹ est (seu fictè, seu serio id dixerit) agnoscere se Dei iudicio tãtisper prole carituru, donec Ecclesiæ pacem sublata hæresi restituisset. Idem Meldis cum ad eum GVISIVS pacificus ac pene solus veniisset, atque isto pacto eorum ora, qui hostiliter eum in regem agere mentiebantur, vt Dauid sumpto Saülis quondam scypho occlusisset,

1 Reg. 26.

eum coram matre sua, vt Saül alter, verè Catholicum, & iustiorem se confessus est.

Idem anno 1584, audito illustrissimi Cardinalis Borbonij & reliquorum principū de conseruanda religione fœdere, ipse ingenti metu perculsus, & quàm multa tyrannicè edixisset ac mandasset, apud se cogitans, omnia hæc statim & edicta & mandata, vt iniqua & præcipiti consilio facta reuocauit, atque irrita esse iussit. Similis in eo Maximino imperatori, qui post interitum Maxentij contyranni sui, metu perculsus, edictum pro Christianis, quos ante crudelissimè persecutus fuerat, promulgauit, *necessitate coactus, nō sua* (vt Eusebius ait) *adductus voluntate*. Sed reddita post edictū anno 1587 pace, eadem HENRICVS quæ prius damnauerat, rursum imperauit.

Hen. Edicta tyrannica metu perculsus reuocat.

Euseb. lib. 9. cap. 8.

Iterum post memorādum illum 12 Maij diem cum metus eum denuo perculisset, iterum abrogauit edicta numero circiter sexaginta. Vt ex ipso edictorum catalogo ac contextu patet. Iam nūc scilicet eadem imperaturus, & grauiora facturus, si permittatur.

Sed quæ subditos ex ore illius solutos probent, hæc fere sunt. Ac primum illud

non contemnendum, quod dudum dixit; *non agnoscere se pro subditis, qui Papæ obedientiam iurassent*: Quid enim? si obedientiam illam iurant omnes Catholici, quid sequitur nisi vt ne subditi eius quoque censeri possint? Nam & nos libenter conditionem admittimus, vt summi pontificis obedientia, quam excutere nec possumus, nec debemus, HENRICI iugum atque obedientiam commutemus.

Fortius illud, & ad id quod quærimus expressius, quòd in illa posteriore fuga iuramentum Rhemis in sua vnctione emissum confirmans, addidit sæpius suos se subditos à fidelitatis iuramẽto absoluere, si quid præter promissa, imò præter statuũ seu comitiorum decreta commisissent. Id enim per Dorronẽ libellorũ supplicũ Magistrũ, factionis suæ virum, Curiæ parlamẽti primùm, mox etiam Parisiensi clero in id propterea conuocato significauit.

Hæc nimirum data fides, hæc prædicatorum ore in populum vulgata vox. Mitigatus iis verbis populus, cleri pro rege sæpe iterata vota suscepit, & in spem fortunæ melioris erectus iustissimi odij magnam partem deposuit, reliquam depositurus, &

quod

quod eius ingenium est, ex iracundia prōcliue ad pacem, omni studio & beneuolentia complexurus, si quod sanctè promissum erat, id tandem exoluisset.

Irrita sit conditio, si iniqua. Si autem iusta, si sancta, si necessaria, si iis quæ prius exposita sunt, mutuæ obligationis argumentis fulta, imò & exēplis fundata, quid sequitur, nisi vt quia eam seruare æquissimum est, ea quoque conseruetur? Et quia proprio se ore HENRICVS abdicauit, iure quoque abdicatus censeatur?

Atque hæc sunt propter quæ suo iure HENRICVM Respub. eiicere potuit, imò & debuit. Vt cum id duplici iure & Ecclesiastico & ciuili factum constet, amplius nihil sit, quod succensere in eo, aut quod factum est improbare quisquam possit.

Libri tertij Finis.

DE IVSTA HENRICI TERTII ABDICATIONE è Francorum regno, Liber Quartus.

Quo tota huius abdicationis series ac progressus explicatur. Ac primùm, an expectari iudiciorum formula debuerit. CAP. I.

DOstremũ superest, vt quia de toto iure tum Ecclesiæ, tum Reip. reges abdicandi cõstat, & causas in HENRICO subesse palã est, propter quas vtroque illo ab dicetur, nũc de toto abdicationis huius progressu & ordine differamus: & cur prę uẽta iudiciorũ in vtroque genere formula, cur anticipata dãnatio extiterit, cur ad arma statim conuolatum, cur cum

eo vt publico hoste actum sit, & ita fieri debuerit, quid deinceps facto opus sit declaremus. Multæ hîc scilicet querimoniæ, grauis multorũ expostulatio est, vel quòd factũ sapientissimi, vt sibi videntur, homines non probent, qui iubesse doloris causam dicunt, sed non defectionis: indignũ facinus clament armis vt cunque regem adoriri: Vel quòd cõsilium vt temerarium ac perperam datum auersentur, causentúrque moliendum in ea re nihil prius fuisse, quàm & id Ecclesia iudicasset, & coacta regni comitia, consulti toto orbe principes, auditáque eorum suffragia essẽt. Hîc Theologorũ scilicet, qui antesignani in ea re fuerunt: hîc Senatus, cuius mox decretum sequutum est: hîc Principum, quorũ acies atque arma fulgent, & se surgenti tyrannidi valide oppoſuerũt: hîc vrbium ac prouinciarum, quæ sanctum fœdus inter se inierunt: hîc Galliæ denique totius, quæ surrexit aliquando, & iugum à se excussit durissimæ seruitutis: hîc Catholicorũ toto orbe omnium defendendæ ac tuendæ partes, qui vt rei omnes coram tam seueris iudicibus aguntur, ita eorum, ne quid iis tam grauis censura noceat, causa etiam supereſt

Expostulatio Henricianorum quatis.

vt dicatur. Quæ tota quæstio quia tria cripita cõtinet, primùm vt præueniri iudiciũ debuisse confirmetur, deinde vt præuentionis forma deffendatur, postremum vt iudiciii iam lati vsus commendetur, nos etiam tria hæc, prout datum erit, breuiter explicemus.

Præueniri iudicium vrgente negotio posse. CAP. 2.

AC præuentionem quidem vt licitam esse constet, hîc primùm locum habet, quod Fab. Quintilianus ait, *Non percipit formulam publicus dolor*. Et quæ solennis in canone habetur criminis occulti ac notorii distinctio. Nam vt verum sit neminẽ in occulto crimine indicta causa, aut non citatum vocatúmque damnari (vt de Roberto Siciliæ rege, ab HENRICO imperatore dãnato ait Clemẽs V. Põtifex max.) proptereáque fiat, vt occultè crimino-

Clem. Pastoralis. de reiud.

sus princeps ab Ecclesia toleretur, ciúsque acta rata habeantur: at in publicis notoriísque criminibus tanto aliter id fieri debet, quãto damnata ea per se publico præconio ac naturæ sensu esse solent. Nam id illud est, quod à D. Augustino scitè dictum,

vim deinceps canonicę sanctionis obtinuit *Euidẽtia* (inquit) *patrati sceleris non indiget clamore accusationis*. Sed neq; hîc suis rationibus carent Theologi. Primum quòd vbi publicum sic crimen est, vt tergiuersatione celari non possit, interpretatiua semper iudicis, quicunque ille sit, (nam de ecclesiastico perinde ac ciuili dici potest) volũtas semper adest, quæ vim sentẽtiæ obtineat. Deinde euidens notitia facti sententiæ etiam locum tenet, vt ex eo rectè obseruarunt recentiores Theologi, quòd dux in bello militem deprehensum in notorio crimine absque sententia & testibus licitè interficere potest. Ex quo fit, vt si post sententiã iudicis licitum sit se à principis potestate eximere, idem etiam post commissum ab eo publicè crimen, quod defectionem mereatur, facere licitum sit.

Aug. de Caiu & Abel.

Euidens notitia facti sententiæ locum tenet.

Bãn. 2.2.q. 12.

Id etiam addimus, quod vel natura ipsa probat, non in publico crimine tantùm, sed & in præcipiti, tum publico tum priuato negotio, nequaquam ferendam esse moram, cum id cuique à natura concessum sit, vt se vitam corpúsque, non quauis ratione tantum, sed & cum primùm datum est tueatur. Nam si iniussu superioris hostem in-

surgentem reprimere licet, non & principi hostem se exhibenti nunciũ remittere? Si latrones, si bestiæ, cum irruũt, omni iure expugnantur, cur nõ tyrannus quauis bellua aut latrone deterior, non vnius cuiusuis sed omnium fortunis, tectis, iugulis imminens protinus arceatur? Nam istud si non licet, ne ergo ensibus viatores accingantur, latronibus ac viarum obsessoribus omnia permittantur, neue id amplius locum habeat, quod à poeta est scitè dictum,

Quid. à de trist.

Et latro & cautus præcingitur ense viator,
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.

Quinetiam si torrens domui alliserit, si ædes ignis occuparit, domini iussum absentis expectetur, vt vel ignis extinguatur, vel fluctibus via præparetur. Denique sit prouerbio locus, vt dum Romani deliberant, Saguntus expugnetur. Quid enim verisimilius dici potest?

Pœnæ priuatiuæ citra iudicium actu incurruntur.

Adde quòd cum duplex pœnę genus sit, priuatiuæ vnum, positiuæ alterum, vt quæ positiua est formulam expectare debeat, at in priuatiuis certè aliter res habet: quòd perfecto scelere statim eam vel citra nouum iudicium vim habere inter Theolo-

gos confessum sit.

Sed hæc in genere cũ dicta sint, præuentionis autem duplex sit illud genus, Ecclesiæ vnũ, Reip. alterum (Nam nec Ecclesiæ iudiciũ, nisi in celebri illo Apostolicæ sedis theatro, nec Reipub. nisi in plenis ac liberis comitiis esse potest) ne præter rationẽ quid hîc factum videri queat, qualiter in vtroque genere id preueniendo fieri potuerit vicissim comprobemus.

Præueniri iudicium Ecclesiæ posse specialis probatio. CAP. 3.

AC de Ecclesia primùm si agitur, facilis è scriptura pręuẽtionis huius probatio est. Quid enim illa Apostoli verba, *Hæreticũ hominem deuita post vnam & alteram correptionem, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Tit. 3. iubetne iudicium expectari, antequã euitetur? Et si discedere nolit, si infenso ense vrgeat, etiam expellatur? Quid illa, *vtinã abscindantur, qui conturbant vos*, suntne hominis iudicium expectari iubentis, an potius primo quoque tempore tolli cupiẽtis? Gal. 5. Sed neque iudicium expectari iubet ille, qui ait, *Si tibi voluerit persuadere frater tuus* Deut. 13.

filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue vxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis vt animam tuam, clam dicens, Eamus & seruiamus Diis alienis, quos ignoras tu, & patres tui, Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum. Sed statim interficies. Sit primùm manus tua super eum, & post te omnis populus mittet manũ. Qui enim statim interficere, qui manum mittendo cæteris exemplo præire iubet, qui misereri & occultare prohibet, iudiciumne vult expectari? Neque absimile istud, quòd vel vrbes ipsas, in quibus apostatæ à fide sunt, vbi de crimine constiterit, in ore gladii statim, cędéque atque incendio deleri id iubet.

Ibid.

Præuenti iudicii exẽpla.

Sed nec præcepto exempla desunt. Zelo quippe accensus Phinees, ac de medio multitudinis surgens, arrepto pugione nobilem Israëlitam cum scorto Madianitide concumbẽtem, in genitalibus cum muliere ipsa confodit, *cessauitque plaga ab Israel.* Quin & propterea placato & iram remittẽte Deo, sempiterni sacerdotij benedictionem promeruit. Quæ hîc sententiæ expectatio fuit? Legimus & Matathiæ zelum, Israëlitam idololatram, & eum à quo impellebatur regium ducem ad altare nefan-

Num. 25.

dum trucidantis, mox præclaram illam vocem efferentis, *Omnis qui habet zelum legis, statuens testamentum, exeat post me.* Quæ hîc in expectando iudicio mora aut præstolatio fuit? Tales illi Israëlis liberatores, Othoniel, Aiod, Barac, Gedeon, Iepthe, Sanson extiterunt. Quorum si tam ineptè prudens expectatio fuisset, vt iudicis sẽtentiam antea exaudirent, neque perpetua laude commendatos, nec inter sanctos relatos haberemus. Tales egregii illi, Matathiæ proles Macchabæi, quibus vna legis Dei aduersus impium tyrannum vindicandæ via, arma atque virtus, non iudiciorum pompę ac formulæ extiterunt. Sed neque sine mysterio contigit istud, quòd peccante populo incitatus animo Moses, & vindictæ tam immanis sceleris zelo accensus, tabulas confregit, & cuiusque manus in fratris sui cædem iratus armauit. Vt vel eo constet quàm minimè iudiciorum expectanda oracula sint, cum in præcipiti negotio alia via est opus. Talis & B. Chrysostomi ardor blasphemum statim ab obuio quouis percuti, ac minimè iudicii moram expectari iubentis. Qui vbi multa cõtra blasphemos, concionator vehemens

1 Macch. 2.

1 Macch.

Exod. 32.

Confractæ Mosis tabulæ quid notent.

peroraſſet tum concludens, *Vnam* (inquit) *retributionem vos omnes petere volo pro concione hac atque ſermone, vt in ciuitate blaſphemantes mihi caſtigetis. Etſi quempiam in foro & biuio Deum blaſphemantem audieris, accede, increpa: & ſi verbera infligere oporteat, ne recuſes: ipſius faciem alapa percute, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica. Et ſi vlli accuſauerint, & ſi in carcerem traxerint, ſequere. Et ſi pœnas iudex pro tribunali repoposcerit, dic cum libertate, quòd angelorum regem blaſphemauit.* Quinetiam idem beatiſſimus pater, ſi mori in iſta increpatione contigerit, martyrium pollicetur. *Nunc verò* (inquit) *ſaltem conſeruum & æqualem corrige: & ſi mori opus ſit, caſtigare fratrem ne torpeas, martyrium tibi hoc eſt, quoniam & Iohannes martyr fuit.* Qui enim martyrij ſecurum in quouis è turba corrigendo eſſe iubet, in expellendo tyranno, qui populũ vniuerſum blaſphemare facit, quanto ſecuriorem prædicaret? Et ſi moram in eo corrigendo eſſe vetat, quem iudicio coërceri facile eſt, quomodo eam in tyranno ferret, quæ nec ſine grauiſsimo Eccleſiæ diſpendio ac diſcrimine eſſe poteſt?

Iudicia latæ.

Accedunt quę latæ ſententiæ iudicia ca-

nonibus continentur, vt qui crimen damnatum canone incurrerit, dānationequoque eadem, vel citra nouum iudicium teneri censeatur. Eiusmodi est illa canonis seueritas, vt qui per Assassinos occiderit, sit ipso facto ita diffidatus, atque de gradu omni depositus, *vt nullatenus alia seu diffidationis seu depositionis sententia requiratur.* Et illa Concilij Lateranensis celebris constitutio, vt qui principes terram suam ab hæresi non purgauerint, ab eorum fidelitate soluti vassalli denuntientur, & terra aliis possidenda detur. Et quę in hęreticorū fautores ab eodem lata censura est, vsque eo vehemens, vt qui cum iis communicauerint, anathematis ipso facto participes denuntientur. Quomodo enim stare illa possunt, si expectanda semper noua sententia est? Aut quæ illa Pontificalis iudicij expectandi necessitas, quam ne Pontifices quidem ipsi esse voluerūt, imò ne esset disertis verbis cauerunt? Tale & illud est in hæreticum Achatium, cum se ille absque synodali sententia damnatum quereretur, decretum Pōtificis Gelasij, quo se in illū, *quia non noui inuentor erroris, sed veteris imitator esset, obidque nec necessariū foret nouam aduersus eum senten-*

Sententiæ prœuentionem probant.

Pro humani. de homic. in 6.

Cap. 3.

24. q. 1. Achatius.

tiam prodire, cum antiquum renouari satis esset, non noui constituti se promulgatorem, sed veteris tantum executorem profitetur. Similia sunt & illa Bullæ cœnæ dominicæ fulmina, quæ inania profectò, vt plurimum essent, nisi & facti iudicij vim haberent, & noui expectãdi, antequam quid agatur, necessitatem auferrent. Vt nec mirum esse debeat, si quod antè ex Mariano Scoto monuimus contra HENRICVM 4, etiam antequam Pontificis sententia damnaretur, Saxones fœdus iniisse, ac bello etiam lacessisse memorantur. Quod Gallis tanto magis imitandum fuit, quanto ad nominis HENRICI similitudinem maior nequitia, ac seuerioribus digna suppliciis accessit.

Fulmina cœnæ dominicę vim iudicii facti habent.

Lib. 1. cap. 28.

Secularis iudicij iustã quoque præuentionem esse posse. CAP. 4.

AN verò secularis iudicij, quàm Ecclesiastici religio maior, vt expectari illud, sicuti Politici dicunt, oporteret, atque antea armis tyrannum peti nefas esset? Atqui mirum est primùm istud, cum vrgente incendio & grassante vndique flamma, vina potius vel optima ad restinguẽdum ignem fundenda sint, quàm vt dum remota ni-

mium è flumine vel puteo aqua expectatur, ædificium totum absumatur, non eodem nos consilio in præcipiti Reipub. negotio vti, vt si iudicia non prosint, alia quauis via Reipub. salus tentetur. Phlebotomiam videlicet medici, nisi purgato clysteribus, apozematis, aliisque lenioribus medicamentis, non ferè adhibere solent. Si quis tamẽ ruina oppressus fuerit, si de alto ceciderit, si pleuretis subita, si apoplexia acciderit, si denique quouis modo periculum ingens postularit, num prima curatio è venæ sectione erit? Quæ ergo ista religio, vt dum infestus adest hostis, cui vt resistatur, vnum ex armis remedium est, ius inutile potius, quàm necessarius gladius distringatur? Nisi verò credimus, cum armatus occurrit latro, litigãdi potius, quàm pugnandi tempus esse. Cuiusmodi si iudicio damnari & occidi oportere ais, nos scilicet id fateamur, sed capti modo ac vincti teneãtur. Quod si non aliter sæpè, quàm vi armorum fieri potest, quis neget prius vtique armis cum illis, quàm iure ac lege agẽdum esse? Et si aliter non succedat, quàm si perimantur, iure quoque cæsos in scelere isto esse? Nam nec hic contemnenda Cicero-

Offic. 1. nis sententia est, *cum decertandi duo genera sint, vnum per disceptationem, alterum per vim, confugiendum esse ad posterius, cum non licet vti superiore.* Et quod alibi ait, *Silent leges inter arma, nec se expectari iubent, cum ei qui expectare velit, ante iniusta pœna luenda sit, quàm iusta repetenda.* Sed nec ipse inter iurisconsultos Vlpianus indicta causa atque inauditum reum puniri aliquando posse diffitetur, his scilicet verbis. *Nisi forte* (inquit) *latro manifestus sit, vel seditio prærupta, factióque cruenta, vel alia iusta causa, quam mox præses literis excusauerit, moram non recipiat. Non pœnæ festinatione, sed prævenienti periculi causa. Tũc enim punire permittitur, deinde scribere.* Sed & quæ de tyrannis quacunque potest fieri via tollendis, tum lege Valeria, tum aliis etiam iudiciis dicta antea sunt, item & quæ de celeritate in bellis necessaria (nam & bellum cum tyranno naturale est) dici possunt, huc referri etiam debent, ne dum inutile sæpè remedium expectatur, quod vtilissimum, imò necessarium est, omittatur.

Pro Milo.

Vlp. l. Si quis filio. §. quid tamen. ff. de iniusto rupto.

Expectandi iudicij causas omnes in Henrico præclusas esse.

CAP. 5.

HÆc nimirum sunt quæ necessarium illud prævenienti iudicij consilium, iure communi tueantur. Quæ vtinam in HENRICO non tam vera essent, nec tam ille vt fecit, ius omne & patriũ morem rumpens, omnem de se expectandæ sententiæ causam excluſisset. Sic quippe Rempub. hanc institutam olim vidimus, vt si qua in re vnquam Rex iniurius esset, patientia primùm ac dissimulatione res tentaretur, mox libello supplici ac benigna prece redire ad cor, & saniora consilia sequi moneretur: & si id non proficeret, iure cum eo ageretur, atque ita vt causa cadere, vt damnari tanquam vnus de numero posset. Quo postremo loco si violari ab eo ius contingeret, vis maior diceretur, quam tolerare, etsi ægrè & molestè, aliquandiu tamen priuatos oporteret. Quæ vt in priuatis quondam locum habuerit, at contra Remp. vniuersam quid per vim reges facerent, videre adhuc non licuit. Nisi fortè istius rei semina, primus omnium LVDOVICVS XI, (sed nihil ad HENRICI furias) odiosus propterea omnibus introduxit. Quicquid sit, priora illa inutilia in HENRICO omnia, ac frustra tentata sunt, vnũ vt reliquum esset,

Tres gradus aduersus regis iniurias procedendi.

vt vi cum eo ageretur, quæ ratio esse poteſt, vt quod fieri debere vel natura docet, id in Gallis damnetur? Nam hîc occurrunt ea, quæ pro HENRICO dicere gratioſiſſimi homines ſolent. Qui leniſſimè quidem, diſſimulanda regis facta, imò honoranda eſſe (Credo vt Galli Moſchis perſimiles cũ cæſi indigniſsimè fuerint, magno ſe honore affectos gratulentur) Qui fortius paulo, benignè admonendum, exhortationibus & libellis ſupplicibus ad meliorem mentem eſſe reuocandum: Qui fortiſsimè, expectanda regni comitia, in quibus tota iſta cauſa, diſceptetur, ac publico præconio, ſi res ita ferat, HENRICVS abdicetur. Pulchrè quidem hęc omnia, ſi quales olim, vel non probatiſsimos reges Gallia habuit, talis & hic eſſet, ac nõ huius nequitia via hæc facta eſſet inutilis, vt aliò recurri oporteret Quoties enim abuſus ille noſtra patientia eſt, dum quæ fiebãt crudeliſsime, in iocum illi ac riſum verterẽtur? Tot tributa, vectigalia, oppreſsiones, iniuriæ toleratæ diutiſsimè, vt propterea nõ Galli, ſed capones a ceteris diceremur, vt beſtiarum ille, non hominum rex vocaretur, quàm magnam patientiæ, imò potius ſupinæ tolerantiæ ac

Conſilii politici tres gradus.

ſtuporis

ſtuporis partem habuerunt? Exhortatione verò vbi agi oportuit, quoties ob reuerentiam huius deriuata in alios ac tranſlata eius crimina ſunt, cum quæ ipſe feciſſet, non ipſius, ſed aulicorum ac miniſtrorum eius vitio tribuerentur? Quoties cum eo, velut cum pueris actum eſt, qui ſi clamauerint catus accuſatur, ſi pauimento alliſerint, pauimentum quaſi mali author percutitur? Aut quæ moderatior diſciplina eſſe potuit, quàm vt ante leonem canis, ſicuti in prouerbio eſt, cæderetur? vt ſecurus diſceret malum eſſe quod fiebat, & publicis querelis, quaſi inſons ipſe moneretur? Nam vt id parum profuerit, docuit accenſus ex iis verbis furor, cum ſeruos ſuos reprehendi prohiberet, ac quę fierẽt eis opprobria, ſibi ipſi facta eſſe diceret. Fidelis nimirum princeps, qui ſcelerum ſuorum miniſtros, ne fortè deficerent, tegere potentiæ ſuæ clypeo noſſet, atque hoc ſolo nomine, quia ſibi probarentur, viros bonos credi vellet. Hæc enim ſæpius de illis vox in ore fuit, *An ſeruos meos eſſe paterer, niſi viri boni eſſent?* Homo virtutis amans ſcilicet, ac ſeuerus iudex, qui alias reſpondiſſet, propterea commodum ſibi miniſtrum eſſe quen-

Henricus ſub aliorũ perſona reprehenſus, nec emendatus.

dam, quòd peiorem eo nullum reperiſſet.

Libelli ſupplices ad Henricum inutiles.

An verò per libellos ſupplices promotum magis fuit? Declarant tot querelæ per eloquẽtiſsimos ex omni genere homines, qui libellos obtulerũt, factæ, quibus nihilo euaſit, vel melior vel mitior, cum totus in eo eſſet, vt libellos ſupplices irrideret, oratorum vitia, ſi quid corrugatus naſus, ſi caperata frons, ſi demiſſus oculus, ſi geſtus remiſsior, ſi rauca vox, ſi inconcinna dictio, ſi præceps halitus, ſi comptior veſtitus, aut etiam neglectior eſſet, & ſi qua ſunt ſimilia, præterea nihil obſeruaret. Quæ interim dicebantur, vt Feſcẽnina ſpectacula, aut inanes fabulas obaudiret. Bellus in eo ſibi viſus, ſi cauillari quẽlibet, ac dicteria in torquere poſſet. Hic ſcilicet libellorum, quos illi tanti faciunt, exitus atque fructus fuit. Niſi forte id addere libet, quod per inſignem contumeliam vexata nobilis fœminæ, quæ libellum porrexerat, pudicitia per bonos illos ac frugi miniſtros, ſacro tẽpore atque die, ipſo preſente atque iubente eſt.

Nec in comitiis vlla Henrici emendandi ſpes.

Comitiorum verò quæ futura deinceps apud eum eſt authoritas, quæ tam fœdè ille ac proditè profligauit? Aut quæ neceſſa-

fia deinceps iuris in comitiis experiundi via, cum ea semel violata esse plus sit satis? Imò sit omnis damnationis instar, quæ vis semel est illata iudicibus? Nã si iure gentiũ recepta dudum formula est, vt per fœciales primum res ablatę reposcerentur, quod si non redderentur, intra trigesimum diem (tot enim solennes erant) bellum indicere posset fœcialis, obtestans Deum, iniustum esse qui negaret, ac ius persoluere nollet, tanto iustior belli, quod cõtra HENRICVM est, causa dici debet, quanto peius cum iis actum est, quorum vel contempta solum authoritas, etiamsi vis nulla esset, belli, tanquam in tyrannum, materia iusta foret.

Vis illata iudicibus omnis dãnationis instar.

Liu. lib. 1.

Sed iustior tanto rursum, quanto in eo Gallis ac Parisiẽsibus, qui antesignani operis fuerunt, prudentia maior, qui cum iniussu Ecclesiæ, id quod natura alioqui satis ipsa hortabatur, præstare ipsi nollent, & iudiciũ Apostolicæ sedis non esset expectãdi tempus, non aliter vt id facerent animũ induxerunt, quàm si accepto à Parisiensibus Theologis responso, securè se in eo agere, atque id ab Apostolica sede probatũ iri certo scirent. Prorsus vt cum nimiæ fortasse tolerantiæ argui possint, quod in iis præ-

cipitis aut temerarij consilij argui debent, nihil omnino esse possit.

Præuentionis formam legitimam fuisse. Ac primùm quòd Theologorum fuerit de ea re sensum suum aperire. CAP. 6.

SEd hæc de præuentionis iure hactenus dicta, quia nos eò perduxerunt, vt de eius forma verba faciamus, sit autem hæc in iis posita, vt quid Theologi responderint, quid principes Senatúsque decreuerint, quid populus præstiterit dicatur, hæc vicissim explicemus.

Ac Theologorum quidem responsum vt bonis securi consilij, improbis autẽ offensionis ac scandali petra fuit, mirũ est quàm vt ab illis laudatur, sic ab istis cõuitiis laceretur. Sed tam sine ratione id, quàm sanctè & integrè illud, & vt decuit redditum est. Ac tria quidem sunt, quæ isti obiicere, quæ partim in aurẽ, partim apertè obloqui contra ordinem istũ solent: vel quòd negant de ista re loqui Theologos debuisse, vel quòd festinanter ac temerariè factum dicant, vel

quòd denique vitiosum decretũ illud esse velint. De quibus vt dicatur, mira primùm certè ista conditio, vnos Theologos esse, qui in re tanta, támque ab omnibus prouidenda, ad quam omnia omnium studia, curæ, sollicitudines, affectus, cogitationes insudare debent, otiosi spectare alios, *manus subascellas*, vt piger ille, *abscondere*, ac veluti trunci esse perpetuò debeant, & quorum in præcipiti Ecclesiæ negotio præcipuus labor esse debet, in eo ne hiscere quidem ausint. Et quidem si de regno tantùm ageretur, cur loqui non deberent, qui cùm regni non infimum, tum eius etiam nobilissimum membrum sint, quam Reges Galli filiam suam (Parisiẽsem illam Academiã dicimus doctrinæ ac pietatis parentem) esse gloriantur? Nunc verò cum non Reip. causa tantum, sed Ecclesiæ, sed fidei ac religionis, in cuius ipsi specula diuinitus canes positi sunt, agatur, cum de iis quæ ad conscientiam spectant consuluntur, vt animi sui sensum, vt consilium aperiant, vt fluctuantes & hærentes animos confirment, publico præconio atque voce flagitantur, mirantur scilicet sapiẽtissimi homines rogatos responsum dare, quod ignauissimi

Pro. 19. & 26.

Theologi etiam si de regno tantùm ageretur loqui debuerant.

essent si dare non auderent, ineptissimi si dissimulanter agerent, iniustissimi denique omnium, si in tali re ac tempore facere detrectarent. Nisi verò quis æquum putat,

Theologorum munus quod.

quos sacerdotum & prophetarũ loco Deus constituit, quorum ab omni æuo in eo labor fuit, vt cæteris in atroci Ecclesiæ negotio consilio ac virtute præirent, vt dormientes excitarent, vt veluti in via Mercurij, qua eundum sit ostenderent, ac lumen de lumine suo accenderent, loqui iussos

Eccles. 4.

tacere, ac sapientis illud contemnere, *Ne retineas verbum in tempore salutis, & non abscondas sapientiam tuam in decore suo*: lumen etiam sub modio contra Domini verbum

Matth. 5. Esa. 6.

ponentes, miserum illud, *Væ mihi quia tacui*, super caput suum accersere, ac similes se

Ps. 113.

aulæ idolis, *quæ os habent & nõ loquuntur*, exhibere: rationẽ vtique in iudicio reddituros, *si in tempore necessitatis responsum dare cõtempsissent*, & quos Sal mundi Deus posuit, salire negligerent, aut infatuari etiam se mundana illa prudentia atque inani metu paterentur.

Pro. 8. Matth. 5.

Accedit vetus ille facultatis huius splendor, quæ si in id instituta à Carolo illo magno est, vt esset vnde consilium dubiis in

fide & moribus domi esset, si huius industria in arduis Ecclesiæ temporibus, qualis Hussitarum in Concilio Constantiensi hæresis, quale schismatis in Basiliensi incendium fuit, atque aliis etiam rebus emicuit, si tanti illam vel SIXTVS V. Pontifex Max. fecit, vt recenti anni 1586 memoria, suum illam dextrum brachium vocitaret, quę ratio esse potuit, vt ea in fatali isto Galliæ vniuersæ motu, quo nihil vnquam visum in ea maioris momenti est, non sui de re tanta animi sensum aperiret? Non gladium illum suum, ne brachium inutile foret, distringeret? imò Pontificem ipsum, vt suo illo multo potentiori feriret, quasi velitando, & seriam pugnam præcurrendo hortaretur? Vel potius vt Solem Phosphorus præcederet?

Facultatem Parisiensem brachium suum dextrum vocat Sixtus V.

Nam nec vanum id forte omnino est, quòd in tabula quadam ante annos duodecim, eóque amplius typis expressa, quam ipsi vidimus, & mirati etiam sumus, quæ rerum isto anno gestarum seriem, quæ fugientem è turbine Parisiensi regem, armatum vndique, sed paludamento arma obtegentem, quæ periuria ad altare sacrum facientem, quæ Constantino-

Tabula typis expressa futura referens.

polis incendium, & truncos capite ad pedes Turcæ geminos, quæ Gallos gallinaceos multis inter se ordinibus depugnantes, quæ lilium è tribus vnum, duobus iam abcisis, ab armato homine & forti gladio petitum, quæ trium imperiorum Gallici, Germanici & Mahumetici, totidem colũnis depictorum, quę suis adiunctis, lilij sceptro, aquila & arcu distinguntur, quæ nauim denique agitatam continebat, (seu illa Ecclesiæ, seu Parisiorum vrbis, quæ nauem pro insigni habet, figura sit) descriptus quoque angelus, sacerdotis instar, cum alba & stola fuit, qui sinistra clypeum eleuaret, dextra gladium summo Pontifici, & ibi cum occisis iuxta agnis descripto, hortanti similis porrigeret, quasi illud dicens, *Accingere gladio tuo super femur tuum potẽtissime.* Quippe quòd turbatis vndique, sed in Gallia præcipuè, Ecclesiæ rebus, præcipuum à Romani Pontificis authoritate & gladio auxilium sperandum sit. Vndecũque enim diuinatio illa sit, quantumuis prodigioso Cassiopææ syderi, quod anno 1572 apparuit, frustra tribuatur (absit enim vt credamus commune quid syderibus cum rebus humanis & contingentibus esse) siue per

Psal. 44.

Cassiopæę sydus.

angelos, siue aliter reuelatio illa facta fuerit, si tam pulchrè cętera conueniunt, vt nõ sit ouũ ouo similius, tametsi in angelo isto diuina inspiratio expressa credi possit, eius nimirum, *qui nec dormit nec dormitat custodiens Israël*, cur non & hîc Theologorum, qui *angeli Domini exercituum sunt, quorum labia custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eorum*, qui clypei instar surgenti se initio tyrannidi opposuerunt, & summi Pontificis fidem implorarunt, industria designetur?

Psal. 120.

Mal. 2.

Nam istius ordinis viris quanta aduersus tyrannidem vis sit, vel ex eo colligere licet, quòd via nulla commodior ter execrando illi Mahumeti visa est, stabiliendæ suæ tyrãnidis, quàm si Theologos auferret de medio, qui populum ab errore seruare, qui Zelum fidei accendere, qui & prophetas præstare, & Macchabeos excitare possent. Mirabilius id etiam, quòd præcipua hæc immani, de quo diximus, Moschorum tyranno Basiliadi, ad crudelissimum dominatum via fuit, quòd populus iste concionatorum insolens, qui pietatem ab hypocrisi distinguere, qui ab imminentibus malis prohibere possent, oportunum se huius furori facillimè præbuerit. Vt nec mirum

Theologorum functio tutum aduersus tyrannidem præsidium.

Guagn. in descript. Mosch.

Moschi prędicatorum insolentes tyrannidi colla subdunt.

sit, si præcipuum aduersus ordinem hunc & pridem diabolus, nupérque in Anglia bellum indixerit, & recens per HENRICVM in Gallia excitarit, vt carcere clauderet, vt conuitiis lacesseret, de statu loqui prohiberet, silentium imponeret, missis cursoribus ab adeundis concionandi gratia vrbibus (stante præsertim in procinctu scelere) reuocaret, denique summam iis, vt facit, perniciem intentaret. Scilicet vt id acci-
Pro. 9. deret, quod sapiens ait, *Cum defecerit prophetia, dissipabitur populus*: & quod ex apologo Æsopi sumptum vsurpauit quondam Demosthenes, sublatis canibus in desertum gregem facilius lupi irruerent.

Theologos nihil in eo temere fecisse.

CAP. 4.

SEd neque precipites in eo aut temerarij fuerunt, qui rogati priuatim sæpius, tum publicè à populo, Procuratoris vrbis voce, obsignatóque publico sigillo libello, vt dicerent, *Num Franci propter ea quæ ab Henrico publica fide violata Blæsis acta erant, secure ab eo deficere, atque armis in eum contendere, obidque pecunias colligere possent*, iterum & tertio super hac re vsque ad 70 congregati, hoc

ordine proceſſerunt, vt propoſita conuentu primo queſtione, de ea maturè deliberandū eſſe, atque in eum finem, quo Deus Rex regum & dominus dominātium in re tam ſeria benignus aſpiraret, ſolennem die tertio totius Facultatis ſupplicationem, cū auguſto Miſſæ ſacrificio fieri decerneretur. Secundo, qui ſupplicationis dies erat, tertius poſt biduum conuentus ſtatueretur, quo quemque conuenire, & quod de re propoſita noſſet, eloqui oporteret. Poſtremo auditis per quatuor integras horas, ac conuenientibus omnium ſententiis, HENRICVM ob ea quę Blæſis acta erant, vtroque iure & Pontificio & ciuili dignitate excidiſſe, Gallos ſecura conſcientia ab eius obedientia deficere, atque in eum, vt publicæ fidei violatorem, bellare, pecunias colligere, & contribuere poſſe, non iudicij ſed conſilii loco diceretur: quinetiam ad ſummum Pontificem (ad quem iudiciū hoc ſpectat) conſilium hoc tranſmitti iuberetur.

Theologorū Sorbonæ de Hērico abdicādo reſponſum.

Quod poſtremum cum Pariſienſium ciuium diligentia factum eſſet, qui illud cū ſolemnibus in eam rē literis deferri ad Apoſtolicæ ſedis caput curauerunt, factum

Pariſienſes reſponſum ad pontificem mittunt.

interea est, vt leuatis è scrupulo priore cõscientiis, Principes, Curiæ, vrbes, prouinciæ, optimi quique tota Gallia animũ obfirmarent, societatem sancti fœderis inirent, atque communibus consiliis ad excutiendum tyrannidis iugum animum appellerent.

Hîc quærimus quid præcipiti consilio, quid temerariè factum causari possint ingenioſi homines, vt responsi huius formam criminentur. An citò nimis factum dicent, quod conuentus duo primũ, quod solẽnes, vt in re grauissima, preces de more præcesserunt? An vsurpari ab iis iudiciũ, qui nihil iudicarunt, vetera tantum iudicia excusserunt, locum in eo quod agitur habere responderunt, insuper & ad iudicem consilium suum transmiserunt? Quasi verò quid inter consultorem & iudicem intersit, quantumis idem dicant, ignoretur: aut perinde sit auscultare probanti, ac parere iubenti: credere docenti, & ex principiis scientiæ id quod sentit deducenti, aut id quod probatum est decernenti ac mandanti dicto audientem esse. At enim Gallos solutos iuramento dixerunt. Quid ni verò dicerent, quod ita iure erat, quamuis ab

Consultor & iudex vt differant.

homine nondum esset ? Benéque omnino habet, quòd causam istā contra istiusmodi calumnias cordatissimus ipse Pōtifex Sixtus V. egit ac suas nænias proferēti Cœnomano os obstruxit, cū diceret Beatiss. P. id feciſſe Theologos, quod consultorū, confessariorum, parochorum & doctorū fuit, vt ius ipsi explicarent, vt instruerent, dirigerent, vt canonum pondus atque dignitatem, atque eorum, à quibus profecti sunt, summorum Pontificum assererent, atque vindicarēt. Prorsus vt cum id pręstet supra legem iudicis authoritas, vt tametsi idem dicat iudicio, quod dictū fuerit consilio, ab eo solo lis terminetur, & iuri plerumque emortuo virtus atque efficacia concedatur, aliud nihil efficiant, quàm vt se ridendos propinent, atque inscitiam suam aperiant, qui vsurpationis crimine hoc patres istos insectantur.

S. Pontif. responsum theologorum deffendit.

Responsum quo ad substantiam contra Blæsensem censuram deffenditur. Cap. 6.

SEd quia postremum est, vt responsum illud quoad substātiam criminentur, atque illud erroneum, scandalosum, iniurio-

sum esse dicãt (hæc enim præclara illa Blæsensis censura, loco scilicet, vbi factum scelus fuerat, digna, Cænomanensis & eorũ qui cum eo sentiunt, fuit) nos scilicet quale id sit, quidque tàm grauiter à patribus illis peccatũ sit, videamus. Erroneũ dicitis (ô boni) Quid ita? Quia cum patribus patres consenserunt, quia quod canones Ecclesię pridem statuerant, id palam denũtiauerunt, & in eo quod agitur locum habere ostenderunt. Quid enim aliud hos damnare est, quàm veteres illos simul doctores, Pontifices, ac Theologos in eandem dãnationis societatem vocare? Aut quis cẽsuram timeat, quæ si vera sit, imperitos ac mendaces illos patres, si contra docti & sapientes fuerunt, inanem esse oporteat? Sed subtilius aliquid inquiramus. Errauerunt patres Theologi. Quid ita? Quia adulari hominibus, quia cedere nequitiæ, quia aulæ mancipia esse, quia compedibus vinciri aureis, quia ad gratiam loqui, quia sub modio lumẽ ponere, quia ambitioni, auaritiæ, hypocrisi seruire, quia dissimulare ac mentiri, quia cothurnis similes esse, quia arũdinis instar vento agitari, quia rem suam publico dispendio facere, quia Ecclesiæ

Error theologorum qualis.

ac Reip. proditores, professionis suæ desertores esse, denique beatos & sapiẽtes illos, ipsi stulti ac miseri, imitari noluerũt. Quid enim verisimilius dici potest? Hoc præsertim tempore, quo vna hæc sapientia est, si quis irrepere in gratiam, quæ sua sunt promouere & in magnis ambulare possit? Sed stulti perinde reliqui tota Gallia Theologi, Rhemenses, Tholosani, Aurelianẽses Andegauenses, Bituricenses, Pictauienses, & si qui alii è primo illo Parisiorũ fõte prodierũt, qui idẽ subinde votũ pũblicè sequuti sunt. Quin nec censuram istam Apostolica sedes effugiet, quæ HENRICVM sic dãnauit, vt iure ipso contractum dudum anathema, solutósque iuramento Gallos declararet, non nouum anathema, quasi nõdum esset, pronuntiaret.

Sed æquè graue istud, quòd scãdalosum responsum nominatur. Quid ita vero? Quia scandalum videlicet illud, quod Ecclesiæ, quod Reipub. datum est, damnatur. Quia auferri iuxta legem Dei consulitur. Quia quod sceleris genus nulla nec vidit nec visura est forte ætas, id auersari, execrari, & ne latius serpat, authorem abscindi, eradi, de medio tolli debere admone-

tur. Sed & scandalosi illi patres. Quid ita? quia ab impio rege discedere, quia Ecclesiam, quia Rempub. crudelissimi lupi faucibus eripere: quia ne quid detrimēti vtraque capiat videre, tūm verbo tū exemplo docuerunt. Et quod Lobnenses quondam sub impio rege Ioram, quod sub Ozia leproso sacerdotes, sub Antiocho Leuitæ Macchabæi fecerunt, id hodie vt fieret fategerunt. Imo quod illi Athanasii, Hilarij, Luciferi, quod veteres illi doctores Franci, quod eorum maiores, si viuerent, facturi essent, id fieri suaserunt. Et vt Aquila illa magna *Væ, væ, væ, habitantibus in terra*, ideſt statuentibus in terra spem rerum suarū politicis, & neglecta Dei causa regis impii fauorem quærentibus inclamarunt. Quod scādali tandem genus istud? Datine, an accepti? Nam si datum esse ais, miseros veteres illos patres, qui scandali huius dandi duces, auth ores, antesignani, recētibus iis extiterunt: qui canones, qui leges, qui præsidia, qui arma, quibus responsum id muniretur, potrexerunt. Quid si ergo parendum HENRICO, si facta regis honoranda dixissent, si permittendum illi, vt grassetur, diripiat, percutiat, incendio, cæde omnia

2 par. 21
2. par. 26.
1 Macch. Fecerunt, id Theologi, quod facerēt eorum maiores, si viuerent.
Apo. 6.

nia vastet & consumat, vt hæresim atque impietatem in medio regni stabiliat, quàm sanctum hoc responsum foret, si quod cõtrarium est, scandalosum nominatur? Sin verò tale scãdalum est hoc, quale olim Capharnaïtarum fuit, tanto nequior ista scandali criminatio est, quanto beatius eo non contingi; vox ipsa Christi esset probatura. Matt. 11.

At iniurioſum etiam illud. Quî tandem, si ius est periurum, assassinum, violatorem fidei atque iuris, ac publicæ salutis oppressorem, hæreseos fautorem, tot vitiis infamem de regio solio decedere? Quomodo enim id iniuria esse potest, quod iure & diuino præceptum, & humano toties definitum, & naturę tã pulchrè est stabilitũ? Nisi fortè persuasum est, ius esse quicquid Rex vel fecerit, vel iusserit, vt ei qui contradicat, iniurioſum esse protinus dicendum sit. Et ad hũc infœlicem scopulum, in quo tot iam passi naufragium essent, etiam ij quos aliter sapere æquum erat, alliserunt. Quanto rectius ex eodem ordine notissimus ille doctrinę & eruditionis nomine Cl. Sancte ius Ebroïcensum Episcopus, qui cum sententiam inter dissipatas illas cleri reli- Cl. Sanctij digna Episcopo vox.

quias de isto Theologorũ responso Blæsis rogaretur, negauit vel præsente atque audiente tyrãno, id se improbare posse, quod tot viri docti atque pii tanto cõsensu protulissent. Iratúsque in tyrannum, *Si me* (inquit) *consuluisses, neutiquam facinus id perpetrasses.* Cúmque ille subiungeret, *Atqui meã olim conscientiam nosti.* Tum Sanctesius (puero enim quondam monitor datus fuerat) *Næ* (inquit) *sed tum talis non erat, qualis hodie est.* Scilicet vt eum tunc de tam tetri paricidii grauitate admoneri oporteret, quod nec tum futurum diuinari posset. Quod si quis hîc dixerit, Ecquando Theologi in Gallia regem suum condemnarint? ij vicissim interrogent, Ecquando talem regem Galli habuerint, vt sic damnari oporteret? Quin potius sic habeat, cum primum istius rei exemplũ isto infœlici seculo extiterit, viciſſim quoque ex eo, qualiter in tales reges animaduertere ordo iste debeat, exiis qui nũc sunt Theologis exemplum posteris esse debuisse.

Arma in Henricum deffensiua, non offensiua esse. CAP. 8.

Sed quia duo sunt, quę erroris loco Theologis impingunt, alterũ quòd cum se illi arma deffensiua suasisse dicant, hi contra offensiua esse velint, quia primi (vt dicunt) Catholici ad arma prosilierint: alterum quòd illi alio ad Rhotomagensiũ postulatã respõso eradẽdum de canone missæ HENRICVM significarint, vtrique respondendum cum sit, prius illud tanto studiosius leuandum est, quanto ineptior ista larua, & pluribus offendendi causa fuit.

Non enim primi Catholici ad arma prodierũt, qui velut Elephantes, quieti antea, viso mox rubente Principum sanguine, & suum pariter quæri cernentes, animati ad pugnam extiterunt. Nisi verò si latro ædes effoderit, si patrem familias occiderit, alios eiecerit, vel clausos tenuerit, propterea offensiua in eum arma erunt, si quis eum inde pellere, si quis rapere ad supplicium moliatur. Quis enim aggressor dici debet, an qui per fraudẽ occidit, an qui aperta vi homicidam rapit? Qui scelus committit, an qui vi comprehensum sceleratum iudicibus tradit? Gloriabatur Tullius plurium se ciuium capita deffendisse, nullius se vitam in discrimem adduxisse, quia patroni non

actoris, deffẽsoris semper, accusatoris nũquam partes se egisse diceret. *Obiicitur* accusatus Verres, in quem illa facundi viri eloquentia sępius intonasset. Negat se propterea accusatorem esse, quòd diceret Siculos deffendendi studio potius, quos rapacissimus iste Verres deprædatus erat, quàm huius vnius perdendi causa id à se factum esse. Et nos dum aras, dum templa protegimus, dum Ecclesiam à sacrilegio, patriam ab incendio, iugulum nostrum à gladio deffendimus, dum à scelerato pœnas reposcimus, cuius vita publica internecio atque pernicies est, aggressorum inuidioso & iniusto vocabulo nominemur? Quæ si quis gratis dicta esse putat, cogitet quid sacris, quid profanis iniuriæ, quid abominãdæ barbariei illatum sit, facilè iudicabit quàm iustæ in nobis deffensiui belli partes, quàm iniquæ in iis aggressorum debeant æstimari. Parum enim sit immensis tributis vexatum populum sub pondere gemuisse, tentatã patrię pernicię cęde, gladio, fame, incẽdio, externo ac domestico hoste extitisse. Quamquã quis parũ ista esse dicat, quę optimo cuique ad iustam deffensionem arma semper porrexerũt? Nunc

verò cum scelera, cũ blasphemiæ, cum horrenda, quę nec honestè nominari possunt inhonestissima, in Deum, in Ecclesiam, in sanctos audiantur, præ quibus nugæ cætera æstimari possint, iustam scilicet defensiui belli materiam esse negabimus?

Aduertite, ô Galli, illatas recẽs Deo vestro ac sponsæ eius matri vestrę, ac patrię simul, quę cõmunis parẽs est, iniurias. Et quali vos virtute in ista causa armatos esse deceat, cogitate. Nam hęc illa scilicet eorũ, qui se Catholicos profitentur, & in nos pugnant, religio. Sacrum illud viaticum execrandis calcibus tũdere, sacro oleo calceos ocreásque inungere, sacra omnia vel vsque ad stãneos calices expilare, mortuos sepulcris effodere, mulieres ac virgines vendere. Id in Lexouiensi agro Mompẽserij, id Syluanecti Toræi, id Stampis Henrici in tribus Ecclesiis, B. Mariæ primũ, deinde Capuccinorum, postremo Franciscanorum, ipso pręsente copiæ præstiterunt. Addita etiam immanitatæ hac, præter cæsos illîc catholicos martyres, vt sacros fontes alui deiectionibus fœdarent, fœminas ac virgines in ipso B. Mariæ templo constuprarent, sacras beatorum martyrum Cancij, Cancia-

Recentes & horrendæ Henrici impietates.

Recentia & horrenda Henrici & Henricianorum scelera.

ni & Cancianillæ reliquias sub auctionem ponerent, calices omnes asportarent, eodémque tempore, in eadem Ecclesia, execrandus sacerdos de HENRICI factione ad altare maius Missam celebraret, & in pronao Nauarri hæretici minister hæreticã concionẽ haberet. Et ne lõginqua proferamus, in Parisiẽsi agro Capuccinos, curiones, sacerdotes, monachos, quos passim repererunt, illæ, illæ inquam, ter execrandi HENRICI copiæ trucidarũt, Moniales vi de claustris auulsas ad scelus & contumeliam secum abduxerunt. Euchariſtiam & ipsi pedibus conculcarunt, quicquid sacri ac religiosi fuit diripuerunt, atque prædati sunt. Et quod horrendum est cogitatu, vitulum sacerdotis veste indutũ, præsentibus quinque presbyteris, ad altare sacrum immolarũt, ac deinde sacerdotes illos ibidem trucidarunt. Et nuper Pontisaræ, cum virginis sacræ templum frustra expugnassent, horrendas in eam blasphemias euomuerunt, quæ vt hæreses omnes sola interemit, sic & iis certissimi exitii causa erit. Et vos, ô nequissimi, deffensiuum bellum negabitis, & nobis iusulso illo artificio adhuc illudetis? Nam si recentia hæc, si post inceptum bel-

lum patrata esse ais, satisne intelligitur, quæ arbor dudum fuerit, quæ tales fructus edit? Et vt dudum *iniustitiam parturierit, & conceperit dolorem*, qui tam detestandam hodie *peperit iniquitatem*? Quid enim hîc mirum accidit, quod non futurum prior illa nequitia indicarit? cuius enim tã insigne periurium, tam fœda sacrorum illusio, perfidia tam horrenda, parricidium tam immane (nam hæc bello priora fuerunt) quis nõ eo processurũ, imò etiam deteriora multò commissurum diuinaret? Nam si futura etiã nunc non dicam coniectare, sed certissimè euentura prædicere placet, cogita, ô quisquis es, dirutas & æquatas solo sacras ædes, vagantem vbique locorum, dierum, personarum libidinem, cæsorum corporũ rubentia sanguine flumina, fœtentem corruptione aërem, palantes & incertos sine religione, sine sacramento, sine lege homines, excussum de hominũ memoria quicquid dicitur Deus. Id denique quod propheta ait, *Orientur in domibus eius spinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius. Et erit cubile draconum, & pascua struthionum.* His enim artibus Turcicum illud tamdiu meditatum imperium fundandum aliquando

Recentia Henrici crimina qualis ab initio fuerit indicãt. Psal. 7.

Esa. 34.

& si permittatur, cõstituendum est. Et vos ô Galli, id feretis? & bellum defensiuum esse ambigetis? Et ineptos istos, imo impios & nefarios hostes, vobis ac vestris fortunis atque vxoribus inhiantes audietis?

Eradendum de Missæ canone Henricum, rectè concluſum esse.

Cap. 10.

Sed illud est quod ferunt iniquissimè, quòd eradẽdũ de canone Henricvm, & publicas pro eo fieri preces nefas esse ab iisdẽ est declaratũ. Mirũ enim hîc quã multa cõtradictio, quã multi obloquentiũ linguarum sermones extiterint. Et quidem validis ac pulchris, vt sibi vidẽtur, rationibus freti. Nam si nullius desperanda salus, nec vllius tãtum animę vulnus esse potest, quod non summus ille medicus sanare possit, sæpéque inter sicarios viuit, cui sua inter Seraphim posita est sedes: si de contumelia Magdalena, de teloneo Matthæus, de impietate Chananęa, si in cruce latro de summa nequitia vocatus est: nec sua fuit Mosi latroni primùm, mox sanctissimo monacho, vilissimis etiam antea scortis, mox christi sponsis effectis, Thaidi, Pelagiæ,

Obiectiones contra conclusionẽ Theolog.

Mariæ Aegyptiacæ, atque aliis desperata salus: si Manassi infideli, idololatrę, præstigiatori, tyranno pœnitētię locus, ac perditissimis etiā alijs multis fuit: si medici in eo est virtus, vt deploratis morbis remediū adhibeat, quod tantum (inquiunt illi) Hērici scelus esse potest, vt ab oratione excludi, vt orare pro eo popul⁹ prohiberi ac vetari possit? Hęc sunt nimirū, quę illi mulierculis, iis præsertim, quę ex isto genere obstinatissimo animo, & minimè capaci sanorum consiliorum sunt, obtrudere, suggerere, insusurrare solent, vt eorum vocibus ad vulgus seducendum, ac responso isti obloquendum abutātur. Inepti ac stulti qui nō videant, quàm distet ab oratione omnino excludi (quod solius dęmonis atque damnatorum est) & à publicis atque adeo canonicis precibus remoueri: ac rursum quātum distet generatim in precibus cōtineri, aut nominatim in iisdem exprimi. Liceat priuatis pro infideli quouis, pro nequissimo homine, imo & excommunicato fundere Deo preces: publicę etiam pro infidelib⁹, hęreticis, paganis, ac ceteris eiusmodi (excōmunicatos excipim⁹) vt in parasceue fieri solet, preces fiāt. Vt publicè verò nomi-

Aliud ab oratione penitus excludi, aliud à publicis precibus remoueri.

nentur, vt inter tremenda mysteria nomen eorum audiatur, nefas sit quod dudũ execrata iustissimè Ecclesia est, id hodie tolerare.

Vetus quippe iste mos fuit, hęreticorum & excommunicatorum nomina è publicis Ecclesiæ tabulis, quæ diptycha dicebãtur, auferendi. Quorum enim nomina nec publicè in tabulis scribi liceret, quomodo publicè in canone proferrentur? Quinetiam decretum extat Leonis Pontificis ad Anatholiũ de nominibus Dioscori, Iuuenalis, Eustachii, aliorúmque hæreticorũ ac persecutorum ad altare non recitandis. *Nam iniquum nimis est* (inquit) *atque incongruum, eos qui innocentes & Catholicos sua persecutione vexarunt, sanctorum nominibus sine discretione misceri, cum damnatam impietatem non deserẽtes, ipsi se sua prauitate condemnent, aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.* Quamobrẽ de Philippico hæretico imperatore loquens Paulus Diaconus, *Hæretici* (inquit) *imperatoris effigies non est in Ecclesiam introducta, nec nomen eius ad missarum solemnia prolatum.* Et Anastasium imperatorem, quia Synodo Chalcedonensi aduersaretur (vt HENRICVS Tridentinæ) ex sacro codice

Epist. 40. ad Anath.

Paul. Diac. lib. 8. de gestis Rom.

expunctum & anathemate percussum fuisse refert Nicephorus. Et Canon ipse apertè ait. *Pro omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.* Neque id profectò iniuria. Quia nec videri consentaneum potest, eum qui se à communione Christi subduxerit, in eo sacro nominari, quo diuina illa vnio promouetur. Cum alioqui etiam, inutilis ista precatio futura sit, quòd spiritalis nutrimenti influxus in eum qui à communione spirituali bonorum extorris sit factus, nulla esse possit. Nec verò institutæ ad id illæ preces sunt, vt gratiæ fundamentum iis qui foris sunt, acquiratur, sed vt iis qui in fundamento illo hærent, quod per alia, baptismum videlicet & pœnitentiam fit, spiritualis gratiæ ædificium impetretur. Nam etsi Missæ sacrificium valere etiam ad id potest, vt qui extra sunt ingrediantur, non tamen hæc propria & immediata eius institutio est, quæ potius eò spectat, vt verbum Christi hîc seruetur, qui ait, *Non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Accedit quòd nec fas, quos nec viuere nobiscũ licet, eos vel in sacris nominari. Dicẽte propheta, vt de bonis ac iustis, *Honorabile no-*

Lib. 16. cap. 35.

Hæreticorum nomina è canone de cur auferenda.

Ioh. 17.

Psal. 71.

Psal. 15. *men eorum coram illo*, ita de malis & impiis, *nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Sed & præterea Regis in publica prece nominatio, regiæ dignitatis insignis professio est. Neque cohærere ista possunt, vt quem nec regem esse, imò decidisse principatu constat, is regis loco ac nomine in sacris honoretur. Quæ Theologis Parisiensibus etiam causa fuit, nonmodo vt HENRICI nomen expungendum è canone dicerent, sed ne illa quidem verba, *Et rege nostro*, quâtumuis vel de sceptro ipso, vel de futuro rege intelligi posse quidam contenderent, adhibenda esse iudicarent: ne cum de HENRICO generale nomen intellectum videri posset, scandali materia eadem semper oriretur.

Ad postulata Rhotomagēs.

Henrico regnum, nec si pœniteat restitui posse. CAP. 9.

HÆc sunt nimirum, quæ patres isti resposis suis cõplexi sunt. Quæ ne quis nimis multa, aut plus æquo audenter facta esse dicat, addimus & id confidenter responderi ab iis potuisse, si esset qui rogaret ac quæreret, quod à nobis antea notatum verbo, nunc etiam amplius cupimus ob-

seruari. HENRICO etiam si resipuerit ac pœnituerit, tuta conscientia regni summam à populo Gallicano, aut eius proceribus relinqui, aut à priuato quouis, vt id fiat, opẽ, industriam, sollicitudinẽ, aut aliud quiduis adhiberi nullo modo posse. Quid ita vero? Quia publicæ, quia priuatæ charitati, quia ordini Ecclesiæ ac Reipub. istud aduersatur. Publicę charitati pugnare dicimus. Quid ita? Quia de vera hominis periuri, perfidi, atque hypocritæ pœnitẽtia vel resipiscentia, etiamsi sit, constare nobis non potest, quæ qualis sit Deo soli notum est. Porro Rempub. ei committere, de cuius fide, & integritate non constet, imò cuius impietatis manifesta indicia fuerint, nonnisi cũ summa Reipub. iniuria esse potest. Nam si pupillum malæ fidei tutori dare conscientia prohibet, aut in cuius manu pupilli vel salus, vel vita, vel fortunæ periclitentur, Rempub. ei committi, cuius incerta fides ac pietas sit, quomodo concedetur? Et si nefas esse aiunt Theologi, manifesto peccandi periculo vel seipsum vel proximum obiicere, qui hominem non vnum aut alterum, sed tot myriadas ei tradat, sub quo certissimum religionis, pietatis atque æter-

næ salutis periculum adire eos oporteat, qualiter in eo securè vel agat vel sentiat? Nisi verò maius pœnitentiæ specimen tertius HENRICVS hic, quàm quartus ille olim Henricus dare potest. Qui cum ob Simoniam, aliáque immensa scelera à Gregorio 7 sanctissimæ memoriæ Pontifice anathemate percussus, secedentibus abeo omnibus, partim eius iniuriis offensis, partim Gulielmi Traiectensis Episcopi, (qui quòd impij regis causam contra Pontificem egisset, iusto Dei iudicio præsentem se vitam amisisse & æternam vociferans expirauerat) miserabili exitu territis, ipse amittendi imperij metu, de impetrãda iam ab eo venia, quem priùs despexerat, cogitans, obuiámque Pontifici veniẽs, vix magnis precibus impetrasset, vt eius conspectibus apparere posset: atque ita relicto exercitu, omníque adeo comitatu suo, regio etiam cultu deposito, nudis pedibus, asperrima & gelu rigente hyeme, ieiunus à mane ad vesperam, Romani Pontificis sententiam præstolando, ad eius limina substitisset, idque secundo & tertio die feciisset, ac demum quarto die ad conspectum admissus, his conditionibus absolu-

Fictæ pœnitentiæ in Henrico 4. insigne exemplũ.

Albert. Pigh. lib. 5. Hierar. Eccl. cap. 2.

tus esset, vt ipse depositō tātisper imperio, solutísque ab eius obediētia subditis, dum causa eius iudicaretur, priuatus ageret, vt si obiecta vera essent, regno priuaretur, sin se purgasset, imperium remaneret, sed errata tamē corrigeret, ac Romano Pontifici perpetuò obediēs foret: si quid horū pręuaricaretur irrita anathematis absolutio esset: atque hęc ille omnia sanctissimis assertionibus promisisset, imò etiam manu sacris reliquiis adhibita iureiurando firmasset (quid humilius, quid abiectius, aut summissius dici potuisset?) hac tamen tantę támque insignis pœnitentiæ larua infœlix tyrannus abusus est, vt domum reuersus, spreto iuramento, crudelius solito baccharetur, ac cæso Rodulpho Saxonum duce, quem Germani regem elegerant, ipse cum exercitu, Romam iterum & tertio petens & obsidens, eandem caperet, incenderet, diriperet, pulsóque vrbe Pontifice, antipapam Gibertum Rauennatem (cuius schisma durauit 25 annis) opponeret, mille modis vexatum sanctissimum pontificem ad mortem adigeret, Victorem III, eius successorem veneno in calice infuso tolleret, demum in Paschalem II, qui ei successit,

Sabell. Ennead. 9. lib. 2.

insurgeret, donec iterato sæpius anathemate confixus, & a suis penitus destitutus, concilij iussu imperio exutus, miserabilis ac lugens mori cogeretur.

Hic scilicet pœnitentiæ in principe hypocrita ac periuro fructus, quãtumuis huius non fortè antea notata hypocrisis, atque periurium esset. Et nos homini, cuius toties nota periuria, cuius toto orbe fabula est hypocrisis, vel pœnitenti credamus? Et tali scilicet lupo, ouem denuo induenti, Rempub. committamus? aut tuta cõscientia de eo restituendo verba faciamus?

Atque hæc sunt, in quibus publica illa charitas offenditur. Quid verò priuata? (Nam nec nos illum à charitate excludamus.) Quia scilicet in eo locum habere illud debet, *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuũ domine.* Crudelisque adeo in hunc illa misericordia est, si quis pœnam seculi huius imminuat, quam propterea in altero grauiorem longè sit habiturus. Cui potius votum illud Mauricij imperatoris optandum sit, qui cum prę auaritia milites, quos redimere vel exiguo ære noluerat, Chagano hosti indignanti cædendos reliquisset, ac pungente conscientia, missis ad

Psal. 82.

Temporalis Henrico pœna optanda est, vt leuiorem in altero seculo ferat.

celebriora

celebriora orbis templa literis, à præstantibus pietate hominibus Deũ exorari mandasset, vt admissi sceleris pœnam ipse in vita hac reciperet, miserante & annuente Deo, ac de prece sua exaudita, partim in somno, partim ab imagine Christi clara voce loquente monitus, à Phoca crudelissimo ac nequissimo tyranno, iugulatis primùm in conspectu eius liberis (ad quorum singulorum necem Deum hac voce laudabat, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*) iugulatus & ipse, regno simul ac vita priuatus est. Quis enim Mauricio non de sua illa pœna gratuletur, quæ & vitæ præsentis miseriam clausit, & æternæ aditum aperuit? Aut quæ præstari HENRICO maior gratia potest, quàm si priuatione regni saltem, tot eius scelera vel expiẽtur, vel damnatio tolerabilior reddatur? Niceph. lib. 18. cap. 42. Cap. 46. Psal. 118.

Ordo denique Ecclesiæ ac Reipub. id prohibet, non tantùm quia hæc perfidis ac periuris pœna debetur, vt nec vera dicentibus credatur, sed etiam quia cum scelerum, quæ vitæ amissionem promerentur, minima pœna sit dignitatis priuatio, neque verò satisfactio vlla digna esse possit, si vel minima, quæ sceleri debetur, pœna Ordo Eccles. & Reip. cur restitui Hericum prohibeat.

abfuerit. Ecclesiæ porro ac Reipub. interest, quæ publicè peccantur, publica satisfactione deleri, nullo ferri ordine aut Ecclesiæ aut Reipub. potest, vt cui ob tam multa támque grauia scelera grauior pœna debetur, vel leuior etiam auferatur. Quod si ordini resistere Apostolus vetat, fieríque ordine omnia iubet, qua securitate restituatur huic regnum, quod si teneat, nec dignè pœnitere possit? Nam si Dauides, si Theodosij, pœnitentes saluo diademate atque príncipatu istíc proferentur, alius quàm HENRICVS quærendus est, qui cum iis, nequissimus scilicet cum optimis, veterator cum simplicibus, peccans ex animo sæpius, cum semel ex subreptione victis, in vitiis ac sceleribus obfirmatus, cum iis de quibus dictum est, *Iustus cum ceciderit non collidetur. Dominus enim supponit manum suam,* possit comparari. Vnus fortè Manasses regno post pœnitétiam restitutus citari posset nisi quæ aperta illius impietate deterior est huius hypocrisis, veræ pœnitentiæ fidem hominibus adimeret. Quę quia in Manasse non fuit, quin potius veris fructibus ceptam semel pœnitentiam patefecit, nec fallere etiam homines in eo potuit.

Rom. 31.
1 Cor. 14.
Psal. 36.
2. Par. 33.

Nihil quoque in eo neque à Principibus, neque à Senatu, neque à populo perperam factum esse.

CAP. 10.

HOc posito iustitiæ, quod primum esse debuerat, fundamento, vt nihil temerè principes, nihil Senatus, nihil populus Catholicus vniuersus in Gallia fecerit, ex totius rei historia, sicuti gesta fuit, intelligendum est. Hæc quippe agendi ratio fuit, primùm vt Romam ad Pontificem scriberent, ac Theologorum responsum primùm, mox codicem, in quo eorum rationes continerentur, mitterent, ac iudicium sanctæ sedis maturari postularēt. Cōprehensis deinde, qui Henricianæ factionis præcipui erant, & à quibus plus Reipub. metuebatur, publico consilio iuramenti fœderis sancti formulam conderēt, quam à Senatu probatam, & publicè ipsi Senatores primùm, mox & omnes iurarēt, & iurari ab omnibus vbique procurarent. Ac tātisper dum illustrissimus dux MAYNÆVS ac reliqui principes in vrbem venirent, quo licebat pro tempore in tanta trepidatio-

ne cõsilio ex omnibus fere ordinibus vterẽtur. Mox aduectis principibus, in id tandem cũ iis & prẽfectis vrbis Senatores, nobiles, aliíq; ex omni genere ciues conuenirẽt, vt generale totius vnionis Catholicorũ in Gallia concilium ex omni genere hominũ, Principum, Eccleſiaſticorũ, Senatorum, nobilium, ac poſtremi generis ciuium Pariſiis erigerẽt, quod futuris Reip. negotiis, interim dũ regni comitia haberentur, domi ac militiæ, ſuprema authoritate prouideret: atque ea quidem conditione, vt quia generale illud toti Galliæ eſſet, ſuus quoque in eo ſedendi locus ſingularum prouinciarum legatis ſeu deputatis eſſet. Quem cœtum cum ſupremus Senatus ratum habuiſſet, ac ſinguli ſe ſacramẽto obſtrinxiſſent, prima hæc concilij huius conſtitutio fuit, vt quia penes vnum rei ſummam deferri neceſſe erat, & illuſtriſſimi ducis MAYNÆI præ cæteris virtus eminebat, generalis idem totius Galliæ domi ac militię gubernator crearetur. Qui cum domi primùm quæ neceſſaria erant procuraſſet, tum ſub eo ad arma contra tyrannum iri ſeriò cœptum eſt. Quæ omnia quàm caſtè, integrè quámque ſolius tuẽdæ religio-

Concilij generalis vnionis Gallicanæ Pariſiis electio.

Dux Maynëus generalis Galliæ gubernator.

nis, ac propulsandæ cum hæresi tyrannidis causa facta sint, cùm incredibilis populi deuotio, virorum, mulierum, puberũ, impuberum, nudis pedibus, ac syndone super nudo indutorum, hyeme asperrima, cum gelu omnia concreta essent, diu noctúque cum clero & cereis ardentibus incedentium, litanias, hymnos, omnis generis cantica sine intermissione modulãtium, ac diuinam bonitatẽ, vt Galliæ misereretur, fatigantium (quod vsque hodie statis singulis parochiis diebus perseuerat) longi ac prolixi cœtus docuerunt, tum ex ea quæ publicè emissa est iuramenti forma, ac publicis, quæ ad Pontificem scriptæ sunt, literis intelligi potest.

Populi Parisiensis in calamitate deuotio.

Ac iuramenti quidem hæc formula fuit. *Nos N. N. iuramus, atque sanctè promittimus omnipotenti Deo, gloriosæ matri eius, & omnibus sanctis, nos in sacta religione Catholica, Apostolica & Romana & victuros & ad mortem vsque perseueraturos: atque pro eius conseruatione ac propagatione vitam, fortunas, quicquid in nobis est, ad extremum vsque spiritum & sanguinem esse profusuros. Futurum sperantes, vt qui solus est cordium atque voluntatum scrutator Deus, tam sanctis cœptis, in tam iusta atque san-*

Iuramenti vnionis Gallicanæ formula.

Eta causa, benignus aspiret, eáque prosperè vertat ac fortunet, quæ nos pro sola nominis eius exaltatione, atque eius Ecclesiæ, contra eos, qui eam quacunque ratione, aut occultè, aut aperta vi opprimere, atque hæresim in Galliæ regno stabilire tentauerunt, tentant, aut etiam tentaturi sunt, defensione, aggredi ac moliri protestamur.

Iuramus item omne studium, omnémque operam tuendæ almæ Parisiorum vrbi, securáque in ea constituendæ paci, ac cæteris vrbibus ac communitatibus fœderatis seu vnitis ad popelli subsidium ac leuamen esse collaturos.

Iuramus item ac promittimus defendere ac tueri contra cuiuscunque generis, dignitatis ac status homines, principes, prælatos, dominos temporales ac nobiles Parisiis commorantes, atque omnino omnes, qui tam sancto huic fœderi, vel nomen dederunt, vel posthac daturi sunt, priuilegia item atque libertates trium ordinum huius regni. Neque permissuros vllam in re eorum vel personas vel fortunas lædi: totis etiam viribus prauis eorum consiliis obstituros, qui fidem publicam violarunt, vnionis edictum fregerunt, libertatésque & priuilegia trium ordirum huius regni, per cædes & incarcerationes Blæsis commissas 23 & 24 Decemb. eneruarunt atque conculcarunt: debitas etiam pœnas à sceleris huius non tantùm authoribus, aut

consciis atque complicibus, verùm etiam ab iis qui eorum partes imposterum quomodocunque fouebunt, aut iis adhærebunt omni iure atque via repetituros. Ac generaliter promittimus alios aliis mutuas operas nunquam negaturos, neque vllum omnino fœdus, nisi communi principum, prælatorum, vrbium ac communitatum vnitarum consensu inituros.

Aque hæc quidem prima formulâ fuit, antequam institutum concilium illud generale esset. Quo mox instituto, adiecta ad eam hæc quoque clausula est.

Iuramus itẽ cõcilio generali Catholicorũ nuper instituto Parisiis obedientiã præstituros, atque vt ab aliis præstetur, & quæ ibi statuta fuerint opere ipso compleantur, quantum in nobis erit esse connixuros.

Hactenus iuramẽti forma. Literarum verò, quę ad Pontificem transmissę sunt, exẽplar est eo qui sequitur modo.

S. D. N. Sixto Papæ V.

BEATISS. PATER *Quæ spes nobis ante aliquot dies suma erat, fore vt post tot procellas, quibus annos pene iã triginta iactati sumus, constitutã in Gallia Eccle siæ pacẽ aliquãdo videremus, atque de ea re nuntiũ Beatitudini vestræ lætum breui afferremus, eam verò crudeli*

Parisiensiũ de Guysii cæde luctus.

atque immani fortissimi ac pientissimi Ducis Guysij, atque illustriss. Cardinalis eius fratris cæde, acerbissimo luctu commutatam esse, tanto grauius pertulimus, quanto durius est in medio ardore belli ereptum eum nobis esse, cui vt hoc reliquum nobis religionis ac vitæ est, acceptum ferimus, ita eo amisso ne hæreticorum faucibus prostituatur, meritò formidamus.

Fructus cædis Guysii laruæ Hæriciane detractio.

Quæ si tamen diuini numinis constitutio fuit, vt & inuictissimi Principis labores gloriosissima morte consummaret, & latens dudum sub Catholica professione impietatis virus tam chari capitis pretio aperiret, vt omnipotentis Dei iudicia in ea re taciti suspicimus, ac veniam petimus, ita Sanctitatis vestræ pedibus prouoluti, opem vestram per viscera misericordiæ Iesu Christi imploramus, vt dum rem qualiter paucis exponimus, tum auxilium quod decet, etiam impetremus.

Guysius à calumnis purgatur.

Non enim, quod interfectoris ars atque existimatio fingere perfecto scelere necesse habet, transuersum optimum ducem ambitio egit, qui quod in regem toties nullo negotio potuit, hoc vnum peccasse (fortasse merito) à multis dictus est, quòd noluit. Quem si non vsque eò domus Dei ac publicæ salutis Zelus comedisset, vt in certissima pericula toties inermis se dederet, si non conscientia puritas & animi candor eius à quo ad necem petebatur, dolis oportunum fecisset, cum ille quæ de paratis sibi insidiis dicebãtur, toties intrepidus contemneret, sic nimirũ affectus, vt optimi & probissimi quique solent, qui alios improbos esse difficillimè suspicantur, & viuum adhuc haberemus, & tanto superstite Ecclesiæ Dei vindice gauderemus.

Nisi fortè quòd hæreticis omnia pro libidine in aula

gerentibus, iamque extincto regis fratre, atque ipso non obscurè fauente Rege, Nauarrũ ad sceptrum vocantibus, ab Illustrissimo Cardinali Borbonio primùm, mox à beatiss. memoriæ Gregorio XIII. pontifice Dux Guysius excitatus, vt videret, ne quid Religio Catholica in Gallia detrimenti caperet, quantum potuit virtute, ingenio, industria, patientia, cum rege egit, vt Ecclesiam stabiliret, hæresim profligaret, vt fidelem in ijs se ministrum domi militiæque exhiberet, vt infensum regi populum conciliaret, ac nutantem coronam assereret, vt in sacro Galliæ ordinum conuentu causam istam agens, nihil strictos in se gladios hostiũ metueret, vt salubria regi aduersus regni inuasores consilia daret, in omnibus denique optimi atque integerrimi ducis, vel infensissimorum hostium iudicio partes obiret, propterea læsæ (si Superis placet) maiestatis reum agi oportuit, vt post iterata toties ad altare sacrum, & sumptum Christi corpus, pacis & reconciliationis iuramenta, post lachrymas amicitiæ, fidei ac mutati animi testes, post oblatum ipsi Duci summum militiæ magistratum, post missos ad Beatit. vestram, qui de legatione Auenionensi Cardinali à Guysia deferenda agerent, (quasi non aliter scelus perpetrari posset, quàm si Apostolicæ sedi illusum foret) post constrictum, obsparsos de futuro scelere rumores omni deieratione & execratione caput, è media sacri illius conuentus sessione, vbi Dei, Ecclesiæ, ac Reipub. causa agebatur, quasi cuiusdam noui consilij capiendi specie, Regy Secretarij voce solenniter euocatus, per latentes in obscuro mercenarios sicarios, in id dudum conductos, in ipso Regis cubiculo, nihil tale metuens, multis repente vulneribus confossus, ipso auscultante rege, & se obiectu ostij secretioris muniente atrocis-

Guisii in Galliæ regnum & Henricum merita.

Henrici perfidia & dolus.

simè nec aretur. Et ne quid crudeli facto deesset, coniectis in vincula Illustrissimo Cardinali Borbonio, venerabili Lugdunensium Archiepiscopo, cæteris principibus ac viris Catholico Zelo præcipuis, atque inter eos interempti Ducis primogenito filio, postridie Illustrissimus Cardinalis à Guysia per alios satellites, cum iam furor resedisse credi posset, etiam cæderetur.

Cardinalis Guysii cædes.

In quo esset fortasse, quòd quis arguat Religio dubitare posset, nisi priora multa, quæ huc dudum properabant postremus ille actus Colophonis instar coronaret, & qualia sint indicaret. Eiusmodi sunt illa, quæ præter horrenda multa, quæ nec loqui fas est, contra Religionem à Rege sæpius facta, specie tamen recti nunquam caruerunt. Designatus ad Regni successionem Nauarrus, initum cum Regina Angliæ fœdus, ac profanum eius in loco sacro, lugente ac detestante populo, susceptum militiæ sacramentum: Geneuæ, Sedani, ac Iamesi putidissimorum hæreseos lacuum protectio: prouinciæ nobilissimæ & arces munitissimæ hæreticorum fautoribus in custodiam datæ: ementiti & ficti (quibus nefanda domi scelera miscebantur) pœnitentium ritus: conuersa in Ecclesiæ præiudicium vnionis edicta, vendita specie belli Ecclesiæ patrimonia, & quæ inde collecta pecunia erat, Nauarro eiusque fautoribus data: constans in vulgo de prodita ad mortem Scotorum Reginæ rumor: accîti e Germanorum & Heluetiorum finibus sub sigillo regis Ecclesiæ hostes: libera hæreticis contra vnionis Edicta bonorum facta possessio, cum iudices passim aliud scripto, aliud in mente Regis legere dictitarent, & in apertissima iniquitate & Edicti transgressione Regis se seruos pro omnni excusatione dicerent: silere iussi & in vin-

Henrici actorũ contra religionem emuneratio.

cula coniecti diuini verbi prædicatores: proscripti Parisienses ex omni genere ac ordine Catholici, paratique ad eorum necem XII. Maij milites ac tortores: firma etiam vsque adeo Angliæ Reginæ, Geneuæ, Sedano, & Iamesio seruata fides, vt in condendo posteriore vnionis Edicto, iis Rex vti renuntiaret adduci nunquam potuerit. Quæ vt à pio & Catholico Rege proficisci nulla ratione potuerunt, ita latentem dudum impietatem postremus ille crudelissimæ tragœdiæ actus sic aperuit, nullus vt huic color, nullus excusandi locus, Deo sic volente, esse possit.

Heericus impietatis accusatur.

Nisi verò qui toties peierarit, qui ficta promissione catholicos principes & sedē Apostolicā eluserit, qui vtrūque trucidarit, qui publicam fidem tum diuinam tum humanam violarit, qui sacrosanctæ Eucharistiæ toties illuserit, qui locum sacrum atque sanctum innoxio & iusto sanguine polluerit, qui cæsorum corporibus insultarit, qui nihil pensi inter sacrum & profanum habuerit, qui post tantum scelus omnia terroribus repleuerit, qui soli Deo, præterea nemini, suarum se actionum rationem redditurum dixerit, vt firmißima iam præsumptio sit hunc ad Henrici Anglicani furias venturum, & se pro Ecclesiæ apice, ni prouideatur, in Gallia gesturum, déque Christianissimo Turcicum, de nobilissimo abiectissimum Regnum (quod pridem meditatur) facturum esse, hunc credibile est pietatis Catholicæ aliquid, non potius occultum hæreseos virus, aut si quod deterius impietatis genus est, in pectore asseruare. Quid enim, si regnum petebatur, extincto Guysio, à Cardinali & sacerdote metuendum erat, vt hunc cædi postridie oporteret? Aut quis præ impetu iræ factum dicat, qui post integrum diē, vix inuentis qui tam tetrum facinus in sacerdotem com-

mittere vellent, ridente & cachinnante Rege à quatuor nebulonibus cæsum in carcere audiat? Cur coniecti in carcerem Episcopi, Sacerdotes, Nobiles, optimi quique & sanctissimi ex omni hominum genere viri? aut quò tandem ista tragædia spectat, nisi vt Nauarro, Spernonio, Casimiro, meretrici Anglicanæ, cæteris fœderatis hæreticis inferiæ dentur, & talibus hostijs litetur? vt mœrentibus ac deiectis Catholicis exultent hæretici, & in suis illis cogitatis furoribus (quod iam vndique fit) liberiùs debacchentur?

Henrici in sedem Apostolicã iniuriæ.

Adde vestram (Pater Beatiss.) & totius sanctæ sedis læsam dignitatem, cum & præsente Sanctitatis vestræ legato scelus tantum paricida designaret, & monẽti audientiam denegaret. Denique Cardinalem confodiẽs, totum sacrum istud ac purpuratum collegium violaret. Cui enim tandem sacro parcet, qui caput petierit? qui sedem vestram, quam verbo se vereri fingit, facto oppresserit? qui patrem, à quo cœlesti oleo tinctus est, occiderit? aut quæ sub illo Christiano homini securitas esse potest? Aut quò tandem processura est impietas, quæ sic iam in præcipiti stetit?

Gallorum de excutiẽdo Henrico consiliũ

Quæ cum sint eiusmodi vt iam vitam potius profundere, quàm tyrannidem hanc nostris atque Ecclesiæ vniuersæ ceruicibus impendentem, & postrema omnia minitantem ferre parati sint omnes boni, eóque iam ventum sit, vt Frãcorum prisca fides, virtus ac pietas hìc se totam debeat explicare, vel ipsis exemplo præeuntibus pueris atque infantibus, quos ingenti numero, plúsquam decem millium, non sine miraculo clamores sua sponte per vicos in cœlum tollentes, & vltionem sceleris in Tyrannum poscentes, alios etiam Tyranni imaginem (sic enim vota-

bant) flagris cæsam ac fractam igni admouentes in hac vrbe audiuimus, & obstupuimus, id nimirum est, in quo vestram (Beatissime Pater) opem imploramus, vt cum tria nobis à vestra Beatitudine præstari in hoc negotio necesse sit, ea nos ad beatissimos pedes prostrati vehementer flagitemus. Primum, vt iuramento, quo nos Henrico 3 quondam obstrinximus, soluti declaremur. Deinde vt bellum, quod cum publicæ Religionis ac libertatis oppressore necessario gerendum est, iustum esse decernatur. Postremò, vt ne quid tam necessario operi tum precum apud omnipotentem Deum, tum facultatum humanarum desit, ad vtrunque tum externi principes, tum nostri præcipuè homines Apostolicæ vestræ gratiæ, atque per iubileum indulgentiæ beneficio prouocentur.

Eorũdem à sede Apostolica postulatio.

Nam priora illa duo eo confidentius petimus, quòd cũ iuris nihil in Christianos ei esse debere, qui se hæreticum aut fautorem hæreseos manifestè præbuerit, qui publicam fidem tum diuinam tum humanam tam insigni parricidio fregerit, qui Regni ac sceptri iudices tam fœdè violarit, qui per Assassinos Christianum principem occiderit, qui sacerdotem, Pontificem, Cardinalem, & in comitijs Ecclesiastici ordinis præsidem trucidarit, qui anathematis diras omnes ac fulmina incurrerit, qui parato ad perdendum omnia, & fœdè conculcandum animo sit, ipsa nos dudum ratio & vetus traditio docuerit, præsertim cum Gallia ipsa Reges quondam isto (quo peiorem nunquam habuit) longè tolerabiliores authoritate vestra excluserit, imo etiam voce propria nos iuramento hoc liberos, si quid præter promissa faceret, non semel pronuntiarit, tum verò in præcipiti negotio, cum responsum Beatitudini vestræ expectandi tempus non esset, nec tamen

Parisienses ad postulandum quid impulerit.

quicquam dubia & fluctuante conscientia facere certum esset, grauissimo adhibito Theologorum Sorbonæ Parisiensis iudicio, qui iterum & tertio rogatu nostro, magno numero, ad septuaginta vsque super hac re conuenerunt, & rem accuratissimè disceptarunt; securè nos in vtroque agere, & tutò à vestra Beatitudine caput vtriusque postulare ac sperare debere ab ijsdē didicimus: Quinetiam eos ad vestram Beatitudinem suam ea de re sententiam, quibúsque rationum momentis impellantur, scripturos accepimus.

Adhibiti in consiliū Sorbonæ theologi.

Vestræ verò (Pater Beatissime) sapiētiæ erit, si quid fraus, si quid solita, qua dudum affligimur, impostorum ars contrarium ijs Beatit. vestræ obtruserit, huic fidem adhibere nolle: aut si quid (quod plus timemus) nobis consternatis, & vix à tāto dolore animum colligentibus, præoccupando impetrarit, id ne Christianissimo Regno, ne Ecclesiæ noceat prouidere: imò irritum (quod trementes & veniam petentes dicimus) vrgente ac premente negotio statuere: neue committere, vt in tanto Ecclesiæ periculo, in quo bis peccare iam non licet, illusisse se dignitati vestræ, quod non semel factum antea est, versuta nequitia gloriari possit.

Parisiensiū obtestatio.

Tum nos qui loquimur, qui scribimus, quos reliqui Gallię Catholici intuentur omnes, si quid Francorum quondam genus, si quid Guysiorum principum virtus, & fusus toties pro Christi Ecclesia sanguis, si quid Parisiensium ciuium fides de Repub. Christiana, atque adeo Apostolica sede promeruit, si quid nobilissimi Regni pessumdantis, & iam iam hæresi colla subdituri, vniuersámque Ecclesiam eodem motu concussuri causa atque periculum, si quid bonorum omnium, & testamentum Patrum Ze-

lantium fletus mouere eũ debet, qui in apice Eccleſiæ conſtitutus, vt confirmet fratres diuinitus monitus eſt, veſtram (P.B.) paternam prouidentiam per eum qui eſt, qui erat, qui venturus eſt omnipotens obteſtamur, vt in re tanta, tam periculoſa, tanti in reddenda ratione apud ſummum iudicem momenti futura, quam res ipſa neceſſariam eſſe clamat, ſollicitudinem ac curam adhibere, & quæ antea diximus, quæque iterum deuotiſsimè petimus, donare ac tribuere non grauetur. Denique non cõmittat, vt Sixto V. Pontifice fidem in Chriſtianiſsimo Regno periiſſe, aut non ſatis per nos veſtrâmque dignitatem tanto malo prouiſum fuiſſe poſteri dicere iure poſſint. Quod nos impetraturos vt ſperamus, ſicuti ſperare certè debemus, ita poſt ſanctiſsimorum pedum oſcula, Beatitudinem veſtram vti nobis Deus Opt. Max. ſic diu incolumem ſeruet, ſummis precibus ab eo petimus atque obſecramus. Pariſiis, xiiij Ianuarij, 1589.

Beatitudinis veſtræ

Humillimi, deuotiſs. & obſequentiſs. filij Ciues Pariſienſes, pro reliquo Catholicorum & Fidelium in Gallia cœtu.

Sixti V. Summi Pontificis in Henricum tertium censura.

Cap. II.

ATque hæc Gallorum in repudiando Henrico, postulandóque aduersus eum sedis Apostolicæ auxilio consilij ratio fuit. Quod ne frustra fieret, grauissimo Sixti V Pontificis Max. iudicio factum esse, (interim dum reliqua postulata expectamus) idque ad nos, dum ista cuderemus, peruenisse tantò est iucundius, quantò securius nostri homines, quod fecerunt adhuc solo iure freti, facturos etiam hoc audito confidimus. Graue vtique illud, & in quo sicuti in diuinis iudiciis fieri solet, misericordiam simul & iustitiam, qui cœlestis sponsi, *candidi simul & rubicundi* iuncti sunt colores, cum admirabili sapiẽtia liceat intueri. Misericordiæ fuit, quòd in notissimo Ludouici Cardinalis Gvisii necati, ac venerandæ canitiei Caroli Cardinalis Borbonij, & Petri Archiep. Lugdunensis detentionis crimine (interim dum alia silentur, quæ plenius vel deducta vel deducenda in processu differuntur) propter quod

Iudiciũ in Henricum a Sixto V. sapienter factum. Cant. 5.

vel

vel solum anathematis censuras cum suis complicibus iure ipso contraxisse palam est, quintus declaratorij iudicij, si fortè interim resipisceret, aut absolui postularet, expectatus est mẽsis. Amplius etiam istud, quòd tametsi iure ipso iam damnatus esset, vt ad cor rediret toties Pontificis voce ad legatos eius tum ordinarios, tum extraordinarios est inuitatus. Seuerius illud fuit, sed in quo tamen misericordiæ & lenitatis tantum sit, vt nonnullos, re non subducta satis, initio offenderet, quòd frustra toties monitus, & tamdiu expectatus, vrgente Apostolici officij munere, & totius orbis Christiani scandalo, primo, secundo & tertio, vt infra decem dies, ex quo ad eũ mandatum peruenerit, & publicè vulgatum sit, detentos viuos adhuc Cardinalem à Borbonio & Archiepiscopum Lugdunensem, cum omni securitate ac libertate dimittat, monetur, iubetur, & in virtute sanctæ obedientiæ imperatur ac præcipitur, ne ille ignotum sibi Ecclesiæ mandatum, aut ad se non peruenisse causari possit. Sic enim Deus expectare, sic per prophetas admonere delinquentes, nunc leniùs, nunc fortiùs, sic canere non saltaturis, seu Doricum

Ieniùs, seu Phrygium incitatius, & lamentari non plancturis solet, *vt iustificetur sapientia à filiis suis.*

Matth.11.

At plenæ istud iustitiæ fuit, quòd si Pharao cor suum indurarit, si denarium istum dierum numerum contempserit, ipse cum sceleris fautoribus, complicibus, consultoribus, & quomodocũque ministris ac conscíis, cuiuscunque illi status aut conditionis sint, ex tunc anathema incurrisse sic declaratur, vt omnes eius & eorum subditi ab omni fidelitatis iuramento ei vel eis debito, soluti simul declarentur. Et ne quid expostulationi aut dolo loci subsit, intra sexaginta dies ipse HENRICVS vel per se vel per procuratorem, cæteri per se ipsos Romæ comparere iubentur ac citantur, allegaturi quæ velint contra iudiciũ hoc, alioqui si vel non compareant, vel quo se legitimè purgent nihil habeant, & rata sententia habeatur, & amplius contra eos, super deducendis contra eum vel eos criminibus procedatur. Insuper & à tali anathemate absolui à quouis sacerdote præter quàm à Rom. Pontifice, & præter quam in mortis articulo prohibeantur. Quæ omnia vt plenius videantur, Bullæ Pontificię textum hìc ponemus.

BVLLA S. D. N. SIXTI PAPÆ V. CONTRA Henricum III.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Inscrutabilis diuinæ prouidentiæ altitudo, cuius nutu cælestia simul & terrena gubernantur, Apostolorum Principi beato Petro eiúsque successoribus Romanis Pontificibus, claues regni cælorum ac totius Apostolicę tradidit plenitudinem potestatis, simúlque supra soliditatem eius fidei suam sanctam ædificauit Ecclesiam, secundum verax Domini verbum, Ego dico tibi, Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Vnde nos ad sacrosanctam eiusdem beati Petri Cathedram, meritis licet imparibus, diuina disponente clementia vocati, & in throno iustitiæ constituti, & secundum Hieremiæ propheticam vocem, Ecce constitui te su-

per gentes & super regna, vt euellas & destruas, disperdas & dissipes, ædifices & plantes, supremam in omnes Reges & Principes vniuersæ terræ, cunctósque populos, gentes, & nationes non humana, sed diuina institutione nobis traditam potestatem obtinentes, ipsum Dominum imitari debemus, qui pius & misericors vltionem ei, qui illam præuenit, paratam temperat, & quos impœnitentes videt non prius seuera vindicta coërcet, quàm antea comminetur: In assiduè autem peccãtes & in peccatis perseuerantes, cum excessuum grauitas misericordiæ fines transierit, vt saltem timore pœnæ ad pœnitentiã redeant, cœlestia iustitiæ arma exercet: Ita & nos quoque pro commisso nobis à Deo vniuersalis Ecclesiæ regimine, salubriter cogimur prouidere, ne per insidias humani generis hostis, eorum salus, qui curæ nostræ crediti sunt, in exitium ruat, aut in discrimen adducatur, sed peccatores paterna nostra monitione & redargutione, aut corrigantur ab erroribus & ad pœnitentiam reuertantur, aut si charitatis zelus per exhortationis & monitionis remedia nihil proficiat, ipsique incorrigibiles apparue-

Iustitiam misericordia Pontifex vt temperarit.

rint, tãdem ſpiritualis gladij mucrone non ad perniciem, ſed ad ſalutem vibrato, veluti putrida membra à ſincero Eccleſiæ corpore, quod ab omni macula purum cuſtodire debemus, abſcindantur & ſeparentur.

Sanè cùm ſuperioribus menſibus ad aures noſtras, non ſine ingenti animi noſtri perturbatione & horrore, fama publica ita referente & increbreſcente peruenisſet, & deinde per literas dilecti filij noſtri Ioannis Franciſci tituli Sanctorum Nerei & Archilei presbyteri Cardinalis Mauroceni nuncupati, noſtri & ſedis Apoſtolicæ in regno Franciæ de latere Legati, certiores facti fuiſſemus, quemadmodum etiam notorium vniuerſis exiſtit; Quòd HENRICVS tertius Francorum Rex, LVDOVICVM bonæ memoriæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyterum Cardinalem GVISIVM, Metropolitanæ Eccleſiæ Rhemenſis Archiepiſcopum ſeu perpetuum adminiſtratorem, ac noſtrum & ſedis Apoſtolicæ legatum natum, capi & in carcerem coniici, ac die ſequenti in vigilia Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti necari: necnon dilectum filium noſtrum Carolum tituli ſancti Chry-

logoni eiusdem sanctæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem Borbonium, Auenionensis ciuitatis & comitatus Venaissini, nostrum etiam & sedis Apostolicæ de latere legatum: ac venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Lugdunensem, pro quo nos eodem tempore idem HENRICVS Rex, vt illum in sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem assumeremus instanter rogabat, similiter capi, ac etiam in carcerem detrudi & in eo custodiri mandauerit, prout etiam capti & carcerati impræsentiarum existunt, detinentur & custodiũtur, in Excommunicationis sententias, & alias censuras Ecclesiasticas, & pœnas in sacris canonibus ac diuersis constitutionibus tam generalibus quàm particularibus sanctorum generalium Conciliorum & summorum Romanorum Pontificum, prædecessorum nostrorum, ac in literis nostris die cœnæ Domini legi consuetis, contentas & promulgatas vnà cum consciis, complicibus, fautoribus, defensoribus, & receptatoribus, ac iis, qui cõsilium, auxiliũ, opem, operam, custodiam & ministerium prębuerunt, tulerunt & præstiterunt incurrendo: Nos qui dictum HENRICVM Regem pater-

na charitate & præcipuo amore semper complexi & prosecuti fuimus, non potuimus ob huiusmodi delictorum & sacrilegiorum atrocitatem non maximo affici dolore & mœrore, prout aliàs in consistorio nostro secreto coram venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus retulimus, ac dolentes conquesti fuimus : Dúmque expectabamus quòd idem HENRICVS Rex facti pœnitens & culpam suam agnoscens ad cor rediret, & dictos Carolum Cardinalem ac Petrum Archiepiscopum carceratos relaxaret & liberos dimitteret, & absolutionem à præmissis humiliter postularet, prout sæpè sæpius Ioanni de Viuonne Marchioni de Pisanni ordinario, & Hieronymo Gondio extraordinario suis apud nos Oratoribus, & deinde etiam venerabili fratri Claudio Episcopo Cenomanensi, ab eo ad nos specialiter destinato, paterno affectu significauimus & vehementer hortati sumus, ipse HENRICVS Rex, non vt verè pœnitens nec peccatum sincerè cõfitens, nec ea cordis humilitate, qua debebat, & quemadmodum fideles & pœnitentes Reges & Principes hactenus fecerunt, absoIi iiij

lutionem huiusmodi à nobis postulare curauit, verùm salutaria ac paterna nostra consilia non amplectens, vsque in hodiernum diem eosdem Carolum Cardinalem & Petrum Archiepiscopum distulit dimittere & liberare.

Nos igitur, qui licet ad declarationem contra eundem HENRICVM Regem super prædictis antea procedere potuissemus, nihilominus pro paterna ac singulari nostra erga eum pietate, & pro Regij honoris dignitate benignè cum eo agendo, ipsum plusquam par erat (iam enim quintus agitur Mensis) vt resipisceret expectauimus, non possumus nec debemus amplius differre, quin his malis pro eiusdem HENRICI Regis animæ salute & conseruatione, quæ nobis præ rebus omnibus charior & antiquior semper fuit, canonica & opportuna remedia adhibeamus. Sed cum ex debito Pastoralis officij cunctorum Christi fidelium, præsertim verò sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium etiam Prælatorum securitati consulere & prouidere teneamur, ne cum tanto Regni Franciæ & totius Christiani orbis scãdalo, & nostræ & sedis Apostolicæ di-

gnitatis discrimine, dicti Carolus Cardinalis Borbonius & Petrus Archiepiscopus Lugdunensis diutius in carceribus detineantur, néve à nobis de huiusmodi neglecta cura ac muneris nostri administratione in districto Dei iudicio rationē reddere cogamur, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, ac matura deliberatione præhabita, prædictū Henricum Regem per viscera misericordiæ, & aspersionem sanguinis Dei & Domini nostri Iesu Christi, quo & per quem humani generis redemptio facta est, ex toto corde hortamur, atque authoritate apostolica tenore præsentium primò, secundò & tertiò monemus, requirimus ac eidem in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mādamus, quatenus ab huiusmodi carceratione & detentione dictorū Caroli Cardinalis & Petri Archiepiscopi carceratorum, siue sub custodia, aut alias quomodolibet detentorum, desistendo, illos per se vel alium seu alios intra terminum decem dierum immediatè sequentium à die publicationis præsentium, modo & forma infra scriptis faciendæ, omni post

posita mora, exceptione vel excusatione aut prætextu, liberè dimittere & liberare, ac in pristinam & plenam libertatem cum omni securitate, tuto commeatu ac recessu, realiter & cum effectu restituere & reponere teneatur & debeat, seu liberè dimittat, liberet atque in pristinam & plenã libertatem cum omni securitate, tuto cõmeatu ac recessu restituat & reponat, seu dimitti, liberari, restitui & reponi, vt præmittitur, faciat & mandet, ac de eorumdẽ Caroli Cardinalis & Petri Archiepiscopi libera dimissione & liberatione, & in pristinam & plenã libertatem cũ omni securitate, tuto commeatu atque recessu, restitutione & repositione, per suas literas regia manu & sigillo subsignatas, seu per publicum & authẽticum instrumentum, ad nos & sedem apostolicam transmittẽdas, intra triginta dies à die dictæ dimissionis & liberationis intra ipsos decem dies faciendę numerandos, doceat & certiores reddat. Quòd si prædictus Henricus Rex paternis his nostris exhortationibus, monitionibus & requisitionibus ac mandato non paruerit, & intra prædictos decem dies eosdem Carolum Cardinalem & Petrum Archi-

episcopum non liberè dimiserit aut liberauerit, & in pristinam plenam libertatem cum omni securitate, tuto commeatu, & recessu non restituerit vel reposuerit, seu liberè dimitti, liberari restitui & reponi nō fecerit, vt prę fertur, & de libera dimissione, liberatione, restitutione & repositione prędictis nos, vt suprà, intra dictos triginta dies non docuerit aut certiores non reddiderit, Ipsū quidem Henricū Regē, ac omnes & quoscunque, qui in notoria violēta manuū iniectione, captura, carceratione, detentione, & nece prædictis conscij, cōplices & fautores fuerunt, quíve consiliū, auxilium & opem, operam, custodiam, & ministerium præbuerunt, tulerunt & præstiterunt, cuiuscumque conditionis, status, gradus, ordinis & dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm mundanæ existant in Excommunicationis maioris sententiam, & anathematis vinculum & alias censuras Ecclesiasticas, in prædictis sacris canonibus & constitutionibus generalibus & particularibus, atque in literis die cœnæ Domini legi consuetis, contentas & promulgatas, dānabiliter incurrisse & incidisse, ex parte omnipotentis Dei & beatorum Petri &

Pauli Apostolorum eius authoritate ac nostra, ex nunc prout ex tunc, dicimus, pronũciamus & declaramus, illúmque & illos vniuersis Christi fidelibus excommunicatos, & ab vnitate corporis Christi seperatos, & vt tales ab ipsis omnimodo vitandos palam & publicè denunciamus. Et nihilominus eundem Henricum Regem ac vniuersos & singulos prædictos conscios, complices, fautores, defensores & receptatores, quíve consilium, auxilium, fauorem, opem, operam, custodiam & ministerium in præmissis præbuerunt, tulerunt & præstiterunt, tam super dictis publica & notoria violẽta manuũ iniectione in præfatos Ludouicum Cardinalem Guisium, Carolũ Cardinalem Borboniũ & Petrum Archiepiscopum Lugdunensem, & illorũ captura & detentione, quàm nece eiusdẽ Ludouici Cardinalis & aliis criminibus & excessibus desuper admissis, ac latius deductis & deducendis & exprimendis, eadẽ Apostolica authoritate primò, secũdò & tertiò monemus, requirimus & citamus, quatenus ipse Rex per se, vel alium seu alios, suũ vel suos procuratorẽ seu procuratores, legitimũ seu legitimos sufficiẽti ad id mandato instructũ

seu instructos, reliqui verò personaliter per se ipsos, intra terminum sexaginta dierũ à die executionis & publicationis præsentiũ computandorum (quorum sexaginta dierum viginti pro prima, alios verò viginti pro secunda, reliquos autem viginti pro tertia & vltima canonica monitione, ac vltimo & peremptorio termino eisdem præfigimus & assignamus) coram nobis comparere teneantur & debeant, ad dicendum, opponendum & allegandum, quare non debeant declarari & denunciari propter huiusmodi violentam manuum iniectionem, comprehensionem, necem & detentionem personarum Cardinalium & Archiepiscopi respectiuè & alia præmissa, in alias sententias & pœnas spirituales & temporales in prædictis sacris Canonibus & Constitutionibus contentas & inflictas incurrisse & incidisse, & quare tam eiusdem Henrici Regis, quàm aliorum supradictorum feudatarij, subditi & vassalli propterea à iuramento fidelitatis, quo ei vel eis quomodolibet astringuntur, absolui vel illi iam absoluti declarari non debeant, & alias super præmissis ad se legitimè excusandos & defendendos. Alioqui etiam ip-

so HENRICO Rege vel suo legitimo procuratore seu legitimis procuratoribus non comparentibus, aut consciis, complicibus, fautoribus & aliis prædictis, etiam in executione præsentium, si videbitur, nominandis personaliter non comparentibus, aut etiam comparentibus, & nihil, quod ipsos legitimè excusare vel defendere valeat, aut releuare possit adducentibus, nos nihilominus etiam nulla alia monitione vel citatione præcedente, nisi forsan per officium audientiæ contradictarum, si nobis visum fuerit, procedemus, iustitia mediante ad omnes & singulos actus in præmissis quomodolibet necessarios & opportunos, etiam vsque ad prędictarum sententiarum & pœnarum in eisdem factis canonibus & constitutionibus contentarum & inflictarum, seu illarum incursus declarationem & denunciationem, necnon ad absolutionem seu absolutionis declarationem feudatariorum subditorum & vassallorum à iuramento fidelitatis, quo tam eidem HENRICO Regi, quàm aliis supradictis quomodolibet tenentur vel astringuntur, prout iuris fuerit & ordo dictauerit rationis. Cæterum ab Excommunicationis ma-

ioris, Anathematis vinculo & aliis censuris prædictis, nec ipse HENRICVS Rex nec vllus alius prædictorum, neque etiam in foro conscientiæ à quocumque seculari, vel cuiusuis ordinis regulari presbyteris, vel Prælato quauis dignitate & authoritate fungente, nisi à nobis vel Romano Pontifice pro tempore existente, & præterquam in mortis articulo, nec tunc nisi de stãdo Ecclesiæ mandatis & satisfaciendo præstita cautione absolui possint, etiam prætextu quarumuis facultatum & indultorũ, etiam occasione Iubilei plenarij, vel Cruciatæ sanctæ, seu confessionalium, quibuscunque personis Ecclesiasticis secularibus & quorumuis ordinum, etiam Mendicantiũ & Militiarum, regularibus, etiam Episcopali vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus ac eorum monasteriis, conuentibus & domibus, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus & locis piis, necnon laicis, etiam eidem HENRICO Regi & forsan aliis Franciæ Regibus ac cæteris personis supradictis, per nos ac dictam sedem & cuiusuis Concilij decreta verbo, literis, aut quacumque scriptura in genere vel in spe

cie conceſſorum, innouatorum, etiam ſi in eis caſus in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis expreſsi comprehendantur, niſi de præſentibus noſtris literis ſpecifica & expreſſa, non autem per clauſulam, Quorum tenores aut alias quaſcumque clauſulas generales idem importantes, mentio fiat. Nonobſtantibus priuilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, etiam ipſi HENRICO Regi ac eius prædeceſſoribus ſeu aliis ſupradictis, vel eorum alicui ſeu aliquibus aliis, cuiuſcumque ordinis, ſtatus vel conditionis, dignitatis & præeminētiæ fuerint, etiam ſi Pontificali, regali ſeu quauis Eccleſiaſtica & mundana prę fulgeāt dignitate, vel eorum Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus ſeu locis à prędicta ſede ex quauis cauſa etiam per viam conſtitutionis perpetuæ, contractus aut remunerationis, & ſub quauis alia forma & tenore, ac cum quibuſuis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, conceſsis & ſæpius approbatis & innouatis, etiam continentibus quòd excommunicari, anathematizari vel interdici non poſſint per literas apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbū

de Indulto

de Indulto huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus & dignitatibus eorum mentionem, nec non consuetudinibus & aliis quibuslibet obseruantiis scriptis vel non scriptis, per quæ contra has nostras literas, sententias & censuras, quominus eis ligentur & afficiantur, se iuuare valeant vel tueri. Quibus omnibus eorum omnium tenores, ac si ad verbum nihil penitus omisso insererentur præsentibus, pro expressis habentes, ad effectum præsentium duntaxat specialiter & expressè derogamus, cęterisque contrariis quibuscunque. Vt autem pręsentes nostræ literę ad ipsius HENRICI Regis & aliorum supradictorum notitiam facilius perueniant, seu peruenire possint, ad quos personaliter monendos & citandos tutus his turbulentis temporibus non patet accessus, prout nobis notoriè constat, & pręsentium tenore declaramus, easdem nostras literas, tam in alma vrbe nostra, & in Basilicę Principis Apostolorum & Cancellarię Apostolicę valuis, ac in acie campi Florę per aliquem ex Cursoribus nostris, quam etiam in partibus regni Francię, in valuis duarum vel trium ex infrascriptis sex Ca-

Pontificis prudēs cautio quō ad Henrici notitiam cēsura perueniret.

thedralibus Ecclesiis, videlicet *Pictauensi*, Aurelianensi, Carnotensi, Meldensis, Agennensi, & Cenomanensi, more solito legi & publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium affixas dimitti, eisque postmodum inde detractis, earum exempla in eisdem locis pariter affixa relinqui mandamus. Decernentes vt earundem literarum publicatio sit facta, tam cõtra eundem HENRICVM Regem, quàm alios in præmissis conscios, complices, fautores, defensores & receptatores, ad eos qui consilium, auxilium, opem, operam, custodiam & ministerium præbuerunt, tulerunt, & præstiterunt, supradictos & eorum quemlibet perinde arctet & afficiat, ac si literæ ipsæ eis vel eorum singulis personaliter lectæ & intimatæ & insinuatæ fuissent: cum non sit verisimile ea, quæ tam patenter & publicè facta fuerint, ipsos posse quomodolibet ignorare. Quia verò difficilè foret præsentes literas ad singula loca deferri ad quæ oporteret, volumus, vt earum transumptis, etiam impressis, manu publici Notarij subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides vbique

gentium & locorum in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ eisdem originalibus adhiberetur, si essent exhibita vel ostensa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę hortationis, monitionum, requisitionum, præcepti, mandatorum, pronunciationis, declarationum, denunciationis, citationis, præfixionis, assignationis, decretorum, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicę, millesimo quingentesimo octuagesimo nono, Tertio Nonas Maij, Pontificatus nostri anno quinto.

Sic signatum, M. Vestrius Barbianus, *& supra plicam* A. de Alexiis.

Et à tergo, Registrata apud Marcellum Secretarium, *firmata Bulla plumbea sub cordula canapis.*

Ad S.D.N. Sixtum Papam V. gratulatio. Cap. 12.

HÆc iudicij Ecclesiæ forma, hoc sedis Pontificiæ fulmen fuit. Quod canonicè ex condicto promulgatum in Gallia (id autem Meldis primùm, deinde Carnuti fuit) terrere hominem debuerat, si quid in eo Catholici, aut etiam Christiani, vel omnino Dei esset. Quod cum ipse neglexerit, cum vinctos tenere, quos adhuc tenet, iampridem exacto illo dierum denario non desierit, imò ad immensa sua scelera, ad nouas monialium impio exercitui prostitutarum Pisciaci iniurias, ad conculcatum denuo Christi corpus, ad blasphemias Pontisaræ ad sacram virginem, dum eius ædem frustra oppugnans, magna cum suorum strage pelleretur, hoc etiam adiunxerit, vt antibullam superiori contrariam per emissarios suos compingeret, qua sibi fauētem Pontificem, & in catholicos fulminantem venditare, ac disseminare non est veritus, dubitamus adhuc Galli ab impio rege discedere, & deuotum tot diris caput execrari?

Antibulla Henricianorum.

In quo vt est quòd beatissimo Patri iure gratulemur, quod Gallorum cantu excitatum Petrum, dignum sede, dignum ministerio atque apostolatu beneficium, cum

genti noſtrę, tum vniuerſæ Eccleſiæ dediſſe gloriemur, ita abunde eſt, quòd contra impoſtorum vanitatem tam pium, tam ſanctum ac iuſtum decretum, & quod futurũ ſperamus Eccleſiæ Palladium, deffendamus.

Hæc ſcilicet fuerat grauis illa tua, Beatiſſ. pater, & Spiritu ſancto plena vox, cum nec dum auditis gentis noſtræ querimonijs, ſola criminis atrocitate vndecunque audita motus, *Iuſtitiam te facturum* in ſacro illo conſeſſu pronuntiaſti. Vnóque tẽpore cùm omnes toto orbe Chriſtianos, tum præcipue mœrentes Gallorum animos recreaſti. Nunc verò opere id perfectum eſſe tanto dulcius eſt, quanto iucundius impletum in eo Chriſti Domini verbum intueri, ne aduerſus *Petram Eccleſiæ portæ inferi quicquam præualerent*. Non enim ignoramus quid voces Tartareę, quid Draconis ſibilus per emiſſarios egerit, vt Apoſtolicæ ſedi (quod alias ſe in deuorandis Eccleſiæ bonis feciſſe vẽditabat) in poſtremo iſto actu, ſi fieri poſſet, illuderet. Non ignotæ artes, impoſturæ, mendacia ac fraudes extiterũt. Et hęc inimicorum Dei atque Chriſti eius ſtudia, hæ voces ſparſæ erant, vt artibus

ſuis occupatam ſtare à partibus HENRICI Pontificē prædicarent, vſque eo impudentes, vt mendacium illud inſulſum antibullæ obtruderent. Sed *fruſtra rete iactum eſt ante oculos pennatorum*, nec permiſit vigilans illa *virga*, & qui nec dormit nec dormitat cuſtos Iſraël, deeſſe in eo vicarium ſuum, quod alterum Eccleſiæ fundamentum (ſeruatam dico Galliam) ac futura baſis erat. Imo nec ſine miraculo eſſe voluit, cum Venetiis facto in publico concilio ſermone, de ferendis HENRICO ſuppetiis, id mirabiliter, nec ſine vindice Deo accidiſſe multi obſeruarint, vt qui pro HENRICO peroraſſet, protinus eodem quo dixerat loco, in terram decideret, elatúſque domum ſpiritū exhalaret. Certè vt quas immortali Deo primùm, ac ſummo eius vicario referri in maximo beneficio gratias neceſſe eſt, eas in iſto negotio referre, ſicut facimus etiam debeamus. Macte igitur iſta tua virtute P. B. factúmq; id præclariſſimū ad tuas illus immortales laudes acceſſiſſe gratulare. Sicque habe, eſſe quòd B. tuę, quòd Gallis cōmuniter lætādū ſit, illi quòd non defuturi ſint de veteri illa ſtirpe Franci, quos non minæ, non gladij, non mille

Prou 1. Hier. 1. Pſal. 120.

Mortuus repente Venetiis, qui pro Henrico peroranuerat.

pericula percellere valeant. qui auitæ illius suæ in Apostolica sede vindicanda virtutis ac pietatis memores, id operā daturi sint, vt reliquias colligere, vt animos accendere, vt pulchro illo ac vernanti GVISIORVM martyrum sanguiné, veluti Elephātes incitati, quantumnis instructas Christi atque Ecclesiæ hostium phalāges perrumpere, disipare, cōterere, vno nomine Galliam Sathanæ faucibus, communibus tecum studijs eripere possint. His verò, quòd decreto isto tuo, vt clypeo tutissimo muniti, quod Dei quod Ecclesiæ negotium est, multo fidentius atque securius sint perfecturi. Quod cùm futurū speramus, tum vt quo pede Galliæ afflictæ succurrere sanctitas tua cœpit, eodem ad omnipotentis Dei gloriam pergas, vt auxilium fidelissimo populo contra furiosissimos lupos deferas, obsequentissimi filij benignum Patrem etiam atque etiam obsecramus.

Ad Henricum excommunicatum, anathematis contemptorem Apostrophe. CAP. 2.

AT tu prophane, qui peior Cyclopibus, non aëreum hoc & nymbosum, quod

tyranni solum, vt Caligula, timent, sed cæleste & æternũ fulmẽ Dei temnis, & (quod mirum magis) quod facis nihili, nec ab eo mentiendo abstinere vales, peior illo Salmoneo, qui

Æneid. 6. *Dum flammas Iouis & sonitus imitatur Olympi,*
Quattuor hic inuectus equis, & lampada quassas,
Per Graiûm populos, mediæque per Elidis vrbem
Ibat ouans, Diuúmque sibi poscebat honorem,

scilicet qui religionem adhuc aliud nihil, quàm phantasma ad eludendos aterrendos opinione numinis homines commentum esse putas, ex eius videlicet athei schola, qui ait,

Petron. Arbiter. *Primus in orbe Deos fecit timor*

his vocibus nõ falsi sed veri, nõ cuiusuis, sed omnipotẽtis Dei, quę fulmẽ illud certissimè consequentur, vel mouere si sapis, vel resiste si potes. *Hæc dicit Dominus*, ne

Ezech 29. hominis tantum fulmen esse putes, *Ecce ego ad te*, vindex scilicet, & Petri vocem firmãs, *Pharao Rex Ægypti*, cui obduratum cor, sicut olim Pharaoni, cuique solis tenebris (nã Ægyptus tenebræ sunt) id est hæreticis, atheis, latronibus, impuris, vno nomine sceleratis in Gallia omnibus datum est imperare. Iuxta quẽ etiam illi mures sunt,

id est populi corrasores, quos stulti de Ægypto homines vt numina quædam nuper adorabant. *Draco magne*, cui scilicet veneno plenum pectus, peruigil ad nocendum ac furiosus oculus est. Qui serpens prius, vt in Apocalypsi Diabolus, veneno & occultis insidijs, nunc crudelis Draco aperta vi & dentibus noces. Magne vtique, quantus in Gallia, sed nimium eheu! magnus improborum, periurorum, perfidorum numerus est. *Qui cubas in medio fluminum tuorum*, deliciarum scilicet atque voluptatum, quæ tibi vna quies. *Et dixisti, Meus est fluuius*, rapinarum videlicet ac libidinum vbiquè vsurpans libertatem, tua omnia esse dicens, nec reprehensorem vlla in re ferens. *Ego feci memetipsum*, in eo videlicet glorians, quòd iniustum dominatum inuasisti, quòd tyrannum te faciens, omnem Dei metum decutiens, imo supra id quod Deus est te eleuans, nouam & antea inauditam potẽtiam vsurpasti. Quid verò vindex ille, & gloriæ suæ zelator Deus? *Et ponam frænum in maxillis tuis*, tyrannidem videlicet calamitate constringens, ne tam latè mordeas, & vt te nec hominẽ quidem, nedũ Deum, sed velut equum & mulum, quibus non est

Apoc. 12.

intellectus, esse agnoscas. *Et conglutinaba pisces fluminum tuorum*, sequaces vtique ac ministros libidinum tuarum, Nauarrum coanathema tuum, ac hæreticorum pro te militantem turbam, *squamis tuis*, vt iisdem ac tu vitiis perfidia, periurio ac turpitudine diffamati, tecum in armis stantes, eodem tecum interitu ruant. *Quippe extraham te de medio fluminum tuorum*, ne amplius ad libitum vbique luxurieris. *Et vniuersi pisces tui squamuis tuis adhærebunt.* Non erit ne vnus quidem particeps furtorum ac libidinum tuarum, qui tibi non faueat, ac pro te non loquatur. *Et proïciam te in desertum*, in infernum scilicet, locum horroris & vastæ solitudinis, vbi non est inuenire cibum: neque te solum, sed *& omnes pisces fluminis tui*, vt qui rapinarum & libidinum socij fuerunt, sint quoque & pœnarum. *Non colligeris neque congregaberis*, quia qui sepeliat, non erit: sicuti qui a te occisos principes optimos sepeliret, ne esse quidē voluisti. Obidq; *bestiis terræ & volatilibus cœli dedi te ad deuorandum*, sicuti viros te meliores escas volatilibus cœli posuisti. *Et scient omnes habitatores Ægypti*, improbi è tuo illo seruitio omnes, *quia ego Dominus*, solus videlicet dominationem

Deut. 32. Eccl. 14.

habēs in cœlo & in terra, quique per Pontificem loquor. Quamobrem omnia hæc tam dura iuste Deus? *Pro eo quòd fuisti baculus arundineus domui Israël.* Quia qui tibi fidem Blæsis habuerunt, qui iuranti ac mutatum animum mentienti crediderunt, qui lacrymis tuis decipi se passi sunt, & te virū bonum esse arbitrati sunt Catholici, baculum te arundineum experti sunt, *cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam.* Nempe *quando apprehenderunt te manu,* sperantes in te, & *viuat Rex,* inclamātes: *& confractus es,* periurus, homicida, fidei publicæ violator, *& laceraſti omnem humerum eorum,* GVISIVM vttrumque, Cardinalem & Ducem occidens, quibus vt humeris Frācia nitebatur: sed & comitia dispergens, quæ fortitudo Reipub. esse solet. *Et innitentibus super te comminutus es,* famæ, dignitatis, honoris omnis minutionem tuo scelere patiens, vilisque omnibus, vel Nauarro, qui te in rebus suis agendis vt larua vtitur, teque vt mācipium abiiciet, perfidia factus. *& dissoluisti omnes renes eorū,* trepidatione simul & indignatione Galliam complēs. *Propter hæc, dicit Dominus, Ecce ego adducā super te gladium meū,* anathematis primùm

Esa. 36.

postea etiam & belli, *& interficiam* vtraque morte, *de te*, ac tibi fauentibus, *hominem & iumentum*, magnates & plebeios, omnísque generis politicos, siue omnino Hēricianos, *& erit terra Ægypti in desertum & solitudinē*, donec restitutis omnibus, noui incolæ meliores prioribus, desertis possessionibus, dignitatibus atque honoribus succedant. *Et scient, quia ego Dominus*, sicuti scilicet peccatores solent, quibus non aliter *cognoscitur Deus*, quàm *iudicia faciens*. Idque eueniet *pro eo quòd dixeris, meus fluuius est, ego feci eum*, & præclaris tuis tyrannidis, libidinum, rapinarum, contemptus Dei inuentis gloriatus sis, id etiam in animo habens, vt Turcicum imperium imiteris. *Idcirco ecce ego ad te, & ad flumina tua*, vindex scelerum, dissipator libidinum, vt vniuersa hæc in te maledicta compleantur.

Psal. 9.

Quale fulmen istud miser, & quàm horrendum esse putas? Sed si id non est satis, audi & alterum illud, quod non minus in te desæuiat. *Ecce ego ad te mōs pestifer* (ait Dominus) *qui corrūpis vniuersam terram*. Rex impie videlicet, qui quàm throno eleuatus es, tam vitio montis instar omnes superasti, Imo & aulicos omnis generis, Ecclesia-

Hier. 51.

sticos, nobiles, Senatores ac iudices, cuiusuis conditionis homines, turpissimæ vitæ tuæ exemplo, ac pestilenti tibi placendi desiderio corrupisti: & spiritu oris tui, qui antea boni erant, infatuasti. Et *extendam manum meam super te, & euoluam te de petris*, de propugnaculis vrbium, & de præsidio armatorum tuorum disturbans. Et *dabo te in montem combustionis*, vt æterno igne, regis nomine a dęmonibus ludificatus, & cęteros montis instar poenarum acerbitate superans, incendaris.

Ad Henricianos, seu Henrici in genere fautores, vt excommunicationem horreant. CAP. 13.

AT vos, ô miseri, qui tam tetræ beluæ adhuc adhæretis, qui Draconis pisces, qui montis pestiferi petræ, duri & tardi corde, vt sceleris, sic anathematis consortes estis, redite ad cor tandem, & quid sit flammeo Cherubini gladio de paradyso deiici, quid extra castra mitti, quid profugum vagari cum Cain, quid extra synagogam fieri, quid vinctum debitorem manibus tortorum tradi, & in tenebras exteriores proiici, quid palmitem à vite abscindi, Genes. 3. Numer. 5. Genes. 4. Ioh. 9. Matt. 13. Ioh. 13.

Ioh.13. Mat.21. Ioh.18. 1.Cor.4. 1.Timot.1. Matt.18.

quid maledicta ficus, quid traditi Diabolo Iudas, incestus Corinthius, & desertores illi Alexander & Hymenæus sint, quid denique verba illa sibi velint, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus* (hæc enim anathematis figuræ, typi ac mãdata extiterunt) aliquando cognoscite. Et si aliqua mens adhuc, si pietas, si mica, si scintilla fidei reliqua est, ab istis leprosis, execratis, maledictis ac sacris capitibus (HENRICOS illos dico) ne peccatis eorum inuolutos terribilis ira Dei in æternũ perdat & absumat, ocyus recedite. Quid enim tergiuersamini, aut restitantes dubitatis?

Terribilia excommunicationis effecta. Num.16. Act.5.

Nam si ista parũ erunt, terreat vos horrẽdum Core Dathan & Abyron supplicium, quos dehiscens terra viuos cum tabernaculis & omni substantia absorbuit: terreant Petri Ananiam & Saphyram spiritu oris sui occidentis verba: terreant veteres illę excommunicatorum à Dæmone mille modis cruciatorum pœnæ, qualis ille Corinthius fuit, quem sibi traditum Sathanas mire affligebat, qualis & ille Stiliconis amanuẽsis, qui Paulino teste ab Ambrosio excõmunicatus, fœdè à Dæmone est laceratus: terreant stupenda illa in principes ac re-

Excommunicati à Dæmonibus vexati. 1.Cor.4.

ges anathemate ictos iudicia, quale Anastasii imperatoris fuit, qui ab Anastasio pontifice excõmunicatus, fulmine extinctus est: Heriberti Parisiorum regis, qui eiectus à sancto Germano, quòd repudiata vxore duas sorores duxisset, miserando fato consumptus est: Nantini Engolismorum comitis, qui ob vsurpata Ecclesiæ bona anathemate ab Heraclio Episc. confixus, eo defuncto ardẽti febre vexatus, & se ab Heraclio exuri vociferans, cute vndique ater factus miserum spiritum exhalauit: Othonis è Teutonicorũ rege Cæsaris facti, qui ab Almifico filio Mogũtino Episcopo excommunicatus, quòd Adalahidem Italiæ reginam, quæ sibi commater extiterat, duxisset, & ante tribunal Dei ad Pentecostes diem citatus, die dicta in templo inter medios Pontificum choros procerum vallatus agminibus, repente mortuus est. Terreant & mira illa, quæ vi anathematis sæpius in aliis contingerunt, qualis illa sacerdotalis in chorizantes in dioceſi Magdeburgensi maledictio, quæ eos annum integrum saltare, sine cibo & somno coegit, nõ prius cessaturos, quàm ab Hereberto Colonienſi Episcopo absoluti partim mortui

Diuina in excomunicatos principes iudicia.

Rhegine in Iustinian. Iun. Greg. Turen. lib. 5. hist. cap. 36.

Mira quæ per excomunicationem acciderunt. Naucler. generat. 34

sunt, partim pœnam membrorum tremore prodiderunt: qualis clerici S. Eleutherij exitus fiat, qui frustra à Gennadio patriarcha verbis ac censuris monitus, ad hanc eius ad S. Eleutherium precem, *Aut emendà clericum tuum, aut abscinde*, protinus expirauit: qualis ille Antonij Florentini panis fuit, quem vt quid anathema efficiat, docere ret, excommunicans ex albo atrum fecit, ac rursum vinculo soluens, ex atro proprio colori reddidit: Quale & Othoni Brandemburgẽsi principi accidit, qui à Ludolpho Episc. excõmunicatus, cũ nihili censurã faceret, à canibus vel post tridui inediã panem ab eo sumere recusantibus, quid anathema valeat edoctus, in gratiam cum Episcopo rediit.

Pratũ Spir. c. 145.

In vita.

Cronic. Magdebur.

Quod si ad id monitis erit opus, audiatur quod Clemens ait, *Continuo vt aliquis ex Ecclesia eiectus est, accedere ad eum truculentos lupos, illius interitũ quæstui habentes, quia pater eorũ diabolus homicida sit.* Et quod Tertullianus, Summum futuri iudicij præiudicium esse, si quis ita deliquerit, vt communicatione orationis & conuentus & omnis sancti cõmercij selegetur. Et quod Augustinus, *nihil sic debere formidare Christianũ, quàm sepa-*

Patrum de excommunicatione sententiæ. lib. 2. cõst. cap. 21.

Tract. 17. in Ioh.

separari à corpore Christi, quia tum membrum nõ sit, nec vegetetur spiritu eius. Et quod alibi. *Ecce* (inquit) *alligatur homo amarius & infœlicius Ecclesiæ claubus, quàm quibuslibet grauissimis & durissimis ferreis & adamantinis nexibus.* Et illud Gregorij, *Episcopi sententiam time vel iniuste latam.* Cont. aduer. leg. & proph. cap. 17. Lib. 19. mor. cap. 18.

Hæc sunt nimirum, quæ mouere vos, si quid in vobis luminis, si quid etiã hominis est, si non perditi omnino, atque etiam deplorati estis. Quid enim hîc proferetis? ficta hæc omnia aut etiã vana esse? At ô vos miseros si dicitis, miseriores si sentitis, miserrimos si in hoc sensu obdurati estis, vt tot seculorum memoriam, tot sanctorum ora, tot experimenta, verba, oracula exempla nihili faciatis. An vero adhuc bullam fictam esse confingetis? At ô ineptos, si tam rancidum & puerile cõmentum proferre adhuc sustinetis. Sin vero id probabilius, quod & conuenientius vestro furori est, & factum esse à vobis rumor est, vt ad concilium futurum prouocetis, nos quale id sit, quidque de eo sentire oporteat, paucis explicemus.

De iusta Henrici iii. Fruſtra ab Henricianis ad Concilium futurum prouocari.

CAP. 14.

HIc ſcilicet nouæ ineptiæ, nouæ inſani animi furiæ ſunt, vt in re tam aperta tã clara, in ſceleribus tam tetris atque horrendis, quæ vetera dudum, quæ recentia concilia damnauerũt, atque ita, vt nec nouo iudicio opus eſſet, concilíorum ſcilicet ſubſidium expectetur. Quo enim laruaiſta? An vt expectatione iudicij omnes eludatis? an vt præſidium reipſa aliquod inde ſentiatis? Nam ſi prius vobis hæret, fallimini, ô prudentes, ſi quas technas nectere & dolos verſare vobis in vſu eſt, vt iudicia differatis, vt miſerum litigatorem expectatione ſententiæ enecetis, & cedere iure ſuo moræ impatientia adigatis, talem fore Eccleſiam aut Rempub. creditis, vt iſtis ſe nęniis eludi patiatur. Sin verò poſterius, cogitate id rurſum, & cordatorum hominum ſenſum vel ad pũctum temporis ſuſcipite. Quod enim concilium iſtud? An Oecumenicum, ex omnibus ſcilicet gentibus, quę HENRICVM, quæ eius acta, perfidiam, homicidia tyrannidem execrãtur? Aut quod

cõcilium esse potest, quod ea damnet, quæ preteritis retro seculis concilia definierũt? Quod enim de Assassinis Lugdunẽse, quod de hereticorum fautoribus Lateranense, quod de cleri percussoribus tam multæ pontificum sententiæ damnauerunt, concilium scilicet quod excuset, quod rectè factum pronuntiet vllum erit?

Adde temeritatem hominum, Catholicorum se albo videlicet cõnumerantium, qui perinde ac si acephala Ecclesia esset, ac nihil solus extra concilium Petrus posset, cui dictũ soli à Domino est, *Pasce oues meas, pasce agnos meos*, duplici vtique vocabulo, βόσκε & ποίμαινε, vt pascendi simul ac regẽdi prouinciam datam intelligas, & quidem ἀρνία & πρόβατα, vt in priuatos nonmodo, qui in agnis, sed & in rectores ac præsules, qui in ouibus designantur, imperium ei datum esse constet: cui item soli dictum, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu conuersus confirma fratres tuos*, & illud etiam separatim ac priuilegio speciali, *Quæcumque alligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis*: agunt prouocatione ista aliud nihil, quàm vt nullã potestatem esse velint, quæ surgentes in diem Tyrannos coërceat, Ioh. 21. Luc. 22. Matth. 16.

ac dum concilii patres immensis spatiis ac temporibus colliguntur, grassari interim liberè, in suis illis cogitatis furoribus perditissimi quique ac nequissimi homines possint. Nec vident inepti, in quas se angustias conijciant, vnde nec referre pedem, nec se in manifestissimo lumine caligãtes esse omnino negare possint. Nisi verò credibile est, quem tot insignibus titulis è scriptura depromptis, & ab eadem communiter Christo & ipsi concessis Patres decorarunt, vt [a] fundamentum ædificij Ecclesię Hieronymus, [b] patrem & doctorem omnium fidelium, rectorem domus Dei, [c] ac pastorẽ ouilis Christi Ambrosius, [d] Apostolicæ sedis præsulem Augustinus, [e] Christi vicarium toties Bernardus dicant: cui concilia etiam testimonia tam egregia perhibent, vt [f] caput corporis Ecclesiæ, vniuersalis Ecclesiæ ac concilii caput, ac patriarcham vniuersalem Chalcedonense, [g] custodem vineæ, ac totius Ecclesiæ caput Florentinum, [h] sponsum Ecclesiæ Lugdunense nominent, primam etiam sedem, (quę procul dubio Romani pontificis est) à nemine iudicari Sinuessanum & octauum generale concilium pronuntiẽt, ratio vlla

Pontificis Rom. insignes è scriptura tituli.

a. Epist. ad Damasij.
b. Amb. 1. Timoth. 3.
c. Amb. Epist. 81.
d Aug. Epist. 106.
e. Ber 2 de consid.
f. Conc. Chal. ep. ad Leonem act. 3.
g Conc. Flor. ét. sess. vlt.
h. Conc. Lugd. c. vbi periculum. de elect. in 6.

esse potest, vt ab eo prouocantem concilia probent, quem vel titulis iis pariter ab iisdem spoliari, vel id absurdi committi necesse sit, vt fundamentum lapides, patrem filij, doctorem discipuli, rectorem ministri, pastorem oues, præsulem subditi, vicarium comites & conserui inferiores, vniuersalem Episcopum speciales, custodem sepes ac ridicæ, denique sponsum amici ac sodales audeant condemnare: eúmque iudicare, quem à nemine iudicari pridem ipsa edixerunt. Magno insuper errore, vt cui indefectibilis iudicii character concessus est, cuius docentis è cathedra error nullus vnquam fuit, sed nec esse potest, virtute quidem non hominis, sed assistentis vicario suo Christi, sine cuius authoritate conuocari concilia non posse, tam multorum patrum ac sanctorum pontificum [a] Marcelli, [b] Damasi, [c] Iulij, [d] Pelagij, ac ne suspecti in sua causa videantur, ipsius Nicænæ Synodi primæ, imo quod amplius est, Apostolorum sententia fuit: quod Ecclesiasticis regulis mandatum esse, vt ne præter sententiam Romani Pontificis concilia conuocentur grauissimus author, & quidē in concilio approbatus est Socrates: cuius

Indefectibilis iudicii character penes Rom. Pōt.

a Mar. epist. 1 & 2.
b Dam. in suis de cret cap. 9.
c Epist ad Orient. Episc. & ep ad Theogon.
d Pelag. ad Episc. conuocatos a Ioh. cōst.
Soc. lib. 4. c. 9.

dignitatem, Asiam totam propter controuersiam de paschate excommunicantis (quod Victor Pontifex fecit) arguit quidē Irenęus, contemnere autem aut alio appellare Græci non sunt ausi: cuius authoritate concilia ipsa hæreticos se damnare profitentur, vt Chalcedonense Dioscorum authoritate Leonis Pōtificis: cui etiam tantum detulerunt patres illi sancti, vt à cōcilio ad Papam prouocarent, quod Athanasium Alexandrinum, & Paulum Constantinopol. ad Iulium feciſſe refert Sozomenus, quod idem à Flauiano Constantinop. Et Theodorito Cyri ad Leonem factum esse ex ipsius Leonis epistolis cōstat, & Ioh. Chrysostomus iniustē ab Episcopis damnatus, ad Innocentium i. prouocauit: cui etiam sub Leone in concilio Chalcedonēsi, in quo erant Episcopi 630, acclamatū est, *Vt Leo credit, ita credimus: vt Leo docet, ita docemus:* Quem *apostolicum thronum* Cyrillus vocat, *à quo nostrum sit quærere, quid credere, quid tenere debeamus, cuiúsque solius sit reprehendere, corrigere, statuere, disponere, & soluere & loco eius ligare, qui ipsum ædificauit, cui soli & nulli alij quod suum est Deus dedit, cuique omnes iure*

Epist. ad Valētiniānū & Martianum.

A Concilio ad Papam prouocatū Sozom. lib. 3. cap. 7. Leo epist 25. Theod. Epist. ad Leonem.

Lib. thes.

diuino caput inclinant, cui primores tanquam Christo obediunt: talem, inquam, & tam magnum pontificem, tot priuilegiis ac titulis insignē, coram iis causam suā agere velint, quos errare absēte eo atque deficere posse multa olim concilia docuerunt, quémque ipsa iudicare tam grauiter olim recusarunt. Vt ne illud etiam omittatur, quàm indignum sit ab eo prouocari, qui nihilo Moyse aut Aarone sit inferior, à quibus tamen cum ad eos grauissima quæque deferrentur, prouocatum esse ne legitur quidem. Quam denique periculosum fulmina illa anathematis incurrere, quæ contra prouocatores istos in Bulla cœnæ dominicæ intorquentur. Num. 11.

Nam hęc sunt pręter alia multa, quę illos ab ista prouocatione dimouere, si pilum vllum Catholicæ fidei, imo etiam rationis habent. Quæ si eos non mouent tamē, prorsus vt hoc quicquid est, de lacu pestilēti Caluinianorum, quales in suo illo cœtu insignes habent, depromptum sit, qui aliud nihil, iampridem, quàm Nationale concilium ad rauim vsque conclamant, nugantur, obsecrant, vociferantur, in quo non sacerdotum, quos occidunt, sed cer- Nationalis concilij per hæreticos inclamatio.

donum, lanionum, coquorum, salsamentariorum, cæterorum ex infima plebe hominum, vox audiatur, ô rursum execrandos, qui ne loqui quidem, nisi Serpentis, hoc est dæmonis, & qui ab eo stant hæreticorum ore posint. Digni profecto, quibus vt sacra omnia & sancta despectui sunt, sic & nos vicissim eos despectui atque contemptui habeamus.

Ad Catholicos, vt ab excommunicatis secedant. Cap. 15.

VOs verò Ciues catholici, quid cum isto hominum genere faciatis? Aut quomodo vobiscum toleretis? Considerate quid valeat istud, quod de Achã anathemate, qui virgam auream in Hierico clepserat, dixit Deus, *Non ero vltra vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* Iosue 7. & istud, *Recedite de tabernaculis impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorum.* Numer. 16. Quódque anathemata dicuntur propterea, quòd perinde vt ea quæ Deo sacra sunt, ab hominum vsu semouentur atque seiunguntur, vt ea alio conferre sit nefas, ita hi dæmonibus sacri aç deuoti, sic a reliquis hominibus electi at-

que extorres sint, vt ne eos quidem, aut quæ eorum sunt (iuxta Moysem) liceat cõtingere, ideſt cum iis vitæ ſocietatem vllam habere. Quid illud item: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Et quod deterioris conditionis excommunicatum a Paulo, quàm Gentilem fieri obſeruat D. Chryſoſtomus, quia qui ad menſam Gentilium ire permittit, cum excommunicatis cibum ſumere prohibeat. Quippe qui dicit, *Si quis vos vocat infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate*, idem de excommunicatis loquens, *Si quis frater nominatus*, (inquit) ideſt ſi quis cum ſit Chriſtianus, *fuerit fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut rapax*, vno nomine vitiis iis infectus, propter quæ olim de Eccleſia eiiciebantur, *cum huiuſmodi ne cibum quidem capere.* Et quod Eccleſia, quæ in die Paraſceues ſancta pro paganis & infidelibus orat, pro ſolis excommunicatis nõ orat. Et ſi exemplis opus eſt, moueant prophana, moueãt gentilia, moueant denique multo magis & Chriſtiana. Cur enim quod Ethnici in minori negotio facerent, vos Chriſtiani in maiori tot iuſſi oraculis non præſtetis?

Matt. 18.

Chryſ. Hom. 25. in epiſt. ad Hebr.

1. Cor. 10.

1. Cor. 5.

Exemplo erunt Romani, qui damnatos de vi publica aqua & igni interdixerũt. Exemplo & Græci, à quibus id Romani acceperunt, quibus in more fuit, eos qui Rempub. offendissent εἱργειν τῆς ἀγορᾶς καὶ τῶν ἱερῶν, ideſt a foro & ſacris arcere, item εἱργειν πυρὸς, καὶ ὕδατος, καὶ στέγης, ideſt igni, aqua & tecto interdicere. Et quod inter eos de Athenieſibus Plutarchus refert, eos qui Socratẽ calumniis oppreſſerant, ſic publicè auerſatos eſſe, vt neque illis ignem accenderent, neque interrogantibus reſponderent, neque eadem aqua in balneo cum illis lauari vellent. Quin parachytas ſeu aquarum effuſores pollutam aquam effundere, & nouam infundere cogerent. Tantiſperque id agerent, donec illi victi publici odij tædio vitam finierunt. Et ne quis in iis ab Ethnicis vel reges ipſos exceptos putet, prodibit id quod de Arabibus Plinius refert, *Regem ſcilicet apud eos, ſi quid deliquerit, morte mulctari, nullo interimente, auerſantibus cunctis, & commercia etiam ſermonis negantibus.* Et quod Æthiopibus ſolenne fuit, vt ſacerdotum voce mortis ſententiam, vel in reges ſuos, ſi quid ſceleris commiſiſſent, enuntirent. Eiuſmodi illud eſt Horatij,

Duaren. de ſacris Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 3.

Plut. opuſc. de inuidia & odio.

Lib. 6. cap. 22.

—Vetabo qui Cereris sacrum
Vulgárit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Soluat Phaselum.

Quo scilicet excommunicationis sensus quidam apud Gentiles denotatur. Et illud Nestoris apud Homerum, in belli ciuilis ac seditionum authores insigne.

Iliad. ε.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
Ὅς πολέμου ἔραται ὑπηνεμίου ὀχρυόεντος.
Expers ille tribus, tectóque indignus & exlex,
Bella placent inter cuicunque horrentia ciues.

Omniũ verò maximè, quod gentiles quondam vestri Druydę, teste Cęsare, iis qui eorum decretis non stetissent, facere cõsuerunt, *vt sacrificiis, quæ grauissima illis pœna erat,* Cæs. de bell. Gall. lib. 6. *interdicerent. Quibus autem ita interdictum esset, eos in numero impiorum & sceleratorum haberent, ab iis omnes discederent, eorum aditum sermonesque defugerent, ne quid ex contagione immundi acciperent. Neque iis petentibus ius redderent, neque honoris quicquam communicarent.*

Quæ Christianis exemplis iuncta vbi fuerint, quanto maiorem vim apud vos habere debent, nisi forte & Christiani & Galli dici indigni estis? Declarat illa D.

Iren. lib. 3. cap. 3. Ioannis Apostoli in fugiendis impiis religio, cum nec eodem balneo cum Cerintho vti vellet, & se inde citissimè metu subitæ, vt dicebat, propter inimicum veritatis ruinę subduceret. Quod æmulati subinde Orthodoxi Eunomium Episcopum Arianum in balneo lauantem inuenientes, aquam contagione infectam rati, eam in cloacam miserunt, & nouam subinde infundi imperarunt. Mirabilius etiam istud, quòd Samosatę pueri ludentes in foro, pilam quæ pedes muli cõtigerat, quo Lucius item Arianus ac Eunomij successor per forum transiens vehebatur, pollutam existimantes, igne purgarunt. Nec alio pertinet frequẽs illa beatissimi Antonij apud D. Athanasium vox. *Cum Arianis nulla sit vobis coniunctio.* Et quod moriens dixit, *Schismaticorum & hæreticorum venena vitate: Meúmque circa eos odium sectamini, quia Christi sunt inimici.*

Theod. lib. 4. cap. 14.

Niceph. lib. 11. c. 21.

in vita S. Anton.

Denique ne exemplum in re simili desit, Principum ac procerum Germaniæ aduersus famosum illum Henricum 4 iam anathemate confixum, qualiter in eo nos gerere debeamus edoceat. Qui cum territi anathemate paulatim ab eo discederent, iratúsque propterea rex fremeret, & mini-

Hæc ex Alber. Pighio. lib. 5. Hierar. Eccl. c. 2.

tabundus in omnes insaniret, iactitans iniustam & nihili pendendam Rom. Pontificis sententiam, in quem & alios sibi inobedientes gladium districturus esset, & rebellionis meritas pœnas exacturus, plus apud eos valuit (inquit Albertus Pighius) Christiana religio, quàm destituta iam auxiliis vana principis commminatio. Quin potius communi voto liberandæ Reipub. ab impii regis seruitute, oppressione ac tyrannide, amplissimo numero Triburiam conuenientes, & regis oratoribus, per quos omni emendatione promissa ipsis reconciliari studebat (vt hic Henrici III, mira in calamitate promittentis historiam liceat agnoscere) omnem imperio cladem & calamitatem per illum illatam replicantes, *Hæc* (inquiunt) *dum sola vitæ temporalis detrimenta, dum solam famæ & existimationis labem minitarentur, tametsi viris ferenda non essent, tulimus tamen, ne contra iusiurandum, quo tenebamur præcipitanter impudentérque venire videremur, & dum gloriæ consulere conaremur, animarum nostrarum naufragium pateremur. Nunc verò cum ab Ecclesiæ corpore propter flagitia sua Apostolici anathematis mucrone præcisus sit, cum ei communicare sine communionis Ecclesia-* Nota. Procerum Germaniæ ad Henrici 4. legatos oratio. Nota.

„ſticæ damno & fidei iactura non poſsimus, cum „fidem noſtram multis apud eum ſacramentis im„plicitam Romanus Pontifex apoſtolica authori„tate explicuerit, extremæ profecto dementiæ fo„ret, diuinitus oblatam ſalutis occaſionem non ob„uiis (vt dici ſolet) manibus excipere.

„ Hæc digna ſcilicet, quæ nos ab excommunicati Regis communione reuocet oratio. Quod quia non ſatis eſt, niſi ab iis, qui ab eo ſtant, pariter diſcedamus, dignam in eo quoque Chriſtianis, atque adeo catholicis virtutem induamus. Non hîc nobis quis humanitatem proferat, dum Chriſti, dum Eccleſiæ cauſa diſceptatur, neque tam inepti aut etiã male feriati ſimus, vt Chriſti nos iniurias remittere, vt benignè cum eius inimicis agere poſſe arbitremur. Peruerſa iſta cogitatio, exitioſa, damnabilis, impia eſt. Crudelis hæc miſericordia, quæ impiis parcit, vt Dei ſponſa laceretur. Et vindex in tales Deus erit, gladium in eos conuerſurus, qui gladium ab eo fruſtrà acceperunt. Quis enim tu, ô homo, vt Domini tui hoſti parcas? Vt eum ſalues, quem vitare, quem fugere, quem cædere denique ille iubet? Aut quid fruſtra narratur Saülis hiſtoria, Amalecitę cum damno ſuo parcẽ-

Chriſti iniurias remittere Chriſtianis penitus nefas.

tis, si non inde fructus fortis pro Deo & constantis animi accipitur? Quod si infelix ille carnis & sanguinis occurret sensus, vt amicis, parētibus, vt fratribus ignoscatur, vt sarti tecti, quia propinqui, cognati sunt, ab iniuria vindicentur, si quid contra fiat, coniuratio, seditio, crudelitas, & quid non? inclametur, prodeat è nube sancto igne inflammatus Moses, & vel in proximos quosque iubente eo gladius distringatur. Vox etiam illa altis visceribus inferatur, *Qui dixit patri suo & matri suæ Nescio vos: & fratribus suis, ignoro illos: & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum,* (ô Deus) *seruauerunt.* Vsque adeo carni & sanguini cum omnipotente Deo non conuenit, vt illis qui seruiat, huic nuntium remittere, hunc prodere, eludere, hunc negare necesse sit. Quin potius vos Catholici impuros eiicite, amādate, arcete, repellite, ac puluerem in eos pedum excutite. Magna nobis spes miserantis ac causam hanc protegentis Dei erit, si nos hostibus suis infensos, ac zelo sancto animatos de alto perspexerit.

Exod.32. Deut.33.

Ad Ecclesiasticos Henricianæ factionis. Cap. 16.

QVæ si dicta vtrinque cõmuniter, minus æquo forte vrgent, ad factionis tyrannicæ huius è singulis ordinibus viros, si placet, verba faciamus. Nam hic ad vos, ô qui de Domini sorte clerici, proptereáque sic vocati estis, qui obliti nominis vestri, quod factum exhorrescere debuistis, & propter quod fulmen Ecclesiæ desæuiit, id probare non veriti estis, imò & anathema, etiã nunc verbo factóque defenditis, iustissimæ primùm querelæ sermo spectat. Getam fratrem suum tetro parricidio Caracalla occiderat. Probari illud à Papiniano, insigni iurisconsulto, sed minimè tamen Christiano, voluit. Negauit ille quod factum iniustissimè esset, id se iure factum posse affirmare. Hoc illi vita, hoc capite constitit, & glorioso genere mortis, homo ethnicus vitam hanc consummare, quàm præter ius sentire, & decernere maluit. Et vos in tam tetro scelere ac parricidio præclari Christiani scilicet, imò sacerdotes, non vitam, quod & nefas erat, sed quod indignius, fauorem inutilem tam

Hieron. ad Nepot.

Æl. Spart.

peruerso

peruerso ac iniquo & iudicio & studio redimitis? Et execrandi flagitij, quod Sol ipse auersatur, laudatores esse sustinetis? Oziam leprosum regem expulit Azarias, & vos leproso quouis deteriorem, mensa, tecto sermone, colloquio honore omni excipitis? & ad preces, sacráq; admittitis? O verè oculos Heli ad lucernam caligantes, nec lumen videre sustinentes! ô trãslatam à senioribus ad iuniores, vt ab Heli in Samuelem, prophetiæ gratiam ac spiritum, vt illi somnia somnient, & hi visiones videant! Dignos denique eius sorte homines, cuius *domui iurauit Dominus, quòd non expiabitur victimis & muneribus vsque in sempiternum, eo quod nouerit indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.* Nam si tantum scelus est indignè agentem non corripere, quanto peius excommunicatum fouere, & cum eo anathema incurrere? Aut quæ cum talibus pars nobis iã esse potest? Plato præceptor (inquit Paulus) & reliqui monachi monasterij Saccidionis communicare cum Thalasio Constantinopolitano patriarcha noluerunt, eo quod Constantinum imperatorem adulterum ad cœnam admisisset: Et vos impurissimo paricidæ ac sacrilego cõ-

2. Par. 26.

1. Reg. 3.

Paul. Diac. lib. 13. reui Rom. Zona. li. 3.

municantes, in mensa, in sacris ministrantes admittemus? & communicare vobis sustinebimus? Quæ vtinam sola vobis pœna deberetur. Cuius quàm funestus exitus sit, sensit olim Gulielmus ille Traiectensis Episcopus, quique vnus Henricianis clericis ac prælatis exemplo sufficiat: cum ille famosi illius HENRICI 4. partes agens inanibus concionibus, vt canis ad Lunam, cõtra Gregorij VII, sanctissimi pontificis censurã oblatraret. Qui subita ægritudine correptus, vltricem in se manum Dei sentiens, ac miserabili eiulatu coram astantibus iusto Dei iudicio damnatum se vociferans, *quòd in gratiam regis Ecclesiasticæ authoritati fecisset iniuriam*, atque inter hæc infœlicem spiritum, æternóque maledicto addictum exhalans, documento omnibus fuit, *quàm satius sit regem, quàm Deum offendere*, corporisque iacturam rerúmque & fortunarum, quàm animæ facere. Prorsus vt cum exẽplo hoc territi cæteri, se de regis aula paulatim subtraxerint, & crebris licet iussionibus euocati, ad regem ire recusarint, infelicémque ac miserum sic destituerint, vt supplex veniam à Pontifice petere cogeretur, iudicium Dei duplex in vos ventu-

Gulielmi Traiectensis Episc. terribile exẽplum. Alber. Pighius Hier. Eccl. lib. 5. cap. 2.

Nota damnationis causam.

rum sit, si hæc auditis, ô qui è clero huic fauetis, & redire ad cor contemnitis. Quæ si adhuc vobis vita placet, si monentis verba intractabilis animus odio habet, mensuram explete, dignos libidinum, fraudum, auaritiæ, ambitionis, denique seruitij vestri fructus excipite. Nos verò si conspectum, si sermonem vestrum, vt olim Galli minori in re, nunc Christiani in maiori fugimus, atque auersamur, id nos quod decet, quódque necesse est, facere, vos digna factis recipere, peiora experturos, etiam cogitate.

Ad Nobilitatem ab Henrico stantem. Cap. 17.

AT vos, ô nobiles, qui catholicos vos dicitis (nam hæreticos nihil moramur) & partem in scelere isto præcipuam habetis, qui vt impio seruiretis, & scelerato ense accincti pugnaretis, id totũ quod nobilem, imò quod hominem est esse exuistis, & in falsa nobilitatis larua acquiescentes, religionem impietate, simplicitatem dolo, veritatem mendacio, fidem periurio, lenitate constantiam, crudelitate mansuetudinem, degeneres ac præuaricatores com-

mutastis, discite aliquando quid sit illud,
1. Reg. 2. *Quicunque honorificauerit me glorificabo eum, qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Quæ vos malum transuersos insania agit? Aut quousque tandem furor iste conquiescet?
Quid sit verè nobilem esse. Si hoc nobilē est inter homines esse, quod inter equos generosissimum, inter canes velocissimum, inter metalla aurum, inter arbores præstantissimi fructus feracē, quid libet denique in suo genere optimum esse, vt tantum quisque nobilis sit, quàm inter homines virtute ea præstet, qua homo à cæteris rebus differt, quæque adeo hominem facit, nulla autem ille re à bellua magis distat, quàm in Deum pietate, in homines verò iustitia, beneuolentia, facilitate, denique ea, vnde homines id quod sunt dicuntur, humanitate, prorsus vt id sit nobilem esse, quod pium, iustum, benignum,
Quis nobilissimus. humanum esse, imo ita sit quisque nobilissimus, vt piissimus, iustissimus, mitissimus atque humanissimus, quis vos tantus fascinauit error, vt in ista tam manifesta impietate, in scelere atque perfidia, vos quod nobilium est agere venditetis? Cui enim aut in quē pugnatis? In quos arma geritis? Tyrannum & anathema contra Ecclesiam,

contra patriam, contra parentes ac necessarios, imo cõtra vosmetipsos deffenditis: & quem eiicere atque exterminare nobilitatis vestræ erat, huius causam promouentes, vos digna nobilibus, si superis placet, facere cogitatis. Miseri & inepti, quos tot perdendæ nobilitatis artes, quos commissæ inter se nobiles familiæ, quos contracta inter Borbonios & Gvisios, tentata etiã cum Momorantijs odia, quos duellorum diabolica permissio, quos nutrita cum hęreticis studiosè bella, vt esset vnde nobilitas assiduè cædi posset: quos Flandrica, quos Lusitanica nobilium expeditio, vt potentissimo Principi impares congressi internecione delerentur, vel capti & eiurati de medio tollerentur: quos sub hasta eorum bona, exciti ad eorum cædem rustici, imposita ad eorum perniciem tributa: quos prohibiti literarum studiis liberi, quos introducta in ordinem vestrum inscitia atque ignorantia, ac probri loco in latrocinio illo Blæsensi obiecta, quos tot denique eo spectãtes iniurię, vt ordo nobilium abiici, opprimi, eneruari, extingui & corradi posset, quòd eo vno stante, qui virorum reliquorum ordinum, Ecclesiastici

Quibus artibus Henricus egerit vt nobilitatem perderet.

Henricus Blæsis nobilitatem ignorantem vocat.

& Senatorii insignium ferax esset, perduci ad exitum meditata illa Turcici in Gallia imperii forma nullo modo posset, nondum eo perducere potuerunt, vt sciretis esse hostem, quem regem adhuc esse imprudentes vēditatis. Quid enim hinc *pasuri estis*, nisi quod Ioathan Sichimitis, Abimelech interfectorem fratrum admittentibus, eique seruientibus *prædixit fore*, vt qui Rhāno imperium *defertis*, igne ab eo egrediēte consumamini? *Hoc scilicet iudiciū* Dei, vt quem vos despexistis, cum *huius hoste* depugnantes, cum eo simul pereatis: ac dignas scelerum priorum, rapinarum, cōcussionum, libidinum, blasphemiarum, super omnia autem bonorum Ecclesiæ indignissimè occupatorum pœnas, completa iam vestra, & vltionem in cœlum clamante nequitia, & præsenti morte, & æterna luatis. Quanto rectius olim primariæ nobilitatis homines Iouinianus & Valentinianus, sub Iuliano illo Apostata fecerunt. Qui cum nobili militia a principe honorati esset, ille vt chiliarcha seu millenarius, hic scutatorum tribunus esset, & militia sponte decedere, quā impio regi parere ac seruire maluissent, vtrique è vestigio ad fuit retribu-

Iud. 9.

Iudicium Dei in nobiles.

Eutrop. de gest. Rom. lib. 11.

tor Deus, vt cæso impio tyranno, vterque deinceps imperator crearetur: probaretque in iis Deus verbum suum, vt qui eum honorassent, hos ille vicissim non in futura vita tantum, verum etiam in hac glorificaret, ac nobiles præ cæteris tam illos efficeret, quàm ille turpis apostata infamisque seculis omnibus redditus est. Quæ si vobis historia placet, vt placere certè debet, quin vos ab impio discedetis? quin funestum quod coniurastis religionis ac patriæ incēdiam relinquitis? Et quod contractum vestro, vestro inquam vitio in nobilitatem odium est, restinguitis? Idque agitis, si quomodo vobis parcat Deus, vt vos & vestra saluetis, & dignum nobilitatis nomen apud Deum & homines hæreditetis? 1 Reg. 2.

Ad Hēricianos Senatorij ordinis.

CAP. 32.

VObis verò, ô consultissimi iniquitatis homines, inueterati dierum malorū, quibus canponari iustitiam ludus, figere pretio leges atque refigere fidelitas, seruire impietati quæstus, prudentia hypocrisis, in corde & corde loqui sapientia, rem facere religio fuit: quibus toga nequitiæ ar- Psal. 11.

ma, nocendi principium authoritas fuit: quos eruditos esse pestis, eloquentes tenebrę, gratia valere publicum exitium est: qui Lesbiæ regulæ, sydera errantia, hederæ sequaces, gratiarum aucupes, arundines vēto agitatæ, fauoris mancipia, gloriæ animalia, ambitionis ludibria, publicorū exitiorum ventres, mollibus sententiis, obliquis iudiciis, coëmptis suffragiis Rempub. tantam tā cito amisistis: sine quibus exarmata nequitia, abiecta solo tyrannis, profligata impietas foret, vt non stare, non videri, non surgere posset: qui vrbes, qui prouincias vbique vel tyrāno prodidistis, vel irrito conatu prodere tentauistis (tales enim ex ordine isto HENRICONES esse meruerunt) iam iam tempus erit, quo tacto cælitus & fumigante pestifero illo mōte, in quo vestra spes, vestra fortitudo erat, vestræ superbiæ, sordes, iniuriæ, fraudes, concupiscentiæ: inuenta, cogitata, meditata tyrannidis consilia, facta in principes innocētissimos post mortē iudicia, bonorū delationes, contumeliæ, proscriptiones in caput vestrum recudantur. Iam ad restim plena spongia est, & clamoribus in vos supera, infera disrumpuntur. In propinquo

Quales iustitiæ ministros Henricus habuerit.

Psal. 143.

cornicis fabula est, vt sua repetētibus Ecclesia, viduis, pauperibus, Repub. vniuersa, euulsáque iuxta prophetam lingua, quę *iniustitias tota die cogitauit, & sicuti nouacula acuta* carnem videlicet & iugulum capilli loco secans, *fecit dolum*: quæ *dilexit malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem, & omnia præcipitationis* seu deuorationis *verba* in pretio habuit, tum *videant iusti & timeant*, rideant super vos, & *sub sannent, cum id quod timebatis vobis aduenerit*: Et dicant, Ecce *homines, qui non posuerunt Deum adiutorem suum, sed sperauerunt in multitudine diuitiarum suarum, & prævaluerunt in vanitate sua*. Scilicet vt succedant, qui sint *sicut oliua fructifera in domo* Domini, qui nihil pretij in vita hac appetentes, *sperent in misericordia Dei in æternum, & in seculum seculi*.

Psal. 51.

Pro. 1.

Nam tales scilicet, qui eos excipiāt, postulamus. Pertæsi miluorum, coruorum, gryphum, accipitrum, cæterarum id genus ob rapaces vngues immundarum volucriū sumus. Faceſſant è loco isto gratiarum prensatores, pensionum glomeratores, publici peculii raptores, beneficiorum proxenetæ, ac patrimonii Ecclesiæ vena-

Leuit. 11.

Quales ministros iustitię habere oporteat.

tores quibus nihil pensi sacra profanis, insulas vxoribus, sacra domesticis permiscere, denique in antiquum chaos omnia reuocare, peioremque errorem priore committere. Plus satis hactenus pestium harum habuimus, his lassati, fatigati, vlcerati & opressi, vt tollantur de medio, si super sint, aut si nouæ oriãtur, omnipotentis Dei, Diuorum omniũ atque hominum fidem imploramus. Vt quid enim sceleri scelus, sacrilegium sacrilegio, rapinam rapinæ, prædam prædæ cumulemus? & manibus sanguine plenis Dei misericordiam frustra imploremus? Si pestis hæc nostri fundi fuit, cur eodem impingimus? & præclari zelatores pro præmio antiquum & rancidum scelus deposcimus? At vos, si qui tales estis, & viuere nobiscum vultis, in Christo obsecramus, abstinete: Sin minus, per eundem adiuramus, recedite, abite, sanctuariũ profani relinquite, scandalum à nobis auferte, ac vestra turpitudine, nequitia, fœtore cõfusi, extra castra procul abscedite. Non ijs restitutoribus, non ijs Ecclesiæ ac Reipub. vindicibus, non ijs pietatis ac iustitiæ columnis, denique, vt ad Priamum Hecuba,

In Senatores bonis Ecclesiæ inhiantes.

Non tali auxilio, nec bellatoribus istis Æneid. 2.
Tempus eget.

Vos vero, ô qui prauis succeditis iudicibus, pulchro sanguine incitati, animos fortes assumite, dignos vos iusti & æqui vindices exhibete, nugas istas vanitatum, quę illos perdiderunt, abiicite. Si quid molle, si contortum, si præter fas occurrerit, si fraus aut leuitas tentare occeperit, super iniquorum vos pelles sedere cogitate. Ex ephœbis excedite, virilem togam induite, vosque pectore illo armate, quod

Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.

Satis sit adhuc nucum, satis bullarum. Recedant digni morte centum annorum pueri. Non capiunt istæ anguſtiæ, non infirmitas animi sustinet personam tam grauem, tam dignam, tam seueram. Sic vos denique veri ac synceri iudices eritis, si præ oculis iudicem Deum semper habeatis. Esa. 65.

Ad Plebeii ordinis homines.

Cap. 20.

QVid vos plebeij, nũ & monitis ipsi indigetis? Nã iis scilicet monita nõ sint,

qui peccatũ non fecerunt. Porro si peccatum absit, nec sit pœna. Quæ si iudicio Dei ad fuerit, quis affinem quoque & culpæ esse negabit? In vos scilicet ista cusa magnam partem faba est. Latrocinia, rapinæ, cædes, fames, incendia, vos vndique afflixerunt. Manus fuit hæc Domini, qui licet sæpissime,

Neglectus incesto addidit integrum,

id tamen nos quantumcunque fuit, quod certè maximum fuit, peccata nostra & scelera meruisse fateamur. Hic scilicet fructus blasphemiarum, fraudum, furtorum, cædum, rixarum, odij, libidinum, comessationum, pomparum ac superbiæ, cõuiuiorum ad luxuriam, conuitiorum ad maledicentiam, cæterarum vitij pestium fuit. Hęc peccata populi, propter quæ regnat Hypocrita. Et vt propheta ait, *Qualis populus, talis & sacerdos: qualis seruus, tales & Domini eius.* Blasphemiam eradicate, libidines auferte, odia extinguite, Ecclesiæ patres colite, Nobiles honorate, magistrãtum metuite ac reuerenter habetote, nihil in vobis violẽtia, nihil iniquitas, nihil quod belluarum est & immane dominetur. Neue committite, vt vno sublato tyranno, infiniti in-

Ioh. 34.

Esa. 24.

ter vos tyranni enascantur. Sic etiam habete, vt populus bos arator est, qui terram scindat, qui laboret, qui vtilem se omnino prębeat, sic Aquilis, ideſt Ecclesiasticis, qui cælestia doceant, Leonibus, ideſt nobilibus, qui virtute deffendant, Hominibus, qui iustitia temperent ac mitigent, eidem opus esse. Hæc quadriga scilicet Dei, de qua scribitur, Et *quadrigæ tuæ saluatio*. Salui quippe tum erimus, cum quadriga hæc ita ambulabit, vt nõ reuertatur. Hoc est, cum quæ Dei sunt singuli ordines ita promouebunt, vt retro agi ad delicias, vt post tergum quæ sua, quæ terrena sunt, cogitare non dignentur. Habac. 3. Ezech. 1.

Mors Henrici inopina, ac cædes mirabilis. Cap. 19.

Ecce autem dum scribimus, dum variis distracti, in concione, concilio, militia negotiis, opus vt licet maturamus, dum capta Pontisara, occupatóque S. Clodoaldi ponte, staret ad portas omnibus suis copiis auctus Hannibal, & positis secundo ab vrbe miliari castris, tardante nimium ac remoto adhuc auxiliari nostro exercitu, vrbem ac regnum terroribus re-

pleuisset, atque conspecta vrbe cædes incendia, ac sanguinem spirans, in eam iam iam, vt sibi videbatur, deuoraturus Tyrannus infremeret, & post omne crudelitatis genus, in Ecclesiasticos ac Theologos præcipuè, cum quinquaginta armatorum millibus Romanum se Pontificem aditurum, & ad retractandam sententiam cum Nauarro item excommunicato adacturũ, vt ille quondam HENRICVS 4, minaretur, mirabilis simul ac terribilis, die prima Augusti, per exploratores nuntius venit, HENRICVM in medio exercitu, inter medias stipatorum cateruas, gregarij cuiusdã & contempti de B. Dominici familia fraterculi manu esse interfectum. Ridiculum & incredibile initio, donec crescente fama, dilapsis ab eius exercitu, qui vulneratum primùm, mox etiam mortuum viderant, confessis etiam id ex hostium numero nonnullis, qui singulari duello, in vrbis conspectu cæsi, libenter se mori, mortuo suo domino dixerant, expensis etiam Fratris huius, qui pridie in castra abierat, verbis atque consiliis, quæ nonnullis ipse reuelauerat, certo certius esse, incredibili bonorum omnium gaudio & exultatione, compertum est:

Henricus à fratre quodam Dominicano mirabiliter interfectus.

Nomẽ fratri illi IACOBO CLEMENTI erat, è pago Senonẽsi, cui nomẽ Sorbona esse fertur Et ille annos natus plus minus tres & viginti, non ita pridem tamen sacerdos factus erat. Simplex moribus, ac facie despicabili. Ex quo factũ, vt cum ille quod aliis plęrisque in ore erat, id etiam vehementius diceret, cædendos tyrannos religioni infẽsos, ac eorũ fautores politicos esse, quin & id se facturum aliquando cum animi impetu affirmaret, a sociis interim, qui nihil minus quàm serio eum loqui cogitarẽt, rideretur. Substitit ergo tacitus aliquandiu, & ne quod cogitabat fluctuante ac dubia conscientia faceret, quasi aliud, aut alieni cuiusdam nomine agens, quatenus in tyrannos armari liceret, inquirebat. Et vbi fluctuare desiit, mortis contemptum zelus attulit, cum vnum se præ oculis habere dicens, vt Ecclesiæ ac patriæ pacem afferret, vt truculentissimæ bestiæ faucibus religionem eriperet, id etiam adderet, tutius sibi esse in egregio cœpto mori, vt mercedem a Deo solo tutissimam reciperet, ne si superstes foret, certante de præmio ei reddẽdo Gallia vniuersa, ipse mundi fauore resolutus in certissimo animę suæ

F. Iacobus Clemens Henrici interfecto.

Egregium F. Iacobi Clementis consilium.

periculo versaretur. Tantùmid se petere à Deo, vt citissima morte, patrato recèns facinore necaretur.

Ergo post octidui preces & lacrymas, quarum ipsi socij testes fuerunt, post celebratum missæ sacrificium, familiaribus valedicens, ac se precibus eorum commendans, monens insuper vt noui de se aliquid intra biduum securi expectarēt, Tyrannum adit confidenter, & prætextu literarum, ac secretioris ad eum verbi, quod sibi esse dixerat, per vnum de Tyranni amicis ac familiaribus introductus, & postridie mane ab eodē cū nudus adhuc aluū exoneraret, venire ac loqui iussus, cultello, quem ad id comparatū gestabat, securus ipse sine pallore, sine trepidatione, vt Æglonem Moabitam alter Aiod, imò etiam fortior, in abdomine traijcit. Vociferatur læsum se Tyrannus, & frementē protinus ira & furore satellitio, percussus ipse vicissim multis vulneribus lætus ac securus emoritur. Contemptum initio vulnus, vt nec propterea a cibo & potu Tyrannus abstineret, imo etiam musicam toto die, quasi supra hominum sortem positus, nec mori valēs, adhiberet: mentem vtique eripiente Deo, vt traiectis

Henricus nudus percussus.

Iud. 3.

traiectis viſceribus nec dum de morte cogitaret, & *iuſto Dei iudicio* (iuxta Auguſtinum) *moriens obliuiſceretur ſui, qui dum viueret oblitus erat Dei.* Donec ſubito accedente febre, in furorem verſus, ipſe vindictam ſpirans, eámque Nauarro ſimul cum corona & regno commendans, clyſtere infuſo, & per vulnus egrediente, ſine ſacramento & viatico, quod toties indignus ſumpſerat, vt Iudas & Arius alter, crepans medius, infœlicem ſimul ſpiritum per idē, vt credibile eſt, vulnus, duodeviginti poſt illud acceptum horis exhalauit.

Atque hic finis truculentiſsimi Tyranni fuit, quem non philacteria, nō circuli, non horrendi caracteres, non ſua dæmonia ſeruauerunt. Magno vtique Dei iudicio, vt qui Petrum ipſe in vincula, in illuſtriſſimorū Cardinalium & Archiep. Lugdunēſis perſona coniecerat, imo etiam Gvisivm Cardinalem necans de medio ſuſtulerat, ac Petro per Pontificem iubente & de cæſo pœnitere, & viuos de vinculis emittere recuſauerat, propterea áque ab eodem vinculis vndique ſpiritalibus conſtrictus erat, ipſe anathematis contemptor, vt cæteris exemplo formidandæ Petri cen-

Henricus a Circulis ſuis non ſeruatus.

Admirabile iudiciũ Dei in Hẽrici cæde.

furæ esset, ipso sacrorum Petri vinculorum festo die, vltore Christo atque Petro necaretur: Et qui omnes omnium gladios, latebris se condens, & procul a pugna subducens contemnebat, qui suo se gladio omnes confossurum confidebat, qui Cardinales, qui duces occiderat, qui Petri sedi iam iam infestus hostis imminebat, non Cardinalis, non regis, non ducis, non potentissimi cuiusdam exercitus, non strenui alicuius & armati militis, sed vilissimi è fratrum turba in speciem homunculi, non ense aut nobili mucrone aliquo, sed abiectissimo cultello, non foris, sed domi, non in aula aut area, sed in penetralibus; non in nobili opere aliquo, sed in stercoraria sede, per quam sæpè bonis ac clericis illuserat, percussus moreretur. Accedit quod qui biduo ante protomartyris Stephani diem Cardinalem hyeme per scelus occiderat, idem biduo ante eiusdem martyris diem æstate per summam charitatem est occisus. Et qui sanctum Clementem pro symbolo in Gvisii cæde dederat, à Iacobo Clemente supplantatus falso vsurpatæ à se clemẽtiæ pœnas dedit. Et qui Sorbonam scholam incẽdere decreuerat, hunc sustu-

Henr. in stercoraria sede percussus.

lit de Sorbona pago natus; denique fictus monachus à vero, & qui supremũ sacerdotem perdere cogitabat, à minimo omnium sacerdote sublatus de medio est. Nihil iam vt sit, quòd Iudithæ Holofernem, aut Dauidis Goliathum obtruncantis, aut Sansonis in maxilla asini mille viros interficientis historias admiremur, qui maiora his sic vidimus, vt clamare merito debeamus, *Dextera Domini fecit virtutem, dextera, Domini exaltauit nos, dextera Domini fecit virtutem. Castigans castigauit nos Dominus, & morti non tradidit nos. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Sic videlicet lapillus de monte cadens statuam ingentem percusserat, sic per Apostolos abiectissimos homines sublimia quę que Deus depresserat. Sic denique *infima huius mundi elegit, vt confundat fortia, & stulta huius mundi elegit, vt cõfundat sapientes.* Benedictus Deus qui *dedit voci suæ vocem virtutis, & spiritu labiorum suorum interfecit impium:* & ne quis vltra Domini Christos tangat, ne Ecclesiam opprimat, ne vocem Petri spernat, terribili ad omnium seculorum memoriam in vno capite exẽplo èdocuit.

Iudith. 13. 1 Reg. 17. Iud. 15. Psal. 117. Dan. 2. 1. Cor. 1. Psl. 67. Esa. 11. Psal. 104. Luc. 10.

Benedictus rursum, qui quod toties inter minas, carceres, gladios, omnis generis contumelias ipsi intrepidi, opportunè, importunè, in spiritu eius clamauimus, & futurum diuinauimus, id ne frustra dictum esset admirabili iudicio effecit, hancque

Eccl. 36. dedit *mercedem sustinentibus se, vt prophetæ eius fideles inuenirentur*, vt iam solito fortius ac generosius intonare illu d diuinitus à poëta dictum possint,

Æneid. 6. *Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.* Vos scilicet qui tyrānū coluistis, qui spem in eo vestram collocastis, qui alterius Henrici anathematis reliquias sectamini, discite quid sit illud, *Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachiū suū, & à Domino recedit cor eius.* Ne qui vobis idolū confinxistis, in vos illud cōuertatur, *Similes fiant illis*

Psal. 113. *qui faciūt ea, & omnes qui confidūt in eis:* tristéque ac miseri illud audiatis, *Vbi sunt Dij eo-*

Deut. 32. *rum, in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis*, id est populi rapinis, *comedebant adipes & vinum libaminum? Surgant & opitulentur*

Ibid. *vobis, & in necessitate vos protegant.* Quin potius eum audite, qui ait, *videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Is videlicet, *qui iudicabit populum suum, & in seruis suis*

miserebitur. In hostes vero suos, quales vos estis, terribiliter ait, *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis.* Vt quid enim anathema alterum sectantes, hoc terribili edocti exemplo, in voluntarium excidium ruitis? Et relapsum, hæreticum, tot scelericibus ac crudelitatibus insignem sustinetis? Et strictum in vos gladium, qui tam terribiliter caput vestrum demessuit, non timetis? Scilicet hæreticus Gallorum rex erit, qualis perseuerare nec Hypocrita potuit? Et nos qui nec impurum sustinere potuimus, execratum istum assumemus? Nũ potius acerbissima morte millies moriamur? Quin vos, si mens aliqua vobis reliqua est, dignos Gallis ideſt Christianis ac generosis viris spiritus induite, ad ea quæ sunt ad pacem Hierusalem animum appellite, cõmunibus nobiscum votis ad publicam solutem conspirate. Tam magna vobis id præstantibus, laus erit, quam secus agentibus, tribulatio, ira indignatio & angustia coram Deo & hominibus, & nunc vobis & in æternum futura est.

Henricus Nauarrus relapsus excommunicatus.

Rom. 2.

De iusta Henrici iij. Ad vniuersos tota Gallia Catholicos, vt pro restituenda Ecclesiæ & Reipub. pace laborent.

CAP. 20.

VOs verò vniuersi tota Gallia Catholici, quàm magnum vobis onus incumbat, in quo vestra studia, cogitationes ac neruos industriæ desudare oporteat, attẽdite. Restituẽda vobis Ecclesia, stabiliẽda Respublica est: profliganda illîc hęresis, hîc destruenda tyrannis est: illîc vt vnus Deus timeatur, hîc vnus Rex honoretur: illinc vt Simoniæ, blasphemię, hypocrisis: hinc furta, peculatus, fraus omnis auferatur. Illinc apri, hœdi, sues: hinc milui, corui, accipitres, rapacium atque immundorum omne genus abigatur. Absit enim vt discindi Ecclesiam, vt distrahi monarchiam: fœdari illam, hanc corrumpi: bestiis illam prostitui, hanc tractari à furibus: Struthiones illîc equino pede terræ adhærentes, herodium pennis similibus quidem, sed ad volandum ineptis referentes, vt hypocritam in eo, speciem pietatis habentem, sed a terra eleuari nescientem liceat agno-

scere: hîc dracones oculo insomni, radiis venenosis, dentibus rabidis, in prædando vigilãtiam, nequitiam ac crudelitatem designantes amplius toleremus. Pastores illîc pios & eruditos, qui pascant populum doctrina & sapientia: Hîc tribunalium iudices, qui in æquitate iudicent, & qui vtroque tueãtur fortes ac synceros militiæ duces, qui prælia Domini prælientur, queis dulce sit pro patria mori, qui Dei, qui Reipub. iniurias, in proprijs quieti ac mites, vlciscantur ac vindicent, institui procuremus. Sacerdos illîc audiatur, qui vetera peccata, potens ipse exemplo & verbo diluat, nec noua permittat: Hîc regi pareatur, qui frugi ac fidelis, æs alienum & vetus dissoluat, & nouum non contrahat.

Duæ columnę in porticu tẽpli Salomonis quid significent. 3 Reg. 7.

Sic nimirum duæ columnæ illæ, quæ in porticu tẽpli Salomonis erãt, quarũ altera, quæ à dextris Iachin ideſt firmitas, altera quę à siniſtris Booz, ideſt in fortitudine dicebatur, super quarum capita opus in modum lilij erat, coram Deo, in consecrata dudum ipsi tẽpli instar, & Christianismi vmbilico Gallia, atque adeo liliorum regno erunt, à dextris pax Ecclesiæ, quæ firmitatis loco ac basis futura sit, vt ne commo-

ueri ea posit, cui Dominus a dextris sit, a
siniſtris verò regis poteſtas, quæ in fortitu-
dine pietatis conſtituta, altera & ipſa co-
lumna ſit, quæ pari cum ſuperiori altitudi-
ne, ac paribus veſtita liliorum ornamentis,
in gradu inferiori par meritum coram Deo
habeat· & paribus momentis vtrinque ſit,
Geneſ 1. vnde Reſpub. ſuſtentetur. Sic & duo lumi-
naria magna, alterum maius, quod Eccle-
ſia, ſpiritualium rerum, quæque ad Deum
ſpectant, diei, alterum minus, quod regia
dignitas, & a ſuperiori lumen habet, tem-
poralium nocti præſit, vices ſuas pulchro
ordine ac ſerie ita agent, vt cum fuerit iſto
Pſal. 88. pacto Gallię *thronus ſicut Sol in conſpectu Dei,*
Matth. 12. *& ſicut Luna perfecta in æternum*, cum æqua
lance, quæ Dei quæque Cæſaris ſunt, pon-
derata in ea ac librata extiterint, non deſit,
Pſal. 83. qui *gratiam & gloriam det Dominus*, quique
beatam eam efficiat, qui *confortet feras por-*
Pſal. 147. *tarum eius*, ac filiis *eius in ea benedicat. Qui po-*
Rom. 3. *nat fines eius pacem*, & adipe *frumẽti*, ac panis
Pſal. 88. vtriuſque, ſuperſubſtantialis & terreſtris
ſatiet eam, verax ipſe perpetuo, *& teſtis in*
cœlo fidelis.

O beatos quibus iſta promouere, quibus
Matth. 13. omnia ſua vendere, & *emere agrum illum*,

quibus margaritum hoc labore, contentione, vita denique & sanguine mercari datum erit! Hæc vobis ô GVISII martyres, qui vtriusque ordinis principes, hæc studia simul coniunxistis, qui pietatem & iustitiam vestro & labore deffendistis, & sanguine plantauistis, qui veram fraternitatem, quæ nec in morte separari posset, coluistis, qui pro ea sanguinem vestrum fudistis, quæ immortale nomen, quæ nunquam intermorituram gloriam causa comparauit: Hæc tibi MAYNÆE inclyte, interemptorum martyrum frater ac virtutis compar, militiæ Dei Sabaoth ac sacri in Gallia belli Dux fortissime: Hæc vobis ô reliqui *de semine illorum, per quos salus facta est in Israël*, principes atque Macchabæi. 1.Macch.5. Hæc vobis, ô fortissimi, quotquot in iis castris & verbo Dei pugnatis, & gladio accincti sub iis ducibus bellatores, nobiles, milites, vel cæsi pro Christo in cœlo regnatis, vel viui adhuc pro simili corona decertatis, omnibus denique omnino, quibus ista cordi causa est, quibus sancto igne animatis in pectore sanguis feruet, -- *pulchrúmque mori succurrit in armis*, laborum vestrorũ merces, vel iã in cœlo presens, vel reposita

certissime est. Fœlix conditio, in qua & pulchrum vincere, & mori securum est. Vbi astant de cœlo angeli, qui vel victores ad Reipub. commoda saluent, vel cæsos in cœlum abripiant. Quos fallere corona nõ potest, vel de victo hoste speciosa, vel de morte glorioſa. Quibus merces secura est, vel gratia superstitibus, vel gloria cadentibus. Quid enim eos fallere, aut quid iis deesse possit, quibus pugnæ Deus princeps author, quibus idem princeps, Dux, sors, corona, prẽmium est? Accinge Christiane, ô quisquis es, *sicut vir lumbos tuos*, & in tali pugna, quæ & illustres superstites, & beatos morientes facit, certare gloriare.

Iob. 40.

Authoris consilij summa ac postulatio.

Nobis verò, qui scribimus, qui loquimur vt vnum hoc propositum fuit, si quomodo seruire isti causę, si Ecclesiæ ac patriæ vtiles esse, eodémque pertingere possemus, quò beatæ illæ animæ præcucurrerunt, & certantes adhuc venturos præstolantur, id aliquãdo vt propitio ac miserante Deo, seu sicca & quieta, seu quod glorioſius & optabilius cruenta pro Christo atque Ecclesia morte defunctis eueniat, ac nos dignos tam pulchra conditione efficiat, vt fusis ad eum precibus postuletis, summi prẽmij lo-

co exoptamus: imo etiam per eum qui iudex omnium vēturus est, (sic vos ille amet, sic seruet & protegat, sic ad optatum finem perducat) flagitamus.

Cui soli honor & gloria in secula
Amen.

FINIS.

INDEX RERVM, QVÆ IN HOC OPERE DE IVSTA Henrici tertij è Francorum regno abdicatione, continentur, copiosus.

Numerus folium, litera b c. *paginam designat.*

A

ABdicandi regesius. 4. b

Abdicationis tota series & progressus. 219. b

Absalon captãdi regni occasionẽ quęrit. 16. a

Absalon per hypocrisim ad tyrannidem tendit. 196. a

Absolutio culpam, non pœnam aufert. 140. a

Admonitio adquosdam qui Henrici partes sequuntur. 2. b

Adolphus Imperator principatu abdicatus 105. a

Adolphus imperator virginum constuprator. 186. b

Adrianus Papa vrbi Romę sacris interdixit. 128. a

Adrianus II. interdictũ minatus est Carolo Caluo. 133. a

Aduentus Hẽrici in castra vt Guisium milite destituat. 203. b

Ægiptij opes regni tripartitò diuidebant. 20. a

AErarij per Hẽnricum exhaustio. 159. a

Afflicti populi, quòd regum suorum vitiis fauerint. 21. a

Agapetus Clotariũ regem excommunicauit. 132. b
Aiod ambidexter. 33.a
Albinus à Senatu imperator factus. 25.b
Alemãni characteribus superstitiosis frustrà vsi. 113.b
Alexandri perfidia. 142.a
Alexãdri Borgiæ digna cædes. 143. b
Alphonsus, fidei desertor excæcatus. 85 a
Amasias rex Iudæ publico consilio interfectus. 24. a
Amasiæ necis causa, quòd à Deo recessisset. 24.a
Ambiorix Eburonũ seu Leodiorum rex. 25 b
S. Ambrosius Theodosium excommunicauit. 10.a
D. Ambrosius cõtra hęreticorum furores à Catholicis protectus. 36. b
ἀμνηστία Henrici doli plena. 55. a
Ananias cum vxore Saphyra mortuus. 9.b
Anastasius imperator hæreticus. 37.b
Anastasius Manichæus, fulmine extinctus. 84.b
Anathema in rectores & ciuitates, si infra mẽsem in percussorem Cardinalis animaduertere non sategerint. 62. a
Anathema ab obedientia subditos soluit. 126.b
cur Anathema subditos ab obedientia soluat. 127.a
Anathematis in regem in Gallia necessitas nũquam maior. 134.a
Anathemata quę dicantur. 270.b
Andronicus Connenus regalibus vestimentis exutus. 105.a
Andronicus Connenus crudelis. 186.b
in Anglia, suprema penes parlamentum po-

testas est. 26.b
Anglicani excidij causa, tolerantia impij regis. 20.b
Animus tyranni ignauus & crudelis. 58.b
Annibal Pœnus fidei violator. 142.b
Antibulla Henricianorum. 260.b
Antiochus centum & quinquaginta annorum successione ad regnum peruenerat. 34.a
Antiochus corrosus à vermibus. 100.a
Antithesis aui & nepotis. 148.b
S. Antoninus octoviros Florentinos excõmunicauit. 128.b
Apollo Carthaginensis veste aurea indutus. 101.a
Apostoli à Christo instituti sacerdotes. 17.a
Apostolicæ sedis gratia quod in Henrici crimina facilis esse non debuerit, aut etiã debeat. 137.a
Appius Clodius luminibus orbatus. 101.a
Apostrophe ad homicidam. 58.a
Apostrophe ad Episcopos politicos. 96.a
Apostrophe ad Henricum excommunicatum. 262.a.b. ad Henricianos, vt excommunicationem horreant. 265.a
Apostrophe ad Catholicos, vt ab excõmunicatis secedãt. 270.b
Ad Ecclesiasticos Hericianæ factionis. 274.b
Apostrophe ad nobilitatẽ ab Henrico stantem 276.a. Ad Henricianos Senatorii ordinis. 278.a.b. Ad plebeij ordinis homines. 280.a.b
Arcadius & Eudoxia eius vxor excommunicati. 10.a & 128.a
Archiepiscopus Rhemensis pater regis di-

ctus. 63.a
Aristocratia dele ctatæ nationes. 13.a
Arma vel paucorum iusta sunt pro vera religione defendēda. 33.b
Arma in proprios reges infidelitatis causa, sacerdotum consilio sumpta. 35.a
Arma ante Pontificis sententiam iustè ex fœdere contra hæreticum sumpta. 38.b
Arma in Henricum defensiua, non offensiua esse. 236.a
Armenii Christiani armis sese contra Maximinū defenderunt 36.b
Arragonica iustitia. 26.b
Arresta vnde sic dicta. 154.b
Artabasdus dux Constantinopolitanorum cōtra Copronymum. 38.a
Artaxerxes Ochus à Bagoa eunucho interfectus. 100.b
Artes mirę pro affligēdis Catholicorum rebus. 75.a
Arturus ex fratre nepos Iohānis regis Anglorum necatus. 51.b
Asa rex Iuda idola cōminuit. 8.b
Assassini, populi in Perside. 22.a
Assassinus & parricida Henricus. 50.a
de Assassinis Innocentii quarti sententia. 51.b
Athalia regno simul & vita priuata. 8.b
Athalia interfecta. 23.b
Athanasius à Constante auxilium postulauit. 36.b
Atheismi impietas vnde. 120.a
Athei. 120.b. & 121.a.b
Atticus episcopus Cōstātinopolitanus Persas Christianos opibus subleuauit. 37.a
Augustus imperator à populo probari voluit. 17.b
Aulicorum vita Cyclo-

pica. 126.a
Aurum Tholosanum. 100.b
Auxilium datum Flandris rebellibus. 70.a
Azarias propheta Maacham & Oziam de regno eiecit. 8.b & 36.b
Azarias àpopulo rex cõstitutus. 16.a

B

BAbylas Antiochenus Episcopus. 10.a
Balthasaris vasa sacra polluẽtis cædes. 100.a
Basiliades se monachum fingens tyrannidem inuadit. 194.a
Basiliadis hypocritę monachalis habitus. 194.b
Basiliades Hẽrici typus. 195.a
Basiliscus Eutychianus hæreticus. 84.a
S. Basilius contra hæreticorũ furores à Catholicis protectus. 36.b
Basianus Caracalla incantatores consuluit. 110.a
Basianus Caracalla fidei violator. 142.a
Beneficiorum horrenda dissipatio. 98.b
Bella ciuilia hypocritæ fructus. 198.b
Bellum pro religione contra regem cur iustum. 31.a
Belli aduersus reges ac principes religionis causa iustè gerendi, exempla sacra. 33.a
Belli iusti exempla, etiã in proprios reges. 34.a
Bellum sacrum. 101.b.
D. Bernardi testimoniũ pro secura in armis pro fide sumptis conscientia. 41.a
Bestię ad Luparam cæsę. 185.b
Bibliopolæ Catholici flagris cęsi. 76.b
Bodilo nobilis vir ad palum alligatus. 29.a
Boëmi ministros regibus collaterales habent. 26.b
Boleslaus 2. Polonię rex regno exutus. 10.b. & 62.b

Bona Ecclesiæ inconsulto Pontifice non occupanda. 129.b
Bonifacius viij. Philippum Pulchrũ excommunicauit. 133.a
Bonificare Henrici vocabulum. 189.b
Brennus Gallorum dux manu propria confossus. 100.b
Britannię Reges primis seculis nihil possederunt.
Bulla Pij quinti. 61.b
Bullę cœnę domini per Hẽri. improbatio. 86.b
Bulla S.D.N. Sixti Papę V. contra Henricum iij. 252.a

C

CAbilonẽsis Cõmes à dæmone domo abstractus. 101.b
Cædes Guisij & fratris Cardinalis. 79.a
Cędes tyrannorum frequentes. 166.a
Cædes Henrici mirabilis. 281.a
Cæsari tributum pendendum 6.a
Caligula à populo probari voluit. 17.a
Caligulæ pugna in arbores. 213.a
Cambysis copię arenarũ molibus oppressæ. 100.b
Camera computorum. 182.a
Cananęorum iugũ per Barac & Iahel excussum. 33.b
Cananęi propter magicam impietatem deleti. 109.a
Cãcellarius regni Frãciæ. 27.b
Capetus rex electus. 19.a
Capita criminum Ecclesiast. decem 44.a
Capita cęsorum abscinduntur. 59.b
Capuccini & Fogliantini ab Henrico cur laudati. 106.a
Cardinalis Guisij cędes. 59.a. & 247.b

Cardinalis Guisius, sacerdos, archiepiscopus & pater spiritualis Henrici. 61.a
Carnifices 45. Henrici. 183. b
Carolus magnus ab ordinibus rex constitutus. 19 a
Carolus magnus contra Saxonas, Longobardos & alios. 41.a
Carolus Ludouici Balbi filius prętermissus. 19. a
Carolus Crassus repudiatus. 29. a
Carolus Simplex regno abdicatus. 29.a
Caroli IX. responsum egregium. 81. b
Carolus Burgūdus perfidus à perfido proditus. 143. b
Carolomanus Pipini filius rex electus. 19.a
Carolouingi, à quorum familia regnum ablatum. 98.a
Cassiopęę sydus. 230.b
Catholici exauthorati. 78.a
Causę legitimę, quę ius Ecclesiæ spectant, Henricum iij. abdicandi. 43. a
Causę abdicandi Henricum aliæ Ecclesiasticæ, alię ciuiles. 43.b
Causę legitimę, quę Rempub. spectant, Henricum iij. abdicandi. 139.b
Causę per exteros principes cognitio, Reipub. maiestatem nō minuit. 151.a
Celestinus III. Philippum Augustum excommunicauit. 133.a
Censuræ pontificiæ cōtemptus. 89. a
Censura Sixti V. summi pontificis in Hēricum 250. b
Centurionem non abiecit Christus. 41.a
Character indefectibilis iudicij penes Romanum pontificem. 269. a

Charitatis mutuæ fons. 123. a
Charonnerius nobilis Brito Catholicus. 76.b
Cheuernij Cancellarij verba. 77.a
Childericus abdicatus à regno Franciæ. 10. a. & 29 a
Chilpericus è regno eiectus. 28.b
Chilpericus XVIII. Monachus factus. 29.a
Chrismati illudit Henricus. 118.b
Christierus rex dignitate regia priuatus. 30. b. & 152. a
Christus fugit, ne rex à populo constitueretur 16. b
Christus apostolos sacerdotes instituit. 17.a
Christus solus dominus. 93.a
Christi iniurias remitere, Christianis penitus nefas. 273.b
Christanissimi regisquã ta veneratio. 148.a
Circuli Goëtici Henrici vota continentes. 113. a. 8.
Circulis cur vtãtur diabolistæ. 114. b
Circulus adorationis signum. 115.a
Circunstantiarum ad crudelitatẽ enumeratio. 60. a
Ciuilium Henrici criminum capita. 140.a
Claudius Imperator à populo probari voluit. 17.a
Claudij Sanctesij digna Episcopo vox. 235.a
Clauibus illudit Henricus. 118. b.
Clementia & bonitas Henrici qualis. 212.b
Cleomenes fidei violator. 141. b
Clodoueus contra Arianos. 41.a
Clodouei ni seu Merouingi quare monarchiam amiserint 98.a
Clotarius Clodouei filius, rex electus. 18.b
Clotarius primus Frã-

eorum rex comminatione interdictus. 51. a
Cænomanensis quædã energumena fæmina. 149. b
Colossi instar rex, 13. b
Columnæ duæ in porticu Salomonis quid significent. 284. e
Comitia apud Ethnicos celebria. 154. a
Comitiorum seu ordinum in Gallia olim quę auctoritas. 154. a
Comitiorum decreta, placita olim dicta. 154. b
Comitia anni 1588. celeberrima. 155. a
Commentarius criminum lęsæ maiestatis. 184. b
Commonitorium historiæ doliariorum mendaciis plenum. 214. b
Concilij Lateranẽsis celebritas. 65. b
Cõcilii generalis vnionis Gallicanę Parisijs electio. 144. b
Concilij Nationalis per hæreticos inclamatio. 270. a
Concilium egregiũ Fr. Iacobi Clementis. 282. a
Confessionis sacramẽto illudit Henricus. 118. b
Consensus Gallorũ in Henrici abdicationem. 1. b
Consilium populi Gallicani inuitum, sed necessarium. 1. a
Consilij necessarij portus. 43. a
Consilium de vtraque religione retinendã initum Auenione. 70. a
Cõsilij politici tres gradus. 226. b
Consilium Gallorũ de excutiendo Henrico. 248. b
Constantia regni Gallici ex fidei puritate. 83. a
Constantinopolitani

populi & monachorum contra Anastasium imperatorẽ virtus. 37.b
Constantius imperator Arianus à Pontifice condemnatus. 36.b
Constantius arma fratris reformidans Catholicos Episcopos suis sedibus restituit, 36.b
Cõstantinus cõtra Maxentium atque Licinium. 41.a
Constantinus Copronymus crudelis. 184.b
Consultor & iudex vt differant. 232.b
Contẽptus Ecclesiæ insignis. 85.b
Copronymi imperium Artabasdo delatum. 38.a
Copronymus Iconomachus phrenetide interiit. 84.b
Corinthius in interitũ carnis traditus. 9.b
Corinthij fidei violatores. 142.a
Corpora cremãtur. 59.b
Corona de capite Henrici cecidit. 86.a
Coronę Dominicę par ui pensio. 87.a
Crassus cum omnibus copiis à Parthis extinctus. 100.a
Credulitas praua peior infidelitate. 64.b
Crimina Henrici recẽtia, qualis ab initio fuerit, indicant. 238.a
Criminum Henrici in canone contẽtorum, distributio. 43.a
Crux dominica satyris hinc inde circundata. 114.a
Crucis dominicæ sacrilegium. 106.a
Curia, defuncto rege, coronę ac regni nomine agit. 18.a
Curia inuaminum. 181.b
Cusan-rasathaim Mesopotamię rex. 33.a
Cynegiri militis virtus. 31.a & b

D

DAEmones sibi terga vertunt. 116.a
Dagobertus Galliæ rex coram throno Dei accusatus. 101.a
Dani ministros regibus collaterales habent. 27.a
Dani Christiernum regem dignitate regia priuarunt. 30.b
Daniel super Babylonem constitutus. 12.b
Daniel in lacum Leonum missus. 25.a
Daniel Clericus postea Chilpericus dictus, electus. 18.b
Darius cētum & viginti optimates super regnum constituit. 12.b
Dauid àpopulo constitutus rex. 16.a
Dauidis in propriū regem arma. 34.a
Debora contra Cananæum arma sumpsit. 33.b
Defectio Ieroboam & populi sine peccato fuit. 34.b
Deioces à Medis rex electus. 17.b
Denarius vniuersalis numerus. 44.a
Depositapublica intercepta. 161.a
Democratia delectatę nationes. 13.a
Descalleus Cęnomanus primę notę viros sortilegij defert. 110.b
Deus Tsebaoth seuexercituum. 40.b
Deo soli tribuere, vt mediis causis nulla in re tribuatur, crassus error. 15.b
Deuotio ficta ad scelus designandum 57.b
Deuotionis solemnis omissio. 86.b
Deuotionis Henricianę finis. 200.a
Diabolus cur in hirci specie suis cultoribus appareat. 116.b
Diaboli odij & vindi-

&ęad ſuos prȩceptũ. 117.b
Diabolus primus hypocrita. 196.b
Diaboliſtæ Magicæ ſuperſtitionisobſeruãtiæ ad religionis deſertionem,& diaboli cultum relatæ. 108.a
Diaboliſtæ aulicorum philoſophi, ac prophetæ. 111.b
Diaboliſtæ de numero pœnitentium. 111.b
Dierum ſacrorum profanatio. 118.b
Diffidatus dicitur, quẽ impunè licet occidere. 52.a
Dioſcorus Conſtantinopoli dãnatus.128.b
Dionyſius Syracuſanus regno pulſus ob ſacrilegium. 102.b
Diſtributio dicendorũ tripartita. 4.a
Doli ad irrita facienda Catholicorum arma inuenti. 38.a
Dolor iuſtus Gallorũ. 1.a.b
Dominatus vſurpatorem cur occidere liceat. 167.b
Dominum ſe perſonarum eſſe creditHenricus. 92.b
Duella à Cõcilio Tridẽtino diſertè cõdemnantur. 129.a
Duodenarius cæleſtis numerus. 27.b
Dux Maynëus generalis Galliæ gubernator. 244.b
Dyſcolus quid. 5.a

E

ECcleſię ius in ſolos reges Chriſtianos. 8.a
Eccleſia armis defendẽda. 40.a
Eccleſia & Reſpub. mutuas ſibi in vidicandis malis operas prȩſtant. 43.b
Eccleſiaſtica prędia, ipſorum clericorũ manibus culta, fiſcaliũ indictionum contri-

butione sunt soluta. 26.
Ecclesiastici fundi exhaustio. 160. a
Edicta 27. perniciosa vno die per vim promulgata. 182. a
Edicti vnionis violati ab Hẽrico typus 195. b
Eduardus secundus Angliæ rex, exclusus regno. 50. b
Eduardi 2. Angli miserabilis exitus. 155. b. & 187. a
Eglon rex Moabitarum interemptus. 33. a
Egregiè facta consilio potius quàm euentu æstimanda. 38. a
Electionis ius hæreditario superius. 18. b
Elias reges deiecit ad perniciem. 9. a
Emissarij Henrici adulatores. 200. a
Ephori reges Lacedæmonios iudicabant. 24. b
Episcopi Catholici suis sedibus restituti à Cõstantio. 36. b
Episcoporum hæreticis fauentium conducta vox. 77. b
Eucharistiæ per Diabolistas profanatio. 117. b
Eudo de regni solio expulsus. 19. & 28. b
Eutychiani hæretici monasteria & tẽpla euertebant. 38. a
Excommunicatio omnes qui cũ Henrico stãt, & præliantur. 136. a
Excommunicatis porrigi Eucharistiam iubet Henricus. 118. a
Excõmunicationis terribilia effecta. 228. b
Excommunicati deuitandi. 271. a
mira quæ per Excommunicationem acciderunt. ibid.
in Excõmunicatos principes diuina iudicia. 266. a
de Excommunicatione patrũ sententiæ 266. b
Excommunicati à da-

monibus vexati. ibid
Exempla veteris legis, iuris Ecclesiæ in reges. 8. b
Exempla potestatis Ecclesiasticæ in reges. 10. a. b
Exempla profana regũ creandorum. 17. a
Exempla Christiana, & maximè Gallica, regum creandorum. 17. a
Exempla sacra, quòd reges à populis constituantur. 15. b. 16. a
Exempla sacra iuris populi supra regem. 23. b
Exempla eiusdem profana, ac primùm externa. 24. b
Exempla domestica iuris populi in regem. 28. b
Exempla aliquot externa rursum ad idem. 30. a
Exempla sacra belli aduersum reges ac principes iustè gerẽdi religionis causâ. 33. a
Exempla iusti belli, etiã in proprios reges. 34. a
Exempla ad idem Ecclesiastica. 36 b
Exempla Principum ob fauorẽ hæreticis datum infœliciter agẽtium. 66. b
Exempla electorũ principatu ob hæresim. 84. a
Exempla regum Francię excommunicatorum. 132. b
Exempla pœnæ violatæ fidei. 141. a
Exẽpla sacra populi maiestatis in comitiis. 153 a
Exempla & testimonia Ecclesiastica & sacra de cę de tyrãni. 170. b
Exempla præuenti iudicij. 222. b
Expostulatio Henricianorum qualis. 220. a

F

FAcies tyranni miserabilis. 58. b

Facultatem Parisiẽsem brachium suum dextrum vocat Sixtus V. 230.a
Fautores hæreticorum omni in Christianos dominatu excludendi. 65.b
Fautores hæreticorum in Gallia præcipuè non ferendi. 68.a
Fides Henrici in hæreticos, in Deum & Ecclesiam perfidia. 37.a
Fidem publicam violare, quale crimen. 140.
Fides quid. & vnde dicta ibid.
Fides Punica Pœno Annibali exitiosa. 142.b
Fides commune societatis humanæ vinculum. 144.a
Fides Polonis fracta ab Henrico. 146.a
Florentini sacris interdicti ob mortem Pisani archiepiscopi. 128.a
Fœderum sanctissimorum auctores pontifices. 39.a
Fœderis belli pro defẽdenda religione necessitas. 40.a
Fœderis seu ligę auctores. 58.a
Fœdus cum hæreticis tum domesticis tum externis. 71.b
Francorum veterũ mos in suo rege creando. 17.a
Francorũ mos, & Reipub. Gallicanæ institutio. 27.a
Franci tyrannorum vel ex aliena Repub. exactores. 173.a
Francici nominis apud infideles terror. 148.a
Franciſci primi Valesij fides & integritas. 148.b
Fridericus primus excommunicatus. 10.b
Fridericus secũdus im-

perio priuatus. 10. b. & 30. a
Fructus cædis Guisij laruæ Henricianę detractio. 246. b
Fulmina cænæ dominicæ vim facti iudicij habent. 124. b
Furiæ Eumenides dictæ. 213. a

G

GAleaci Sfortia in æde S. Stephani confossus. 105. a
Galienus imperio inutilis. 159. a
Gallorum inuitum, sed necessarium consilium. 1. a
Gallorum iustus dolor. 1. a. b
Gallorum consensus in Henrici abdicationem. 1. b
Galli in suos reges ius habebant. 25. b
Gallici ingenij candor. 147. b
Galli summi pontificis & principum Christianorum fidem implorant. 152. b
Galterus Yuetoti dominus Suessione interfectus. 51. a
Gennadius Africæ Exarchus. 38. b
Georgius Boëmiæ rex excommunicatus, & regno expulsus. 10. b
è Germania & Heluetiorum finibus acciti hæretici milites. 75. a
Germani electores in imperatorem ius habent. 25. b
S. Germanus Parisiensis Episcopus Heribertum excommunicauit. 133. b
Gladij duo in comitatu Christi. 40. b
Gradus tres aduersus regis iniurias procedendi. 226. a
Gratioſè cum hæreticis seuerè cum Catholicis actum. 76. a

Gratulatio ad S. D. N. Sixtum Papam V. 260. b
Gregorii Magni sentẽtia notanda. 10. b
Gregorius magnus Gẽnadium ad bellum hæreticis inferendũ est hortatus. 38. b
Gregorius 2. Leonem 3. Imperatorem excõmunicauit. 10. a
Gregorius IIII. excommunicauit Ludouicum Pium. 133. a
Gregorius 7. Boleslaum Polonię regem excommunicauit. 10. b
Gregorius 7. Pontifex Henricum 4. imper. excõmunicauit. 38. b
Gregorius XIII. fœderis sancti in Gallia autor. 39. a
Guilielmus Siciliæ rex excommunicatus. 110. b
Guilielmi Traiectensis Episcopi terribile exemplum. 275. b
Guisius contra Germanorum aciem. 41. a
Guisius septem vicibus ad mortem petitus. 49. b
Guisij cędis quæ veræ causæ fuerint. 55. a
Guisius à quibus accusatus. 58. a
Guisius qua fide cum Henrico egerit. 58. b
Guisij vna culpa, quòd Henrico credidit. 58. b
Guisius ambitionis expers. 58. b
Guisius tot laboribus nihil ditior. 54. a
Guisius Henrici fraudum ac furorum securis. 55. b
Guisij cum Hẽrico cognatio. 56. a
Guisij cędis circunstantiæ. 56. b
Guisij candor. 57. a
Guisij innocentia probatur. 58. a
Guisij insignis ac diui-

na planè victoria. 75. a
Guisij & fratris Cardinalis cædes. 78. b
Guisius patriæ pater publicè dictus. 159. a
Guisij peccatum quod. 184. b
Guisiorum virtus quantis cum difficultatibus colluctata. 201. b
Guisius gladius Gedeonis, & angelus Ezechiæ dictus. 203. b. & 204. a
Guisius per inuidiã ab Henrico cæsus. 207. a
Guisius à calũniis purgatur. 246. b
Guisij in Galliæ regnũ & Henricum merita. 247. a
Gundericus Vandalorũ rex à dæmone correptus. 101. a

H

HAEretici vtriusque maiestatis rei ac de medio tollendi. 33. a
Hæretici verè perduelles. 39. b
Hæretici id hodie, quod olim idololatræ. 64. a
Hæretici iudicio erepti. 77. b
Hæretici vt sceptro amouendi. 82. a
Hæretici ad magiam procliues. 108. b
Hæretici dolosi & crudeles. 195. b
Hebræi regum impiorum imperio sese armis sæpè subtraxerunt. 33. a
Helias propheta quadringẽtos quinquaginta pseudoprophetas interfecit. 35. b
Heliodorus flagellatus ab Angelis. 100. a
Helizeus propheta cõtra impios arma sumere iussit. 35. b
Hemor rex Sichen. 23. b
Henotici seu vnionis

edicti ab Hērico violati typus. 193.b
Henricus 4. ob Simoniā imperio exutus. 10. b. 38. b. & 98. a
Henricus Roberto Capeti nepoti prælatus. 18. b
Henricus 8. Anglię rex excommunicatus. 62. a
Hēricus periurus. 44. b
Henrici execrationes horrendę. 47. b
Henrici periuriorum exaggeratio. 48. a
Henrici periuria. 46. b
Henrici triplex in vno scelere crimen. 50. a
Henrici horrenda homicidia. 52. a
Henrici de Guisij innocentia testimonium. 54. a
Henrico quæ fugiendi causa fuerit. 54. b
Henricus parricida. 56. a
Henricus assassinus. 56. b
Henrici stigmatici. 57. b
Henricus percussorem duci Mayneō subornat. 57. b
Henrici inhumanitas. 59. a
Hēricus percussor Cardinal. archiep. & patris sui. 61.
Henrici in sacerdotes & Cardinalē iniuriæ. 62
Henricus hęreticorum fautor. 64. a
Henricus vt hæreticorum fautor sit. 69.
Henricus obsidionem Sedani solui iubet. 73. a
Henrici in hæreticos fides, in Deum & Ecclesiam perfidia. 73. a
Henricus vt schismatis reus. 80. b
Hēricus schismati procurando egregiam operam nauat. 81. b
Henricus hæreticus. 82. a
Henricus 4. insignibus imperij exutus. 85. a
Henricus vt sit hæreticus. 85. a

Henrici educatio. 85.b
Henricus Simoniam exercuit, & defendit. 98.b
Henricus sacrilegus. 100.
Henrici vtriusque generis sacrilegia. 105.b
Henricus Dionysio similis. 106.b
Hēricus ne in fuga quidem à scelere abstinēt. 107.a
Henricus Cynicus, ac Diogenis æmulus. 107.a
Henricus magicæ impietati ac superstitioni deditus. 107.b
Henricum Theurgicæ impietatis quæ suspectum reddāt. 112.b
Henricus ante Eucharistiam operto capite esse solet. 118.a
Henrici insatiabilis vindictæ cupiditas. 119.b
Henricus irreconciliabilis. 120.a
Henricus planè impius. ibid.
Henricum quæ impiū esse probant. 122.b
Henricus dæmonis ludibrium. 123.a
Henricus alter Timon. 123.b
Henrici & aulicorum impiæ voces. 124.
Henricus Rabsacis blasphemiam imitatur. 125.b
Henricus imaginē suā supra altare constituit. 126.b
Hēricus anathema propter scelera & fuit, & adhuc est. 126.b
Henricus multis nominibus anathema. 127.b
Henricus non fuit absolutus. 134.a
Henricus vt publicam fidem violarit. 145.b
Henricus cum solis hæreticis pactū seruat. 146.b
Henrici ars, verba dare omnibus. 146.b
Henricus vno tempore vniuersam Gallię seu

Franciæ laudem extinxit. 148.a
Henrici perfidiæ nihil simile à seculo visum. 148.b
Henricus omniũ principum ac nobilium dignitatem fœdauit. 148.b
Henricus maiestatem Reipub. ac regni læsit. 150.b
Henricus quàm atrociter ordinũ maiestatem læserit. 155.a.b
Hẽricus primus in Gallia comitia cæde fœdauit. 155.b
Henricus omnem à se spem reconciliationis excluſit. 156.b
Henricus regni disipator, & ærarij decoctor. 157.a
Henricus tyrannus, & patriæ hostis. 162.a
Henricus vt tyrãnus sit, generalis descriptio. 177.b
Henricus non legitimè in regnum ingressus. 178.b
Henricus impius. 179.b
Henricus legum infractor. 179.b
Henricus nãtam sibi Rempub. putat. 180.a
Henricus aliena bona diripuit. 181.a
Henricus iustitiam oppressit. ibid.
Henricus patres regni contempsit. 181.b
Henricus contumeliosus, in omnes. 182.a
Henricus infensus veraloquentibus. 183.a
Henricus publicã perniciem molitur. ibid.
Henricus bonis infensus malis delectatur. 183.b
Henricus nullum vnquam virum bonum amauit. ibid.
Henricus iniuriarũ Dei contemptor, suas vehemẽtissimè vlciscitur. 184.a
Henricus cõmittit nobiles familias. 185.a
Henricus hostes prouinciis

uinciis præfecit. 185.b
Henricus timidus, & diris agitatus. ibid.
Henricus tyrannorum facta imitatur. 186.a
Henricus vt sit regno inutilis. 188.b
Henrici opera & acta quæ. ibid.
Henricus quid Lutetiæ præstiterit. 189.b
Henrici in Parisiorum vrbem coniuratio. 190.a
Hēricus quàm insignis sit hypocrita. 199.a
Henrici crudelitas à Moscho vt differat. 200.b
Henrici paræmia, *Pays gasté vault mieux que pays perdu.* 201.b
Henricus nequissimos homines sibi placere profitetur. 204.b
Henricus quo consilio secretarios & consiliarios suos abegerit. 205.b
Hēricus cubiculum suū altari magno compa-
rat & fœdat. 206.a
Hēricus Æsopico Deo similis. 211.b
Henricus fortis videri cupit. 213.a
Hēricus omnis vitij nomen. 216.b
Henricus proprio ore damnatus. 217.a
Henricus Edicta tyrannica metu perculsus reuocat. 218.a
Henricus sub aliorum persona reprehēsus, nec emēdatus. 227.a
Henricum eradendum de Missæ canone, rectè concluſum esse. 227.a
Henrici perfidia & dolus. 247.a
Henrici actorum contra religionem enumeratio. ibid.b
Hēricus impietatis accusatur. 248.a
Henricus à fratre quodam Dominicano mirabiliter interfectus. 281.b
Henricus nudus per-

cussus. 282.b
Henriciani vnde dicti. 98.a
Henricones. 217.a
Henriciana hæresis. 85.a
Hephron Hetheorum rex. 23.b
Heraclius hæreticus Monothelita factus. 84.a
Heraclius Sanctonensis Nantinum Comitem ad communionem nō admisit. 128.b
Herodes crudelis. 186.b
B. Hilarij ad Constantium, id est Henricū, verba. 94.b
Hilarius Gallos de alto considerat. 96.a
Homicidium Henrici, vt regno indignum pronuntiet. 50.a
Homines cuiusmodi Henrico faueant, 2.a
Homines frugi in aula qui; 92.b
Homines similes calculis facit Henricus. 93.a
Honorius imperio inutilis. 189.a
Horatius sororicida à populo absolutus. 25.a
Hosti religionis cum possis etiam licet. resistere. 6.a
Hostis Reipub. ius omne Principatus amittit. 170.a
Hungari ministros regibus collaterales habent. 26.b
Hymenæus & Alexander energumeni, 9.b
Hypocrisis Henrici in Constantio. 95.a
Hypocrisis tyrānidi ferè coniuncta est. 193.a
Hypocrisis magni Ducis Moschouiæ insignis cū crudelitate. 194.a
Hypocrisis etiam in bestiis iuncta crudelitati. 196.b
Hypocrisis vbique diffusa. 198.a

Hypocrisis Henrici in religione. 199.a.b
Hypocrisis in iustitia. 204.
Hypocrisis in re militari quanta in Gallia fuerit. 201.a
Hypocritarum, præcipuè verò regum, quã acerba percutio. 197.a
Hypocrita princeps quã dura res. 197.b

I

Iacobus Clemẽs Hẽrici interfector. 282.a
Iactãtia & vanitas Henrici. 211.b
Ignauia Henrici. 211.a
Illaudatum esse, summa tyrannidis cũ ignauia iunctæ significatio est. 188.a
Imperium Imperatore superius. 25.b
Imperatores Germani sæpe deiecti à Pontificibus. 10.b
Imperatores à militibus in exercitu sæpe creati. 17.a
Impietas hẽrici in mortuos. 208.b
Impietates Henrici recentes & horrendæ. 237.a
Imprecationes aliquãdo publicè fiunt pro principibus impiis. 6.b
Impunitas multa parit punienda. 138.a
Infantes in ignem coniecti sine baptismo. 114.b
Ingratitudo Henrici. 207.b
Inhumanitas Henrici in suos. 208.a
Iniuriarum in Deum ac religionem contemptus. 37.b
Iniuriæ horrẽdæ in moniales. 107.a
Iniuriæ Henrici in sedem Apostolicam. 248.b
Innocẽtius primus Arcadium & eius vxo-

rem Eudoxiam excõmunicauit. 10. a
Innocẽtius quartus Fridericum imperatorem, & Lusitanũ regem ab administratione publica remouit. 30. a
Innocẽtius 2. regẽ Galliæ anathema fecit. 128. b
Intentio operis ac fructus. 2. b
Inuidia Henrici. 206 b
Ioannes VII. Vittizzam Hispanorum regem deposuit. 30. a
Ioannes Anglorum rex indignus regno iudicatus. 51 b & 103. b
Ioas à populo rex cõstitutus. 15. a
Ioiada sacerdos Leuitas contra Athaliam armauit. 35. b
Ionathas Saülis filius. 23. b
Ioseph à fratribus venditus. 115. a
Iosephus supra domum Putipharis constitutus. 12. b
Iosue eligitur, qui pro Deo orante Moyse pugnet. 40. a
Ioyeusæ ex industria tẽtata & peracta cædes. 75. b
Ioyeusa extra Martis furorem cæsus. 76. a
Irę Dei signũ, prophetiæ cessatio. 36. a
Iudæi quare iubentur orare pro Nabugdonosore. 6. b
Iudas hypocrita Caluinistarũ archetypus. 196. a
Iudicij contempta forma 152
Iudicium Dei in domũ Heli terribile. 65. a
Iudicia & effata theologica de cæde tyrannorum. 167. a
Iudiciorum formulaan expectari debuerit. 219. b
Iudicium præuenirivrgẽte negotio debet 220. b
Iudicium Ecclesiæ prę-

ueniri posse, specialis probatio. 222 a
Iudicia latæ sententiæ præuentionem probant. 224.a
Iudicij secularis iustam quoque præuentionem esse posse. 225.a
Iudicij expectandi causas omnes in Henrico præclusas esse. 226.a
Iudicium in Henricum à Sixto V. sapienter factum. 250. b
Iulianus Apostatæ auūculus femore computruit. 101. a
Iulianus Apostata 116.b
Magię deditus. 110.b
Iuliani dicterium. 106 a
Iulianus Saba Monachus. 6. b
Iulius Cęsar à populo se electum credi volebat. 17.b
Iuramentū controuersiæ omnis finis. 49 a
Iuramenti vnionis Gallicanæ formula. 245.a
Ius abdicādi reges. 4.b.
duplex. 7.a.b
Ius Ecclesię in solos reges Christianos. 8 a
Ius Reipub. ac populi reges abdicandi. 11.b
Ius populi supra regem quale. 12. a
Ius Reipub. citra anathema Henricum abdicandi. 139. b
Ius pro iniuria. 157. b
de Iure abdicandi reges. 4 b
Iuris Ecclesiæ in reges, veteris legis exempla. 8.b
Iuris Ecclesiæ in reges in Euangelica lege testimonia. 9. a
Iuris populi in regem ex ciuili iure seu legibus inductio. 22 b
Iuris populi supra regem exempla sacra. 23. b
Iuris populi in regem exempla domestica. 48. b
Iustinus iunior in phrenesim lapsus. 97.b
Iustitia Arragonica. 26. b

Iustitiam misericordia SIXTVS V. vt temperarit. 252. b
Iustitia sub auctionem posita. 161.a
Iustitię ministros quales Henricus habuerit. 278. b

L

LAcedęmonij reges Ephoris sæpe subiiciebantur. 24. b
Legatio Spernonij ad Nauarrum. 77.a
Legatio duodecies quaternorum per Henricum. 204. b
Legatorũ absurda per Henricum facta oratio. 205.a
Lege se nulla teneri putat Henricus. 92.a
Legio fulminatrix dicta. 41.a
Leo primus pontifex Leonem Imper. contra hæreticos armauit. 38.a
Leo 3. Pontifex imperiũ à Græcis ad Germanos transtulit. 10.a
Leo Iconomachus imperio priuatus. 84.6
Leo 3. Imperator excõmunicatus. 10.a
Leo Armenius, interfectus. 84. b
Leprosi spirituales. 36.a
Libelli supplices ad Hẽricum inutiles. 227.
Libertas loquendi in Gallia penes quos. 28.b
Libido Henrici. 210.b
Libri hęretici eo iubẽte scripti. 87.b
Literę Nauarri publicè vẽnientes. 78.a
Literarum ad Pontificem missarum exemplar. 246.a
Lobna, sacerdotũ vrbs. 35.a
Lobnensium defectio. 23.b
Loci sacri profanati. 119.a
Ludouicus quartus imperio priuatus. 10.b

Ludouicus Pius rex electus. 19.a
D. Ludouici humilitas. 106.b
Ludouicus natu minor Roberto prælatus. 8.b
Ludouicus nihil faciés in monasterium detrusus. 29.b. & 105.a
Ludouicus vndecimus, primus in Gallia tyránidis architectus. 28.a
Ludouici xi. sententia. 215.b
Ludouicus Comes armis Henricum Imper. oppugnauit. 32.a
Lutherani & Caluinistę hypocrisi crudelitatem suam obtexerunt. 196.a

M

MAacha de augusto imperio depositа. 8.b
Macchabei arma sumpserunt in Antiochum. 33.b
Macchabei pro lege Dei contra tyrannos pugnarũt. 35.b. & 40.b
Macedonius sanctissimus episcopus. 37.b
Madianitarum iugum per Gedeonẽ excussum. 33.b
Machiauelli propositа. 122.
in Magia certissima est à Deo discessio. 108.b
Magiæ expurgandæ in Gallia quanta necessitas. 110.b
Magi regibus Persarum pari dignitate erant. 24.b
Magica impietas, regnorum ac regũ ruina. 109.a
Magica impietas ethnica peior. 107.b
Magicæ superstitionis in Henrico manifesta indicia. 117.a
ad Magicam impietatem, seu Diaboli cul-

quibus gradibus perueniatur. 108.a
Maiestas Reipub. penes comitia. 153.a
Maiestas ordinum quibus in rebus se ostẽderit. 153.b
Maiestatis Reipub. offensio quale crimẽ. 150.b
Maiestas regum à Repub. pendet. 151.a
Manasses propter impietatem ne rex quidem dictus. 21.b
Martellus contra Sarracenos. 41.a
Martellus ad inferos deportari dictus. 141.b
Matisconensis Comes à dęmone domo extractus. 101.b
Maximus à Senatu imperator creatus. 25.b
Maximi imperatoris exercitus magna cum clade profligatus. 36.a
Maximinus à Senatu Romano cõdemnatus. 25.b
Mediolanensis ducatus. 148.b
Mendacium Gallis nobilibus quàm olim exosum. 148.a
Methodius Morauorũ Apostolus regẽ excommunicauit. 128.b
S. Michaël & Angeli eius pugnant cum Dracone. 40.a
Michaël Balbus interfectus. 84.b
Michas eiulabat sublatis per filios Dãiis suis aureis & argenteis. 31.a
Milites, hæretici acciti è Germania & Heluetiorum finibus. 75.a
Milites sæpe imperatores suos in exercitu creauerunt. 17.a
Miles hæreticus ab Hérico stat. 87.b
Ministri hæretici. 87.b
Ministros iustitię quales habere oporteat. 279.a
Minor sine contradictione à maiori bene-

dicitur. 12. b
Miſericordia in ſortilegos Gallię peſtis. 111. a
Monarchia cæteris gubernationis formis pręſtat. 14. a
Monfortius contra Albigenſes. 41. a
Mora principis diuturna, vrbibus perniciosa. 189. b
Mors Henrici inopina. 281. a
Mortuus repente Venetiis qui pro Henrico perorauerat. 261. a
Moſchi crudelis deuotionis exitus. 194. b
Moſchorum ſeruile ingenium. 200. b
Moſchi prędicatorum inſolentes tyrannidi colla ſubdunt. 231. a
Moſis tabulę confractę quid notent. 223. a

N

NAbugdonoſor. 116. b. ſuper Babylonem conſtituit Danielem. 12. b
Nabugdonoſoris ad beluę vitā abiectio. 100. a
Nabugdnoſor cogi ad fidem nō potuit, quia infidelis. 175. a
Narratio cædis Guyſij vera 57. a
Natalis Baudinotus cur interfectus. 94. a
Nauarrus regni ſucceſſor deſignatus. 71. b
Nauarro militem conſcribendi facta permiſsio. 72. a
Nauarro Blęſis ſeruata fides. 78. a
Nauarrus crucis ſupplicių inſtaurauit. 83. b
Nemo probus dat nomen ſacrilego. 102. b
Nero à ſenatu Romano condemnatus. 25. b
Nero crudelis. 186. b
Nicephorus, imperator Conſtantinopolitanus, cæſus à Bulgaris. 67. b. & 97. b
Nicetius Treuerenſis

Episcopus Clotariũ excommunicauit. 133. b
Nicolai Magni Danorũ regis filij parricidiũ. 51. a
Nicolaus I. Lotharium regem excommunicauit. 133. a
Nobè, vrbs sacerdotalis. 35. a
Henricus Blesis Nobilitatem ignorantem vocat. ibid.
Nobilem verè esse quid sit. 276 b
quis Nobilissimus. ibid.
Quibus artibus Henricus egerit, vt Nobilitatem perderet. 277. a
in Nobiles iudiciũ Dei. 277. b
Nomen Henrici infame redditum. 216. b
Nomina hæreticorum è canone cur auferẽda. 240. a
Notitia euidẽs facti locum sententię tenet. 221. a
Numerianus excõmunicatus. 10. a
Numerus 38. circulorũ quid. 115. b
Numerãdi mos per aureos cur inuentus. 159. a

O

OBedientiæ pontificis contemptus. 89. a
Obediendum dyscolis. 6. a
Obiectionum solutio. 5. a. 16. b. 39. b. 14. b. 238 b
Obligatio mutua regis & populi. 23. a
Obligatio populi ex vi contractus cum Deo ad cogendum armis regem. 31 b
Ochozias à populo rex constitutus. 16. a
Odij in Cardinalẽ Guisium quæ prima causa. 211. a
Odium Henrici publicum. 216. a
Odo Roberti filius ad sceptrum vocatus. 19. a

Ordonius 2. Castiliæ rex ab omnibus ordinibus desertus 51. a
Offensio omnium ordinum per Hericum, 1. b
Offensio in Catholicorum fœdus. 72. b
Offensionis Reipub. & regis ratio dispar. 15. b
Officia innumera, vendita, suppressa, ac vēdita iterum. 161. a
Opes regni apud Ægyptios tripartitò diuisæ. 20. a
Oppressio populi in Gallia crudelis. 160. b
Oppressor religionis & patrię inuasore principatus peior. 171. b. & 172. a. b
Optimates cētum & viginti super regnum constituti. 12. b
Opus hoc omnium ordinum symbolis cōgestum. 3. a
Operis huius intentio ac fructus. 2. b
aliud ab Oratione penitus excludi, aliud à publicis precibus remoueri. 238. a
Ordo Eccles. & Reipub. cur restitui Henricū prohibeat. 243. a
Ordines iudices regni atque sceptri. 156. a
Ordinum omnium per Henricum offensio. 1. b
Ordinum auctoritas in Gallia. 28. a
Ordinū veteris dignitatis reliquiæ. 28. a
Othoniel dux Hebræorum. 33. a
Otho quintus excommunicatus. 10. b
Othonis 4 imp. ad proceres imperij confessio. 26. a
Ozias de regno eiectus 8. b. & 23. b
Ozias leprosus ob cōtumaciam factus, 36. a

P

PAcificationes & inducię cum hæreti-

cis facte. 70. b
Pāceltica comitia. 154. a
Pares Franciæ duodecim. 27. b
Parisiensis vrbis laudes. 190. a
Parisienses responsum ad Pontificem mittunt. 132. a
Parisiēsis populi in calamitate deuotio. 245. a
Parisiensium de Guisij cæde luctus. 246. b
Parisienses ad postulādum quid impulerit. 249. a
Parisiēsium obtestatio. 249. b
Parlamēti in Gallia institutio & auctoritas. 27. a
Partes cōstituentis potiores quàm constituti. 12. b
Partes populi potiores quàm regis infœdere cum Deo facto. 20. a
Patronus præuaricator sacer. 23. a
Paschalis Ludouicum Crassum excommunicauit. 133. a
Patriarchæ veteres simul sacerdotes erant & reges. 13. a
Patrum veterū in principes fidei desertores quanta vehementia fuerit. 3. a
Patrum Toletanorum in Semithilanam regem seueritas. 11. a
Peculatus incredibilis Henrici. 139. b
Pecuniæ solutæ victis hostibus. 71. a
Perduellio quid. 39. b
Perfidia principis pessimum ad imitandū exemplum. 145. a
Perfidia Henrici in Carolum nonum. 146. a
Perfidiæ Henricianæ exaggeratio. 147. b
Perfidia Henrici quàm multiplex. 147. a
Perfidiam cum periurio idem esse olim persuasum. 140. b
Perfidus ad contrahendum inhabilis. 144. b

Periurij quanta sit grauitus. 44.b
Periurium Henrici quã immane. 46.b
Periurium solum minimé piandum in lege dicitur. 48.b
Periurij quantus horror. 45.b
Periurij pœna apud varias nationes. 46.a
Periuria Hẽrici in Euchariſtiam. 118.a
Periurus vt regno indignus sit. 45.a
Perſę Chriſtiani à Theodosio defensi. 37.a
Perſarum reges iudicio magorum ſępe ſubiacuerunt. 24.b
Petrus Caſtiliæ rex regno inhabilis declaratus. 51.a
Petrus de vineis, Friderici imperatoris ſecretarius. 104.a
Pharamondus rex electus. 18.b
Philippicus Iconomachus imperio eiectus 84.b
Philippus Macedonum rex, nequam & perfidus. 50.b
Philippus Pulcher Galliæ rex excommunicatus. 128.a
Philippus Valeſius rex electus. 19.a. & 29.b
Philiſteorum & Ammonitarũ iugum per Iephthe & Samſonẽ excuſsum. 33.ab
Phocenſium principes, qui Delphicum templum diripuerunt. 100.b
Pinartus conuentionis Anglicanæ ſectetum prodit. 37.b
Pipinus in Childerici locum ſubſtitutus. 10.a
Pipinus rex creatus 19.a. conſecratus. 98.a
Pius v. fœderis in Turcam auctor. 39.a
Pœnę violatę fidei exẽpla. 141.a
Pœna temporalis Henrico optanda eſt, vt leuiorem in altero

seculo ferat. 242.b
Pœnitētiæ fictæ in Hērico 4. insigne exemplum. 241.b
Politicorum impia vox. 5.a
Politici Assassinis similes. 21.b
Politicorum huius tēporis typus. 32.a
Politicorum religio. 122. b
Politicorum vox. 149.a
Politici Henriciani suo ipsorum gladio iugulati. 150.a
Poloni regi suo certis se cōditionibus subiiciunt. 26.a
Pompeius Pythonissam Erictho adiit. 110.a
Pons asinorum contra prædicatores. 91.a
Pontificum in censuris leuitas, ius animaduertendi non tollit. 132.a
Pontificis summi prudens cautio quo ad Henrici notitiam cēsura perueniret. 259.a
Populus hic quo sensu intelligatur. 11.b
Populus sine rege esse potest. 12.b
Populus sine sacerdote esse non potest. 13.a
Populus ad cogendum regē vt pactum Deo seruet, est obligatus. 20.b
Populo in regem potestas est vitæ ac necis. 20.b
Populi afflicti, quòd regum suorum vitiis fauerint. 21.a
Populus suo iure pseudoprophetas sub Elia interfecit. 24.a
Populi ex vi contractus cum Deo ad cogendum armis regem obligatio. 32.b
Populus impio regi & apostatæ seruiens, anathema. 174.a
Populus punitus propter toleratam impietatem. 174.b
Potestas Ecclesiæ in reges. 30.a.b

Potestas à Deo &c. 32.a
Potestatem sibi vsurpat in clerũ & bona Ecclesiæ Hẽricus. 92.b
Postulatio Gallorum è sede Apostolica. 249. a
Prædicatores vt olim Elias perturbatores vocati. 24.b
Prædicatores quibus exemplo præeuntibus classicum cecinerũt. 35. b
Prædicatores prohibiti de statu loqui. 89.b
Præuentionis formam legitimam fuisse. 228. b
Preces pro principibus impiis aliquãdo fundendum. 8.b
Preces pro Guisio & fratre in tota Gallia. 60.b
Primogeniti conditio quæ? 151. b
Principes propter homicidiũ de solio deiecti. 50.b
Principes ab Ecclesia damnati propter homicidia. 51. a
Principes ob percussos clericos depositi. 62. a
Principum ob fauorem hæreticis datum infœliciter agentium exempla. 66.b
Principes hæretici fidẽ destruunt. 82. a
Principes hæretici crudeles. ibid. b
Principatu ob hæresim electorum exempla. 84. a
Principes Simoniaci infœlices. 97. b
Principes ob sacrilegiũ excluſi. 101. b
Principes ob stupra monialium electi. 104. b
Principes ob illatas sacerdotibus iniurias excõmunicati 128. a
Principes externi non tam iudices, quàm probatores. 152. a
Principes duri, & inutiles principatu, cur arcendi. 157. a
Priuatus quiuis tyran-

num Reipub. hostē occidere potest. 170. a
Priuilegia cessāt in causa fidei. 132. a
Probatores sceleris etiā post obitum damnati. 139. a
Profanatio dierum, verborum & locorum sacrorum. 118. b
Professio fidei hæretica. 86. b
Promotiones improborum & hæreticorum. 70. b
Prophetia Iacob quomodo vera. 22. a
Prophetiæ cessatio, iræ Dei signum. 36. a
Proposita Henrici recentia & hæretica. 89. b
Prouerbium tyrannicū de Galliæ regno. 159. a
Prouinciæ Galliæ omnes oppigneratæ. 158. b
Prouocari frustra ab Henricianis ad Concilium futurū. 267. b
Ptolemæus Physco Ægypti rex à suis expulsus. 50. b
Ptolemæus Ceraunus fidei violator. 142. a
Ptolemæus Dionysius Nili vndis absorptus. ibid.
Ptolemæus Euergetes rex Ægypti. 212. b
Pugiones ad cædē futuram cōparati. 57 b
Putiphar Ægyptius Iosephum supra domū suam constituit. 12. b
Pythonis in Spernonio experimentum. 113 a

R

RAimiris 2. Hispaniarum rex. 85. a
Reditus Henrici è Polonia. 69. b
Reditus annui Parisiēses intercepti. 160. b
Regnum ad Valesiorū stirpem ab ordinibus delatum. 29. b
Regnorum sub principibus hæreticis clades

des. 82.b
Regnorum sub Catholicis pax & securitas. 83.a
Regum Franciæ excommunicatorum exempla. 132.b
Regum existimatio necessaria. 144.b
Regni distractor eiusdem interitum molitur. 157.a. & 158.b
Regni per Henricũ distractio. 158.b
Regnum Henrico, nec si pœniteat, restitui posse. 240.b
Regis nomine quid hic intelligi oporteat. 4.b
Regis ac populi obligatio mutua. 23.a
Regis voluntati vniuersè pareri vult Henricus. 92.a
Regem supra regnũ cõstituit Henricus. 93.b
Reges à populis esse cõstitutos. 12.b
Reges hominum institutio non natura constant. 14.a
Regis notatio Latina, Græca & Hæbræa. 14.a
Reges Galliæ ante consecrationẽ abvrbibus regiè non excipiuntur. 18.a
Reges deiecti. 28.b
Reges ob quædam scelera, si se munierint, armis licet adoriri. 30.b
Reges Franciæ ab anathematis censura nõ eximi. 131.a
Reges Franciæ, quia Christianissimi, hoc ipso magis censuræ Ecclesiæ obnoxij. 131.b
Reges eiecti è Gallia ob solam ignauiam. 187.a
Reges ad quid instituti. ibid.
Regni non regis ministri in Gallia. 27.a
Religionis hosti, cum possis, etiam licet resistere. 6.a
Religionis causa neglecta in consilio. 72.a

Reliquiæ sanctorum ab hæreticis crematę. 49.b
Respõsio ad obiectionem, quę ex ficta Hérici deuotione fit. 94. a
Responsio ad obiectionem, pro futura Hérici fide. 149.a
Rex non est supra omnẽ legem. 5. b
Rex Ecclesiæ iudicio subiacet. 5 b
Rex sine populo aut Repub. esse non potest. 12.b
Rex sine populo esse nequit. 13. b
Rex Colossi instar. 13.b
Rex nemo nascitur. 17.b
Rex sine publica fide esse non potest. 145.a
Rex proprias iniurias per sevlcisci non potest, & respub. verè potest. 151.b
Rex tutoris, patris & mariti instar. 157.a
Rex legi regni de non distrahẽdo dominio subiectus. 157.b
Rex nec priuatũ, vsurpare potest. 157.b
Rex quid. 177.b
Rex imago Dei. 163.a
Richardus 2. Anglorũ Rex diadema publicè deposuit. 30.b
Roboamus Rex impius. 8 b. & 15.b
Rodericus vltimus Gothorum Rex Hispaniis præfectus. 30.a
Roffẽsis Episcopus martyrio affectus. 62.a
Romanus põtifex Christi Vicarius. 7.b
Romani primos suos reges publicis suffragiis cõstituerũt. 17.b
Ruffinus in Arcadium perfidus. 143.b
Rupellæ soluta fraudulenter obsidio. 69.b

S

SAbba Archimandrita sanctissimus. 37.b
Sacra regis persona, quãdiu ius regni remanet. 168.b
Sacrilegium Carnotense. 106.b

Sacrilegiũ personarum quale crimen. 104.a
Sacrilegium personarũ. 107.a
Sacrilegij rerum pœnæ diuinæ. 100.a
Sacrilegiũ duplex ibid.
Sacrilegij rerum pœnæ humanæ. 101.b
Sacerdotum successio perpetua constituta. 17.a
Sacerdos populũ præcedit, & populus regem. 19.b
Sacerdotem sibi obloquentem posse pœnitẽtes absoluere negat Henricus. 91.a
Sacerdotes primi à religionis oppressore discedebant. 35.a
Sęuitia in mortuos 59.a
Salomon præsente populo consecratus, & rex nominatus. 16.a
Samuel Saulem regem regni iure priuauit. 8.b
Sanguis martyrum vindictam clamat. 138.a
Satyri crucem circunstantes quid. 115.b
Satyri ad crucem terga vertentes. 16.a
Saul à populo publicè rex nominatus. 16.a
Saul rex regni iure priuatus. 8.b
Saulis stirps propter periurium regno priuata. 45.b
Scelera Henrici & Hẽricianorum recentia & horrenda. 237.b
Schisma hæresi peius. 80.a
Schismatici regno excutiendi. 79.b
in Scotia suprema penes parlamẽtum potestas est. 26.b
Sedani obsidionẽ solui iubet Henricus. 73.a
Sedechias parere Nabugdonosori iussus. 6.b
Sedechiæ regis periurij vltio. 46.b
Semithalana rex, propria sceleramẽtuens, seipsum regno pri-

uauit. 11.a
Senatus Romanus Neronem & Maximinũ condemnauit. 25.b
Senatusſupremus. 182.b
in Senatores bonis Eccleſiæ inhiãtes. 279.b
Serui Hẽrici, inſtar domini, perfidi fereac periuri omnes. 147.a
Seruũ regis eſſe, quid. 18.b
Seuerus patriarcha Antiochenus hęreticus. 37.b
Sibilotto furente & in omnes ſæuiente delectatus Henricus. 182.b
Simoniæ execratio ingens. 96.b
Simoniæ labes vt reos, vel ipſos etiam reges afficiat. 96.b
Simoniaci extra Eccleſiam. 96.b
Simoniaci hęreticis peiores. 96.b
Simoniæ Henrici. 98.b
Simonia iudicio probata. 99.a
Simile. 2.a.& 10.a
Sixti V. Pont. obſeruatio Romæ in conſiſtorio menſe Ianuario. 1489.133.b
Sixtuspontifex reſponſum *Theologorum* deffẽdit. 233.a
Societas cum Nauarro. 89.a
Solutio obiectionum. 5.a.14.b.39.b.173.a
Sortilegi auerſi vultibus ſaltant. 116.b
Spectacula Henrici. 214.b
Spes Henrici emendãdi nulla in comitiis. 227.b
Spiritu paſsianusdictus Henricus. 199.b
Spernonij legatio ad Nauarrum. 77.a. Rex alter. ibid b
S. Staniſlaus Epiſcopus ad altare ſacrum occiſus. 16.b.& 62.b
Stauratius propter hæreſim eiectus. 84.b
Stephanus Pariſienſis Epiſcopus Ludouicũ

Crassum excommunicauit. 133.b
Stilico in Honorium perfidus. 143.b
Studia Henrici. 215.a
Stupor multiplex Hērici 212.a
Subuētiones omnis generis. 160.b
Sueui ministros regibus collaterales habent. 27.a
Suedi regem suum asseruant, ob non satis prudenter administratum regnum. 30.b
Superstitionis phylacteriorū pertinacia. 112.a
Sylla crudelitatis typus. 186.b
Symbolum hæreticorum, sub Henrico 79.a
Syphax, Numidiæ rex, violator fidei. 143.a

T

TAbula typis expressa futura referens. 230.a
Taprobanēsiū mos. 25.b
Tarquinius Superbus regno eiectus. 50.b
Temeritas Hērici. 214.a
Testimonia, in euangelica lege, iuris Ecclesię in reges. 9.a
Testimonia scripturæ, quòd rege constituto, suum Reipub. supra eū ius remaneat. 19.a
Testimoniū S. Bernardi pro secura in armis pro fide sumptis conscientia. 41.a.b. 42.a.b
Testimoniū Henrici de Guisij innocētia. 54.a
Testimonia profana, an liceat tyrannū occidere. 164.b. & 165.a.b
Theodericus rex electus. 19.a
Theodericus de regno eiectus. 29.a
Theodosius à D. Ambrosio excōmunicatus. 10.a
Theodosius contra infideles. 41.a
Theodosij contra fau-

tores hæreticorũ iudicium. 67.b
Theologorum Sorbonę de admittẽdo Cõcilio Tridentino responsum. 81.a
Theologi etiã si de regno tãtùm ageretur, loqui debuerãt 229.a
Theologorum munus quod. 229.b
Theologorum functio tutum aduersus tyrãnidem præsidiũ. 231.a
Theologorum Sorbonę de Henrico abdicãdo respõsum. 232.a
Theologi id fecerunt, quod facerent eorum maiores, si viuerent. 234.b
Theologi Sorbonæ adhibiti in cõsiliũ. 249.b
Theophilus propterhę resim interfectus. 84.b
Theoria in magica Henrici signa. 114.a
Theurgi cur in templis frequentes. 117.b
Tiberius à populo probari voluit. 17.a
Tiberius imperio inutilis. 188.b
Tisaphernes fidei violator. 141.b
Tituli insignes Pontificis Romani è scriptura. 268.b
Toletani concilii quarti nobile decretũ. 11.a
Traiani ducis ad Valentem egregium respõsum. 67.a
Trebellius primus Bulgarorum rex Christianus. 81.a
Tributa super matrimoniis, baptismis, ac sepulturis. 99.b
Tributa immodica ab Hẽrico impositа. 180.a
Tutor officio abutens remouetur. 22.b
Tutores pupillorũ pecunias deponere coacti. 161.a
Tyrannis quale malum. 162.
Tyrannorum typi. ibid.
Tyranni miserabilis facies. 58.b
Tyrannus imago Dia-

boli. 163.a
Tyrānum à Repub. iustè eijci. 163.b
Tyrannum licet, occidere. 164. b. & 167.a. b
Tyrannorum quàm funestus soleat esse exitus. 166.b
Tyrannū qui publicus hostis non est, à priuato occidi nó licet. 168.a
Tyrannum religioni ac patrię infensum licet occidere. 169.a
Tyranno quæ debeatur misericordia. 176.a
Tyrannus quid. 178. a

V

VAlentinianus crudelis. 186.b
Valtramus Magdeburgensis episcopus, insignis politicus. 32. b
Vasconiæ atque Aquitanię procerū aduersus Eduardum expostulatio. 29.b
Vasculacrystallina. 117.a
Vectigalia super populum immensa. 160.a
Vehementia patrū veterum in Principes fidei desertores. 5.a
Venceslaus XII. Boëmorum rex regno & vita priuatus. 67.
Vercingentorix actorū suorum rationem populo reddit. 25.b
Verbi dei substractio ob seruatum impium principem. 36.a
Verbis regis ac fidei regis supercilium. 145.b
Verborum sacrorū profanatio. 118.b
Victimarum discrimen ad inæqualitatem exprimendam. 19.b
Victis in iusta causa laus non perit. 38.a
Victoria Guisij insignis ac planè diuina. 75.a
S. Vincentii Agennensis sacrilegi. 101.a
Violatores publicæ fidei cur regno indigni. 144.a
Violentia Hērici in supremas curias. 181. b
Violata fide publica, re-

gnum cælorum restí-
tui potest, hominum
non potest. 150. b
Virga & vnguenta quid
sibi velint. 114.
Vis illata iudicibus om
nis damnationis in-
star. 228.a
Vittizza Hispaniarum
rex regno exutus. 30.a
Vnctionis irrisio. 86.a
Vnctio regis minor quã
sacerdotis. 140.a
Vnctio virtutis lex, nõ
peccãdi illecebra. 176.a
Vnctionis sacerdotalis
supra regiam digni-
tas. 176.b
Vnctionis priuilegium
quod. 177.a
Vnguenta quid sibi ve-
lint. 114.b
Vnde factum vt quidã
non omnino perdi-
ti ab Henrico stent.
2.b
Vrbanus 2. Philippum
1. excommunicauit.
133.a
Vrbium magnarũ pestis
diurturna in iis princi-
pis mora. 189.b
Voces impię Henrici &
aulicorum. 124.b
Vox impia politicorũ.
5.a
Vox tyrannica filij &
matris. 160.b
Vox adulatoria Gnato-
num ad Henricum.
212.a

X

XErxis copiæ ful-
mine & tempe-
state direptæ. 100.b

Z

ZAcharias Gallos à
fidelitatis iuramẽ-
to absoluit. 10.a
Zacharias Chilpericum
regem Francorum de-
posuit. 30.a
Zelator laicus politico
Episcopo melior. 32.a
Zeno Eutychiana hę-
resi infectus. 84.a

FINIS.